MISCELLANEA ITALICA ERUDITA COLLEGIT GAUDENTIUS ROBERTUS CARM...

Gaudenzio Roberti, Lilio Gregorio Giraldi, Pietro Servi, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
40-F
10
ROMA

Digitized by Google

10-436/c

Digitized by Google

MISCELLANEA ITALICA ERVDITA

TOM. III.

Collegit Gaudentius Robertus Carm. Cong.

PARMÆ, Typis Hippolyti, & Franciſci Mariæ de Roſatis,
Anno MDCXCI. *SVPERIORVM PERMISSV.*

MISCELLANEA ITALICA ERUDITA

TOMUS III.

Digitized by Google

Nos F. Clemens Maria Felina à Bononia Sacr. Theologiæ Mag., ac Doctor, necnon Congregationis Mant. Regularis, & Antiquæ Obseruantiæ Ord. Carmelitarum Vicarius Generalis.

Opus, cui Titulus *Miscellanea Italica Erudita*, plurimis constans Voluminibus, ad studiosorum mentes erudiendas à Reu. Adm. Patre Gaudentio Roberto in eadem Congregatione Sac. Theol. Mag. peculiari diligentia congestum, ac à Nobis recognitum, vt ad publicam vtilitatem prodire possit, præsentium tenore, quantùm in Nobis est facultatem elargimur.

In quorum fidem &c.

Datum Bononiæ in Carmelo Nostro S. Martini Majoris die 20. Iulij 1691.

F. Clemens Maria Felina Vic. Gen.

F. Franciscus Bruscus Mag. Socius, & Secretarius.

IMPRIMATVR.

F. Ioannes Carolus Falconus Sac. Theolog. Magister, ac Inquisitor Generalis S. Officij Parmæ, & Burgi Sancti Donini &c.

IMPRIMATVR.

Iulius dalla Rosa Vicarius Generalis Parmæ.

Vidit Nicellus Præses Cameræ.

Digitized by Google

INDEX
AVTHORVM & OPERVM
Quæ in hoc tertio Tomo recenſentur.

PETRI LEONIS CASELLÆ de primis Italiæ Colonis pag. 1.
EIVSDEM De Tuſcorum Origine, Colonatu, & Republica Florentina pag. 93.
PAVLI MANVTII Veneti Antiquitatum Romanarum Liber de Legibus pag. 139.
LILII GREGORII GIRALDI Ferrarienſis De Sepulchris, & vario ſepeliendi ritu pag. 349.
ALDI MANVCCII Veneti De Laudibus vitæ ruſticæ Ode Horatij Epodon ſecunda explicata pag. 419.
CAROLI SIGONII Mutinenſis Iuditium de Hiſtoricis, qui res Romanas ſcripſerunt, ab Vrbe condita ad Caroli Magni Imperatoris tempora pag. 463.
BALTHASSARIS BONIFACII De Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus excerpta ex Bodino, Voſſio, aliiſque pag. 483.
ADRIANI POLITI Ordo Romanæ Hiſtoriæ legendæ pag. 553.
IO. ANTONII VENERII Nobilis Veneti De Oraculis, & Diuinationibus Antiquorum pag. 569.
PETRI SERVII Spoletini Diſſertatio Philologica De Odoribus pag. 631.

INDEX
AVTHORVM & OPERVM

Clariſsimo

VIRO

REVERENDISSIMO PATRI M.

HENRICO

DE NORIS

ORDINIS EREM. S. AVGVSTINI

Bibliothecæ Vaticanæ

PRÆFECTO.

DE NORIS

HENRICO

VITA

Præstantissime, ac Reverendissime

PATER.

Estibat jamdudum animus (Amplissime Pater) devoti erga TE obsequij aliquod exhibere argumentum, & cum aliunde nil aliud ob inopem censum suppeteret, cogitabam TVO inscribere inclytissimo NOMINI quidquam ex meis Miscellaneis Collectionibus eruditis; cum ecce nuper TE Romam accersitum audivi, unde gratulationis loco, munusculum hujusmodi tandem muncupare decrevi eruditioni illi TVÆ, quæ TE ad istud fastigium evexit.

xit. Ea porrò est, quæ hominum Nomina æternitati consecrat, cujus beneficio vivunt viri omni ævo præstantissimi, quorum curę, vigiliæ, labores, & merita oblivionis alto silentio fuissent involuta nisi isthæc Nomen eorum, ac Famam ab interitu vindicasset. Hac TV instructus ad optimarum litterarum Decus, & Ornamentum natus tanquam Italiæ nostræ ingens lumen Gratiam Principum, ac Litteratorum amorem adeptus dum ardua quæque superasti præclarissimi NOMINIS TVI Famam *qua patet Orbis* diffudisti, vt ijsdem finibus, quibus mundus concluditur, TVA celebretur tum Pietas, tum Sapientia. Quidni ergo in Orbis ipsius Capite honore amplissimo auctus fulgeres, qui jamdiu Orbem ipsum doctissimis laboribus impleveras? Quidni TE Sanctissimus Pater Innocentius XII. Vaticanæ Bibliothecæ, illius videlicet, qua major nullibi extat, Custodem sufficeret? Oh fœlix, faustus, alboq; lapillo signandus dies, quo TE ad summam Eruditi Viri dignitatem evectum ve-

nera-

neratus estunanimis Vrbis, & Orbis plausus. Id porrò sic animum affecit meum, ut lætas inter Musarum acclamationes ad TVÆ Palladis Aram gratulabundus, ac festivus accedere non dubitaverim. Nec tamen TIBI soli gratulor, quòd condigna decoreris Dignitate, sed & ipsi Dignitati, quæ majorem à TE fœneratur splendorem. Nullus sum enarrando quæ decora TIBI dederit Roma, multominùs, quæ à TE Roma ipsa receperit. Vrbs hercle ipsa TE suspicit, ac licèt merita quælibet ad rigidæ censuræ trutinam examinet, de TE tamen jamdiu fatetur quòd omnia in cæteris maxima sint in TE minima, quòd vel nemini, vel TIBI soli sis comparandus, quòd similem vix viderit Roma, vix habere speret sequentem. Hæc autem fassa nil aliud loquitur quàm quod Vniuersi. Quibus enim polleas scientijs, ita publicè tota novit Europa, ut id commemorare sit supervacaneum. Quot præclarissimis Operibus Typos illustrasti, quot eruditionis absoluta volumina edidisti, tot veluti subsi-

dijs

dijs ad ſummam gloriam contendiſti. Ingenium TIBI dedit Auctor Naturæ Deus quale ſibi quiſq; optaret nemini hac in parte ceſſurus; mentem TV ipſe artium, ac optimarum diſciplinarum cultu expoliſti. Hinc Chronologiæ, ac Hiſtoriæ fontes abditiſſimos aperuiſti; Doctrinarum flumina ex Cathedris omnium per Italiam celeberrimis effudiſti. Si quiſpiam alter quid ad optimas artes præſtent Numiſmata, Lapides, ac hujuſmodi cætera, demonſtraſti. Quod verò præcipuum eſt, his omnibus, mirificè Hiſtorias Eccleſiaſticas illuſtraſti, non modò edito egregio *de Pelagiana Hiſtoria* Volumine, ſed ex *Epochis Syromacedonum*, & ex *Piſanis Cenotaphijs*, *Cycliſque Paſcalibus* productis, ac perpenſis, argumenta proferens, quibus ea eruditionis eccleſiaſticæ pars, quæ ad temporum notitiam pertinet, in claro demùm lumine ponatur. Patiaris igitur Vir omni eruditione celeberrime, patiaris hoc volumen æternum meæ ſervitutis monumentum TVO NOMINE illuſtrari

vt

vt in ſapientum cætu locum inveniat; TVA benevolentia veſtiri, vt placeat; TVO patrocinio foveri, vt perennet: Meum autem perennabit erga TE indeficiens obſequium. Accipe inclytiſſime Vir hoc meæ erga TVAM virtutem, erga TVA merita venerationis argumentum, ac tùm adepti muneris gratulationem, tùm majorum, quæ impoſterum adipiſceris, omen. Mea pro TVA incolumitate vota cœlum exaudiat: TE Sapientiæ candidatum ad Italici Nominis Gloriam, Decus, & Ornamentum Superi ſervent incolumem, ac eminentioribus Dignitatibus cumulent. TV verò meum hocce pignus obſequij ſereno vultu excipere, ac TVA Gratia proſequi ne dedigneris.

Dabam Parmæ ex Muſeo Carmelitico
Kalendis Iulij 1692.

Celeberrimi NOMINIS TVI

Devotiſſimus Cultor
Gaudentius Robertus C.

Digitized by Google

PETRI LEONIS CASELLÆ DE PRIMIS ITALIÆ COLONIS.

Digitized by Google

THOMÆ LATINO CASELLA.

TRVRIAM vno in libello, quem tuo inscripsi nomini, Italiæ auctarium noram ab origine. Italia itaq; tibi adaucta geminis in voluminibus vno eodemque in tomo, & ex integro

tibi inſcribitur: vt ſi quid in vtrouis relegi dignum Lector animaduerterit, mea opera tibi gratias agat. Et vtinam in millibus ego tibi, qui mihi vnus es pro millibus, & in ſingulis omnia optimè meritus.

Digitized by Google

ITALIA

VEL

DE ABORIGINIBVS, ET IANIGENIS, primis Italiæ Colonis.

ITALIAM ab origine incoluere Aborigines, Iani admonitu, Comero Duce, huc præmissi coloni. Naues dixeris sensiles, quæ cœlesti numine, afflantibus auris, prælucentibus stellis, vasta, & varia commissos sibi præteruexere per maria. Aduenit & Ianus placida exceptus Tiberis vehitura, quicum noui Aborigines. Aduenit & Vesta mari supero ad Aterni ostia, cui montana magis, & illius fluminis placuere fontes. Ab ea Vestini. Superuenit deinceps Sabatius, eò ipse diuino deditus cultui: vnde & Saga dictus est, & ab eo Sabini, & Curetes: & vltra Tiberim Tusci, Sagi, & Vehi. Ianus enim figendarum sedium locum delegit, & sibi eundem iuxta flumen, vbi deinceps Roma à primordiis Regina gentium, quòd hæc præsideret senissimus populorum Pater, & Rex. Hæc itaque sicut ego accepi, in historiam pro virili disponam, ita vt legenti exposita, & enucleata appareant. Proinde Vestinorum Regia, Amiternum certè à loci situ sic appellatum licèt conditorem antiquitatis monumenta litteris non prodant: inditio tamen sunt ingenuæ nobilitatis, & gentis originem

nem adſerunt vetuſtiſſimam. Sic quæ profanos non admiſit intuitus, ſuo ipſa in lumine Veſta latet. Ea fuit Aretia Iani, qui & Noe vxor inter Ianigenas mater, & Regina præſidens, quæ ſempiternum ſacrificiorum ignem delectis credidit Virginibus, ex huiuſmodi cura, diſciplinaque Veſtalibus clariſſimi ſemper in Italia nominis. Cæterum de aduentu Iani ita maiores ratiocinantur, vt factum adſtruant anno poſt diluuium CVIII. qui & XXIII. ante Regnum Babilonicum, & Turrim illam, in qua linguarum confuſio facta eſt. Deinde ad diſponendas colonias orbem terrarum peragraturus ratem ſoluit: huc redeundi tamen concepta ſpe, vbi iam ſenior requietem ſibi delegerat: quòd hæc Regio Reginam ſuo in ſolio orbi præſidentem in ſtola (ſi orbis ſitum aduertas) repræſentat Europam, cuius Italia brachium dextrum, quæ coronatam ſuſtinens tripodem ſoſpitibus, & hoſpitalibus offerat Dijs. Tripos autem ipſa eſt Sicilia, quæ & penus, & horreum. Ea igitur figura nihil optatius magis optimo Regi, ſanctiſſimo Patrifamilias. Ager verò is eſt, qualem laborioſior, & induſtrior agricola exoptaret, idemq; probaret, vbertate omnigena colono, quantumuis auido, & hero excultiori exuberans: laudaturq; in libris Sybillinis, & ager, & agricola populus hoc elogio:

Omnibus copijs quas annus fert affluens,
Et vita illis decenter iucundiſſima.

Interim præmiſerat in Italiam Ianus Cranum, & Cranã, quæ & Carnia, & Crania, filios natu maximos, & eorũdem ſubereſcentem ſobolẽ, cũ Comero Gallo, & eiuſdem filijs ex Iapeti genere. Comerus itaque regionem ſuo de nomine cognominat Comeram, vrbes certas per ſtationes curribus deſignat mobiles, populum legibus, & iuſtitia inſtruit. Hi itaque in Italia Ianigenorum Principes, conditores Vrbium, patres populorum. Ianigenæ humanum quidem genus omne: ſed Itali, & Armeni tantùm

hoc

hoc recenſentur nomine, ex quibus Griphonij aduenere MLXXXIII. poſt annum, & perbenignè ab Aurano ſuſcepti, ſedes iuxtà noſtrates adepti leguntur; ſed liber is alienam per impoſturam non integra fide legitur. At nos quæ in rem noſtram faciunt, ea per irrefragabilia auctorum teſtimonia confirmata certa fide conteſtabimur. Quæ verò de eorundem locorum nominibus perpetuo teſtimonio probabilia erunt, probabilia allegabimus: in reliquis verò ab alienis mendacijs noſtram fidem ſincerè vindicabimus. Sed priores in Italia Ianigenæ: poſtremo potiſſimum loco geniti Cranus, & Crana, & eorum poſteritas hoc peculiari titulo, & paterna dilectione nobiliſſimi gentium. Hi quod adulterinum intra ſuos non admiſerint genus, quòd nuptias benedictione celebrauerint: & quòd per benedictionem fœcundiſſimi multiplicarint; Quòd Cranus puer Camillus patri Crania Virguncula delicata matri vterque ſacrificantibus miniſtri parentibus adeſſent, & in domeſtico obſequio aſſidui. Hi amor, & delitium, qui & ſenectutis filij qui parentes moribus, & vultu, ac pietatis referrent ſtudio, & in educandis liberis amanti excubarent ſeueritate peruigiles, eoſque ad concordiam, & laborem, ad virtutem, & religionem quaſi ad certum inſtruerent patrimonium. Hi itaque poſito altari, coronatis laribus, & quæ pro laribus, domi aderant inſtrumenta ad focum, quæ, & alibi conſtitutos pharos dicas, & candelabra. Hi generoſiores in dies, geminata ſoboles, maſculi ſcilicet, & fœmellæ certo anni tempore. Sed, & eadem ſoboles cùm adoleuiſſet, in idem conueniebant matrimonij vinculum, germanitate, i jſdem natalibus, & morum ſimilitudine probatum. Vnde Cranus, & Crana primum; deinde, vt etymon in his Italiæ appareat, Thalus, & Thalia appellati ætate florentes ſcilicet compares. Hæc in Ianigenis Veſtinis prænomina perſeuerarunt, & Talaſſionem, ideſt, auſpica-

tam,

tam, germanam, perennem, adæquatam, viri, & vxoris concordiam in nuptijs legimus, & repetitam optionis vocem genialem circa thalamum. Itaque ipsum in Italo vocis etymon diuinum denotat genus. Neque enim à Græcis exteris exquirenda nostri sermonis significatio est. Græcis sua commenta superabundent licet: nos quidem, & bobus vtimur, & eorum generositatem exercemus perutilem. Neque incongruum est in huiusmodi explicationibus immorari, cùm nostri instituti sit primo loco de Originibus tractare.

At humani generis ea constitutio est, vt hominem esse solum non probarit hominum artifex, & omnium arbiter Deus, qui soporato homini costam tulit, eamq; in mulierem ædificauit illis in verbis, ad luculentissimum facti testimonium vsus, *Et erunt duo in carne vna*. Is idem post diluuium, Noeti, & vxori, & filijs, & vxoribus eorum (in quibus humani generis emissarijs præseruatum est genus) multiplicationis gratia benedixit. Quare Noetis posteri in huiusmodi, & vnitatis, & communionis oportunam necessitatem, simbolum voluere, quod diximus domesticum in laribus, qui ligna ad ignem supposita sustinent, in quibus alij Ianum, & Vestam intellexerunt: alij verò Cranum, & Cranam: in sobole enim ratio coniugij constat, & vitæ communio ab ipso principio, & lucis exordio, continuata vicissitudine in sequelam perpetuitatis. Quamobrem lares ipsos Solem, & Lunam interpretati sunt, qui à Dei cultu recedentes, & ad creaturarum idololatriam transeuntes, e pietatis semita declinarunt: immò & masculos voluere vtrosque, quasi ad masculam virtutis gloriam nuncupatos, qui, & numina, & nomina ad Deitatis multiplicationem pro libito commenti sunt: ita vt in Picumno virum, in Pilumno verò vxorem designarent: quorum concordia, & diligentia fit, vt in communione victus nihil vnquam desit, dum vir viriliter

riliter comparat, & congregat in penu: vxor verò viriliter distribuit ad quotidianum victum, apponens quod sufficiat, & ad communis foci fragorem, quod nidore suo domum odoret, & viciniam: ne quis negligentiores homines ibidem incolas desides arguat, eos intra parietes, infra hominum virtutes flocci, & nauci, & proinde qui viri sunt & ritè, & sobriè, & hilariter, epulantibus, & diuinis in laudibus hymnos concinnentes aderant, Caij filij scilicet, ad cumulanda parentum gaudia progeniti, coronati floribus. Deo itaque primùm sacrificare, deinde etiam maioribus suis libare generosissimæ Italiæ conditores didicere: deinde, & docuere publicè, & priuatim, ita vt antiquius haberent nihil.

Quamobrem domestica in ara, priuatis in ædibus, Paterfamilias, quasi Rex sacrificulus, sacra faceret, & familiaribus epulum daret, & maiorum exempla ad excitandam in iunioribus æmulationem per virtutes referebat: exinde Axamenta, præcinens ipse idem Chori magister apophereta, tandem largiebatur generosus munerarius in circulo pietatis, & lætitiæ conuentu.

Hucusq; de Italiæ conditoribus, nec dum satis, quos Patres patrum meritò recolit Italia. In ea primùm Vmbri intercogniti quasi cataclismi fontes, & voragines subsidentia adhuc trepidi deuitent loca, æditiora incolere, in cauernis, camerisuè: deinde etiam, & domicilia habere, & vicos, & oppida, & vrbes per apricos colles, & conualles vberes. Turris verò pro metropoli in campestri construebatur media, quò munitam omnino refugij arcem haberent: quinimo, & pro temporis, & locorum opportunitate prioribus vti vehiculis, has curules diceres domos, rotabilesuè arceras, tectas vndique quasi arcas. Quod infra subsolario quidem stabulum iugarum, & pecoris, supra verò distributis officinis domus esset tabernaculo, & tensis. Sed, & loca inaccessa, siue in montanis,

siue in paluſtribus, qualis ISSA inſula deſcribitur: quæ enim natura ipſa munitiora ſunt, ea ſuccedunt laborioſiores, aut vado penetrant, quod eis LABORVM RELEVAMEN SECVRITAS.

Quamobrem vberrimi in planicie agri, tanquam in arena conſiſtere, loca communire mœnibus, & armis, & conſilio rem tueri publicam inſtructiores didicere, & pro patria ferro decernunt fortiter. His artibus Aborigines indigenæ reputantur, & eorum vrbes CCC. numero nouit Plinius, & Strabo ex lectione plurima hæc de Aboriginibus indigetibus ex Italia lib. v. & xiiij. & alibi. Hi primùm in montanis paſſim ſine mœnibus vicatim habitauerunt. Sed poſtquam Pelaſgi, & cæterorum Græcorum ipſis admixti opem in debellandis finitimis tulerunt, exacta inde Sicula gente, oppida crebra munierunt, ſubigeruntq; ſibi totum id terrarum ſpatium, quod amnes duo Lyris, & Tiberis terminant. Hi orti ex imis Apennini montibus Italiam, quam maximè longa eſt ſecantibus mediam, erumpunt in Thyrrhenum pelagus, DCCC. ferè ſtadium inter vtriuſque oſtium interſtitio. Horum Tiberis à Septentrione prope Oſtiam vrbem ſe exonerat: à meridiano tractu Lyris Minturnam alluit ambas Romanorum Colonias. Eas ſedes perpetuo tenuit IDEM GENVS HOMINVM INDIGETES ſcilicet, mutatis tantùm appellationibus vetus Aborigenum nomen ſeruantes. Et poſt pauca: Cæterum Aborigines auctores Romani generis, Italiæ indigenas alij, ſuique corporis gentem adſerunt, (ITALIAM VOCO GENTEM ILLAM OMNEM quantum Ionius, & Thyrrhenus ſinus, tertiaq; ab continenti terra amplectitur Alpes) nomen eis inde aiunt impoſitum, quod poſteris ſuis originis ab ſe fuerint auctores. De Liguribus verò fabulantes reijcit. Et idem poſt pauca: Ex Antiochi Syracuſani conteſtatione, & Antiochi Xeno-

Xenophanis testimonio, & vetustis monumentis, & ipse in eandem sententiam adstipulatur. Terram hanc, quæ nunc Italia dicitur, olim tenuere Oenotrij: deinde commemoratis eorum moribus, ac forma Reipub. & quòd Regnum tandem Italo delatum est, & ab eo denominatam Italiam. Morgetemq; huic successisse, à quo Morgetes sint vocati: & quia Siculus à Morgete hospitio sit exceptus, proprium principatum in ea gente constituerit. Tunc hæc subijcit: Oenotrium, Licaonis filium XII. ex Arcadia nouas sedes querere compulsum, vnà cum Peucetio in Italiam venit, & à Peucetio in Italis Peucetij.

En quot Græci, tot etiam commenta: his adde etiam quot quot in Herodoti verba iurati historias scriptitarunt. Nam & sub Vmbrorũ nomine Aborigines, immò omnem quanta in Montanis Italia est, compræhensam volunt: inuidiane an oscitantia incertum, falsò tamen. Qua oblata lectoribus offa, vniuersam confundunt Italiam: in Græcorum colonias confarreatam vt credant. Et quidem rationalis, si qui alienam rem deperditum eat, eandem primum interuertat, tùm quasi decoctam abliguriat. At ego te, Apennine, inconcussæ auctoritatis Patrem appello Iudicem, qui primus ab origine cognitos hospites, & incolas à diluuij vorticibus fugientes, tua sub iuga, quibus cœlo proximus es, tuas intra cameras excœpisti. Vnde si quando egredi ausi sint, & ad victus necessitatem terram colere, tum demũ Vmbros appellatos, eodem sub Comero Gallo Duce, eodem inquam tempore, eundem inquam populum diuerso nuncupatum nomine, Aborigines scilicet & Vmbros. Quorum omnium magno malo Camesenuus huc aduenies obtinuit penè omnia: obtriueratque morum corruptor, blasphemus, exlex, matrimoniorum violator, absente Iano, absente item Comero; Qui tamen cum rediret, Crano, & Crana, & eorum posteritate adiutus, de Iani præcepto omni tandem Camesenuum pepulere Ita-

lia. Sed & eiusdem sectæ conuenam, & aduenam, populum & corruptos Comeros in Montanis coercuere secundum Apennini sinus: intra tamen Vmbros, Sabinosvè: exinde Montanos ex origine, & commixtione agnoscas Aborigines inclusos, & segregatim ab eisdem incorruptos Aborigines prioribus in sedibus: vtrisque tamen, communi omnium consensu suffragioque Carnam Helernam, cum sceptro scilicet, & fascibus duodecim præfecit Ianus: Sceptrum verò ipsa alba est, hasta scilicet pura, vt Vertunum dicas alterum in cardinum potestate: vnde & Cardia nuncupatur, & Cardinia, quòd ei colonias deducendi vis esset, & omnigena sacrorum cura commissa. Præseditque in conuallibus ANSANCII medijs castrametata. Iani auspicio item & prætorium statuit, vbi ius populo redderet, qui circum circa in figendis aderat sedibus: aram velis circundatam & ignem excitat, quo nihil antiquius, nihil proprius meminerint, qui publicum ignem ante priuatum nouerint focum. Itaque supplicare D. O. M. & primitias offerre, & legitima vota persoluere didicere frugi homines. IN PRECIBVS SIQVIDEM immorari, vires colligere est: cum pietate obeunda adire negotia, profligare est. Fortitudini & Iustitiæ omnia cedunt. Pietas in homine virtutes alit sorores natu maxima. Et quidem ad aram sacerdotes excubant. Prætorio Prætoriani ad conseruandam aureæ ætatis illibatam securitatem. Qui enim secus fecerit, & pacis tempore limites regni sui incustoditos deserit, is demum pacem negligit. Prætorij locus septus erat ad montis radicem, cui Calpæ nomen de Cranæ alba: prisca enim lingua P. pro B. proferebãt Vestini, & Sagi: ipsa verò alba, vel hasta summa armorũ, & Imperij, vt docet Festus. Hoc loci decliuus subsidet mons, ita vt à dextris fluuio forum aperit, qui de latitudine, in quam exit, Atra dicitur. Deinde etiam nouæ vrbi spatia æquiora relaxat, quãquã is ratò milliario

mino-

minorem fecere. A finistra verò, vbi theatralem Calpæ arcuatur in formam, Cæciam vicũ habet. Vnde nomen Cæciliæ genti factum est, & mediam, ad forum, qui Decij Syllæ nuncupatur, Occidentem versus, viam non intercludit; sed & ad Meridiem à sepulchretis, & maiorum ossibus locus, qui nomine Scopuletum dictus est, modò vicus non infrequens, ex peruetusto, vt diximus, cœmiterio: de quo iterum, & feueriori item iudicio, in sepultura concedenda agemus infra. Deinde ad Orientem Vetuloniam dirutam, & lacum, & vicum, cui à frequentiori populo arbore Populetum nomen. Cæterùm trans fluuium Septentrionales habet Neminas aquas, quas ab ortus interuallo & varietate nuncupamus. Sed gentis Cæciliæ vetustam in nobis originem placet inscriptionem probare: huiusmodi enim testimonia pro interprete in historia habentur, & sequenti in libro de Vestinis, Sabinisq; Romani populi actari sumus auctario.

C. IVLIVS ATTICVS VESTINVS,
CÆCILIA ATTICA Q. CÆCILII ATTICI
POMPONI, ET PILIÆ FILIA
C. PLAVTIVS P.I.P.N. DECIANVS HYPSÆVS.

Sed ad integram huius inscriptionis declarationem, in qua cum Cæcia gente etiam Iuliam, & Vestinam, & Pomponiam, & Piliam, sicuti & alibi Deciam, & Iuniam, & Sylanam legere est, eam regionem plenius describemus. A Cæcia itaque, & foro, quo Decij Vicum petimus, quà laxior ad Meridiẽ campus excurrit, quod Cranuus Mons, qui deinde Sicanius, demum Canius appellatus est, in finistram reflexus foros laxat & amplificat: eaque in planitie Thebas contra Boetias promontorium excitat, supra quod vrbem constituere, quam Forum veteres dixere Nouum, & infra ad promontorij radicem Hypsæum habet, & Orientalem magis vicum genium Iani: deinde eo inferius Piliam iuxtà locum, vbi Velia, & qui de Vetulonio eiusdem

dem nominis exuberans fluuius lacu, in Atrâm influit, quam Aternum dicimus. Et hos intra terminos Populetum includitur vicus, ad Orientem, vbi vetustatis monumentum, & Atticæ familiæ memoria, & Orfitæ videre est.

ORFITÆ ATTICÆ
G. APONI SABINI
PRÆSTÆ
V.S.L.M.

Is ager Vestinus, & ad Orientem protenditur, eadem appellatione de Vestæ matris nomine, quo ipsa aduenies & templum, & arcem, nouæ fecit Vrbi. Hæc inquam vltra fluuium ad Septentionem aram statuit pro templo, & arcem iuxta aram, & in ea Vestales collectas voluit Virgines quarum cura publicus focus æternus est. Nec longe aberat Regia Cranæ inter templum, & Prætorium media, ad ripam fluminis læuam. Vesta itaque castrorum mater propagatis nepotum limitibus, pomerio etiam regiã ampliauit, & quasi arcem turritam communiuit vrbem, circumcirca per cardines, & decumanos limites, mœnibus, propugnaculis, aggere, & sacra item fossa, vnde ipsa turrita effingitur in circulo residens quasi foros, & vrbes circumiẽs, Populorum magistra, quæ & Regina mater. Itaque vbi ipsa adesset conuentus agi in tuto poterat, vtpotè iuxta turrim patriam. Rex enim in populo pro turri est. Eatenus incertam diximus Amiterni originem: quis enim Vrbem diceret ante templi constitutionem, quod est fundamentum Vrbium? aut quis vrbem neget, vbi Regina medio in Senatu, medio in Populo fixis sedibus ordinata in Rep. consisteret? Sed postquam ad alteram Tiberis ripam secessit Ianus, ætate iam senior vacarat ab eiusdem incolatu mons quo dexteram Tiberis ripam, ab eiusdem incolatu,

deque

deque eiusdem oraculis Vaticanus dici cœpit.

Mons itaque & flumen interfluens regiones intersecabant quidem, ditionem verò nusquam disterminabant, quandiu superuixit seniſſimus Ianus Pater, cuius ab ore penderent omnes, quem imitari studerent omnes, pudore ne, an innocentia ambigas: sed certè per vtrumque non neges. Et quidem ad alteram ripam Aboriginum Colonijs,& suos, & metatus per singulos ad conuentus à Vestinis, quos diximus, perq; loca commodiora magis frequens colonias aderat, & post Sabatij aduentum magis indies, ita vt positis iam Curibus alteris,Regio omnis eiusdem diceretur de nomine: Tum & a fluminis ripa dexteram Sabatios, & cæteros: Crana verò Vestalis Magna post matrem Maximam in Vestinis præerat, in ea,quam Calpem diximus; vnde & Calpar vinarium vas. Nam & vinetis vestitus locus, is in decliuo positus, & ad Orientem conuexus appositè est. Cranæ verò nomen Principem designat in populo, sicut humana inter ossa cranium quod maiores nostri inaurare consueuerant, in perpetuam defunctorum (si qui de Rep. optimè meriti essent) memoriam,& venerationem, vti apud Quadrigarium in annalibus legitur, lib. xxx.

Igitur Vesta mater sacrificijs, & formandis occupata Virginibus, Cranus instituendis liberis, deducendis colonijs,Iani imperio,Vestæ obsequio deditissimus, cum omni sobole,ad cuius nutum dirigebant omnia. Caius autem,& Caia,de quibus supra simplici qua legimus nota nomina, si ea figura recta est Dominum Domus denotat: si verò obuersa ea Domus Dominā, quo se coniugati viciſſim appellabant nomine; & eadem ratione, & populos Rantios, & Aruntios dicimus,Carantios legimus, & Caracenos,pro C.Rantij,& C. Razenui,vel Rasinij populi apud nos. Sed per vetustatis monumenta probemus singula.

C.

C. Calpetanus Rantius Quirinalis, Val. Cestius Cur. Riparum, & aluei Tiberis terminauit.

Et Calpus Numæ F.& Calphurnij,& Calpetus Albanorum Rex, & alibi habetur: C.Rasinius C.F.Ser.Stell.Tettianus, & pleraque eam in rem testimonia,quæ producere longum esset,effossione facili,quo loci nostro sæculo statuę repertæ sunt plures antiquitatis monumenta.

Itaque Caraceni, qui secundum incolunt Atram ad Orientem, & Razenij, quorum locus adhuc seruat nomen Razinium, non iniucunda in campi planitie iuxtà AEquos, qui se à fratribus segregantes ad Meridiem vltra Rasinios secluſi sunt. Sed inferius de huiusmodi segregationis causa dicemus suo loco.

Oppleta iã videbatur Orientalis Tiberis ripa per occidua, in quibus vtrisque, quasi sol inter cœli cardines, per decumanum regnabat Ianus limitem: sol enim in medio residens complectitur omnia, cuius radij, & lux, Cranus, & Crana, per quos constituendã procurabat Remp. dilectissima de nepotum sobole.

Crana autem, & suo in populo vteri sui filijs, & secundum Ianiculi Orientalem ripam ad superum mare de infero, & qua Apenninus inflexus Italiam intersecat omnem,vtroque enim mari ambitur Italia, nisi quà de perpetuo distenditur Apennino, quasi lacertoso ex humero exertum brachium, quacunque habitabilis ea est. Apenninus enim fluminis ripam nescit: terminum verò ipsemet sibi conscíuit, vbi decliuus esse desijt, cuius intra sinus conclusos diximus Aborigines, & Comeros, sed aduenam, & conuenam populum, quem materno imperio in officio contineret Crana, benigniori seueritate corrigeret disciplinæ: quæ sobolis amantissima,ita vt exinde Venus dictitari cœperit, ob maternam in subditos sollicitudinem, & conciliandis animorum moribus efficaciam charitatis,qua ad omnes ititaret. Aborigines enim incor-

ruptos

ruptos prioribus in ſedibus habitare permiſſos, quaſi filiolos manu ducens regebat. Itaque cũ neceſſariò coloniæ deducendæ eſſent, ex vtriſque Aboriginibus, & Veſtinis, eadem ratione qua, & diſpoſiti eſſent deducebantur, ſiue per Apennini, vti diximus propinquiores ſinus; ſiue per exteros montes, & littoralia, quorum portus, clauſtra uè Ianigenarum cuſtodibus communita eſſent, nouas ſcilicet per colonias. Itaque Ianigenarum ſuffecturam Iano deducebat Cranus, & ipſa tranſmittebat Crana adoleſcentium floridam iuuentutem, quaſi florenti à ramo examen apum, quos præ vultus ſimilitudine, & habitu diſcernere non poſſes: admirareris tamen, & ſub velo & in armis procedentem, leones diceres in inceſſu, & laudares Thaleos, Amitinos germanos compares nouas in colonias deductos, pleno tempore verè ſacro, & ea filiorum educatione, & exhibitione, quæ ſumma eſt munificentia, ſeniſſimi Patris demulcebant caniciem. Hinc hominum vtramq; per ripam geminatorum ratio, & Amitini & pleraq; huiuſmodi nomina. Faceſſant interim qui dum omnia Tuſcis tribuunt, quaſi effœtam Reginam redarguunt, dum hiſtorias pro ingenio fingunt, & proprijs fidem abrogant teſtimonijs, qui Ianigenas non niſi in Tuſcia norunt: & quam apud Aborigines regnantem non negant, eandem & concepturam, & parituram, aliò ſaltem partus expoſituram, quaſi Amaczonem ad ripam alteram accedentem oſcitantes fabulantur, & quaſi orbatos & ſobole, & ſpe ſobolis conſeneſcentes tranſigere ævum fœcundiſſimos hominum. MVNDVM mala nox ſemper occiduas regiones obtenebrat, terminos confundit, & Illuſtres populos in abſcondito occulit. Sed & qui Anſaneti vallem deſcribunt, eam quidem plus ſatis arctant: à lacu ſiquidem Velino per Cotylas & roſea rura, & Pinnatias, item & Veliam, & Teſtrinam Thebeos, & Veſtinum agrum ad Antianas & Crunienas aquas, & Veranas inſuper per vallem, quà

Corfinium itur, & quousq; ad Antianum nobile emporium, & ad Hadriaci maris littora peruenieris, ea prætenditur vallis, cui nomen ab Anſis prouenit. Anſæ verò altaria ſunt portatilia, quadrata, quæ ſuis conſtant pedibus: ea enim conuallis vicis, & vrbibus oppleta frequentioribus, frequentiores item habebat aras, & publicis, & priuatis in ſacrificijs perpetua quaſi vnius templi ſacrarum Anſarum odorata porticus, quarum exempla in vetuſtis monumẽtis cùm plura ſint, requiret nemo. Eſt autem Corfinium ea vrbs, quæ bello ciuili inter Cæſarem, & Pompeium vna inter Reip. arces delecta eſt: hæc eadem irruentibus in Italiam Barbaris ex omni Italia, confluentem nobilitatem excepit: & proinde vna hæc vrbs pro vniuerſa prouincia Italico nobilitata nomine, & adaucta populis ſteterat: ſed qua Anſaneti vallis ad Reatem proximior eſt, & qua IMELLA iuxta Caſperiam fluit, cuius de appellatione ſacrificio opportunum vas omne Imelum dixere vel futile, Feſtus, & Cato, prout dicemus infra: eam inquam gentium, & prouinciam, & regnum dicas, quòd ibidem confederint Vmbri primùm, qui ab Aboriginibus exacti ſunt, & hi quòd aberrarint cum corruptis Comeris exinde expulſi intra montium clauſtra occluduntur, tunc moderatiores locum hunc obtinuere Aborigines, qui & ipſi tandem à Sabinis extruſi ſunt, & res ad Amiternos, & Curetes Patres rediit. Sed & Cotyla quæ vnica, & innatans Inſula inquirentibus, & obſtupeſcentibus Pelaſgis reperta, & conceſſa eſt, eo oraculo adactis, apud Dionyſ. Halic. lib. 1.

Pergite quærentes Siculum Saturnia rura,
Atque Aboriginidum Cotyla, vbi ſe Inſula vectat,
Queis miſſi decimas Clario tranſmittite Phœbo,
Atq; Ioui capita, & tranſmittite lumina Patri.

Hi

Hi itaque dum terra, marique emissi quò nesciant, peregrinantur errones, dum quod quærere iubentur, inuenire desperant, errabundi reperere: hospitibus tetendere manus oliuæ ramusculo coronati, & oliuæ ramos item prætendentes, quibus circum circa insulam habitare permissum est. In ea post Pelasgos & scriptores omnes etiam & nos rei nouitatem ad naturæ ipsius miraculum admiramur, quæ fixam habeant vngulam animalia tutò super ea ferri, & pasci ad libitum & saturari: quæ verò fixas non habent vngulas minimè sustineri, & primo læui quantumuis calce, vel plantæ positione terram effossam in putrem resolui, ita vt tremere circumcirca, & fatiscere videas solum; Quare & refugere exinde solent equi, & eiusdem vngulatum genus, nec fuste impelli, vt illuc pedes iteratò inferant. Lacus is quatuor iugerum magnitudinem non excedebat. Insula perenniter fluctuans ventorum impulsu, gramen quoddam butoni seu carici simile, colore verò ad bitumen maximè, nec quidem magnum producit; aqua verò immensæ profunditatis, & circumquaque coronis cingitur lacus. Insula in diametro ferè quinquaginta pedum, neque vltra pedem ex aquis eminebat. Cæterũ ex deducto in lacum fluuio, qui arena sua, quod bituminis fuerat in collectanea illa algarum insula, dissecuerit, hinc inde quasi Æthiopica in secandis marmoribus arena dissecta est: & in figuram semiplenæ lunæ littori hinc inde bifariam diuisa adhæserit, & ea frugibus apta, nisi violentius ferrum incusseris: subtus enim aqua emanans altius prosiliet ad ludicrum incolis spectaculum; & ad horam vsque productam in tullos aqueos voluptatis, & admirationis scenam, ipsa in solitudine, vnius ad arbitrium quasi exercitatoris agitata placitum. Ea autem fluminis immissio quinquagesimum circiter annum facta est, intermediam per cuius arenam etiam fons quæ in profundo lacus est, suffarta densum ebullire bitumen non permittitur,

neque quid gignere, nisi tenue quoddam salgastrum, & quod quasi cratis per aquam innatans fertur. Neque vna, sed singulatim singulæ, vno item & altero circulo colludentes, sed alterum quidem minus: & si quis in eorum vtrumlibet insiluerit, quantumuis leniter, ac leuiter, insula nondum constans sub pondere tremit, ac subsilit instabilis, & inundata, vt potè ponderis impatiens, nutat per eam, quam diximus varietatem motus, & quietis.

Est autem illud bituminis signum, quòd introducta aqua superfertur, & in aduersum littus insulam impullit, & in eam quæ cubitum altitudine non excederet, alieno impetu impellitur, trahiturvè propulsata. Itaque nouus hospes, longa post tempora vetustissimæ antiquitatis, & religiosi ostentus, refecidit acta, quæ Græcus aduena veneratus est quidem, & Barbarus nunquam temerasset, qui de viciniæ ripis, & qui procurrere natus est, terræ poros aperire de fonte didicit sua in simplicitate, alio traductus volens nolens, tanta quidem rusticus accola ausus est & ea maxima, quæ nemo vsquam hominum intentasset.

At antiquitas eiusdem lacus Commitias Nymphas venerata est, easque fic dictas Varro adserit à commotu, quod ibi Insula in aqua commoueretur. Præterea, & Lacones per interiorem vallem iuxtà Amiternum succesfere hospites, legum quidem, & seueritatis amantes: sed Lycurgi atrociùs vitantes supercilium, & rubricam fugientes. Hi à Vestinis, & Curetibus peramanter, & comiter susceptì, & in medio locati Thebas condidere Boetias, & regionem hospitalem, & perhumanos hospites dixere Pitanias, in quibus Quintus ille, PINNIA familia, ad quam Varro III. de Agricultura librum inscripsit, de quibus in hæc verba Strabo lib v. Qui finitimos, & hospites potentia præualidos blandimentis alliciunt, & charitate deuincìut. Ita vt pedestris exercitus LXXX. millia, & equites VIII. millia aliquando domo emiserint. Et eadem pro-

pe

pe pagella, de Veſtinis item loquens ait: Hæc autem natio exigua quidem eſt, cæterum fortitudine conſpicua oſtentata Romanis eorũ ſæpiſſime virtute. Et Herodianus in Antonino: Præterea iuuenes Sparta accitos Laconicã, & Pitanniatam centenam vocabant. Agrum verò, qui Bœtiano collimitat, gentium attigit nemo. Veſtinis ſiquidem Ianigenis ingenuis intacta ſua patria eſt, & genus illibatum. Quis enim aut Italos Proceres alienigenas dixerit, aut Normãnos, & ex Hieroſolymitana expeditione veteranos nobiliſſimam Chriſti Domini militiam? Quorum plerique cœli ſimilitudine, ſoli fertilitate, atque optimatum noſtrorum humanitate allecti, & ſuaſi ſunt, vt media quaſi in via ad nouam expeditionem paratiores ſedem figerent temporariam. Quo facto adaucti numero maiores noſtri, & ipſi fortiſſimos viros in contubernium, & feruens iuuentus in diſciplina virtutum magiſtros obtinuit, quorum æmula, & virtutum appetentior per eoſdem formata ad vnguem, adſequeretur, & gloriam.

Sed quoad decimas, de quibus ſuperiori in oraculo agitur, Populus aliquando ab Hercule ſalubriter commonitus oſſella pro humanis hoſtijs obtulit, & de ponte in procurrentia præcipitia dedit.

Cæterùm ipſa de Veſta, quæ Vrbis regionẽ ad Septentrionem adauxerat, ea etiam ex parte montem, qui iuxtà eſt. Apenninus dicitur ab Apio, quod Veſtæ flammeum eſt, velumuè, ſeu veli apex.

Quæ verò ad Meridiem regio interiacet, & ipſe mons à Crania, Cranius appellatur, cuius, qua maximè elatus parte eſt, ocrea, promontorium format, & ibidem infrà Apia Vicus in Veſtæ venerationem conditus, qui & Auianum pro Apianum dici cœpit, arx inquam in Ciuitatis tutelam, & oppidũ ad annonæ cuſtodiam. Populus verò Opicus, cuius de nomine coloniæ deductæ plures. Crana autem ipſa eſt Opis, quod perpetua fulciret alimonia, & ſuffe-

ſuffectura mater familias, quæ in Reip. vtilitatem inter filios regnaret, quaſi vnius corporis membra conferens, qui omnes vno de Cranio, & Crania caro vna. Sed neque ipſa alia de cauſa Crania dicitur, niſi quòd regat, & repleat humanum corpus, per epar ſanguine, & ſpiritu animatum, veſtibus fetum, cibo recreatum: Ipſa eadem ad populi ſecuritatem Opis oppidum condidit, quale diximus, & ciues, ſi quid aduerſi accideret, ſe, & patriam tutarentur, & ab ea Cranium dicimus capitis oſſum prædurum, quod, & ornandum eſt, & armandum ad corporis totius regimen, & tutelam. Igitur eadem, in deducendis colonijs Opis erat in annonæ, & cætero apparatu ad expeditionem neceſſario, quæ Auia ab antiquitate, & Apia à loci diceretur vetuſtate, & Cathedræ prominentia, & apicis dignitate. Venus autem in adoleſcentiorum iuuenta, viribuſq; & viarum difficultatibus explicandis: item in caſtrorum vel hoſpitij ſoſpitem hoſpitalitatem præoccupandam, prouocandamuè, vbi maturè facto opus eſſet, eadem ipſa Venus nuncupabatur. Iuuentus autem, & ſoboles quæ in nominibus regula apud maiores fuerit nouis in colonijs exẽplo ex vno, ſed eodem eleganti, declaratur inſcriptione,

NÆVIÆ VENERIÆ,
NÆVIA PRIMIGENIA,
ET PRIMVS, PARENTES.

Primus: deducta enim in colonia Princeps eſt pro Iano: ſiue is in populo Princeps: princeps item qui vici Magiſter Tribunuſue, domuſue Dominus, pater familias, cui clauis proſceptro eſſet. Ianus itaque omnium pater viuentium, & coloniarum diſpoſitor, in principibus populorum conditor & paſtor, & doctor, agitator, & munerator, qui contemplationis ſtudio & mentis excellentia Rex humilis & ipſam per humilitatem Princeps optimus maximus odoratas ad aras quotidiana per ſacrificia propenſior, pro omnibus

bus inuigilabat interpellator. Eius itaq; ara pro senatulo: sacrificiorum enim prælibationes conuentus subsequebantur ad Reip.curam: statis enim diebus, nouis lunaribus, cóuenire iubebantur assessores: qui conuentus in Ianiculo primum habiti, & ius redditum. Conueniebant itaque Senatores, & hi quos adesse oporteret. Præterea dimisso concilio si qui vellent seniissimi patris canitiem veneraturi, & diuina commemorantem audituri, admittebantur. Hos inter assessores legitur Ianus Præsidens, Physicam, Astronomiam, & diuinationes, & ritus docuisse, & ad perpetuam memoriam rituales scripsisse, commendans omnia litteris. Docuit & artes mechanicas, Mathematicâ, & vsũ nauigandi monstrauit, qui dicitur duabus in ingentibus columnis, quarum vna lapidea, ne diluuio absumeretur: altera lateritia, ne conflagrare posset, quod docuit consignasse. Vnde factum est, vt posteri eisdem nominibus, & veneratione diuina sint prosequuti, quæ vna fuerat omnium lingua. Non enim linguarum confusio ante vrbis Babiloniæ turrim, & eius interruptam fabricam anno ante Iani Patris defunctionem decimo, à diluuio CCC. ipsa enim turris annos XXIII. post Italiæ regnum ædificari cœpit. Prisca itaq; lingua Hebræa, quæ in Italia Saga dicebatur, vsi sunt Ianigenæ vetustissimi hominum, secundum eos qui historias calluerunt. Eam verò reliqui, & minorum quidam gentium, Sabinam, vel Tuscam dicunt, qui si in Tuscis Sagas intelligunt, hos non reijcimus. Proinde Tuscos Sagas à Sabatio dictos negabit nemo: neque omnis Tuscus Saga: sed qui inter Tuscos bonis artibus, & sapientia præcelleret, vetusta de nobilitate pater, Senatorue habitus, is demum Saga dicebatur. Sabatius autẽ Curetis filius in Italiam aduenit, Belli irrationabilem iram, & insidias fugiens implacabiles. Primo itaque Semiramis anno Sabatius in Italiam appullit, & amanter, & iucunde à Iano susceptus est: quis enim hominum sanctissimo seni amabilior

bilior hospes Sabatio? qui,& pietate, & religione pontificiam adauxerit gloriam,prudentia canos exornauit, æquitatis Rex inclitus,populorum Pater. Quare,& aliquot post annos creatus Coritus Aboriginibus præficitur, & pro officij dignitate iuxta regiam adstabat sellam,adsidebatuè sua curuli iuxta posita consiliarius Regi, senatoruè Principi senatus, vel imperatori magister equitum, vel Augusto Princeps iuuentutis. Sed qui vt plurimum per Prouinciã, regnumuè sibi demandatum circumiens, pro tribunali tẽporario, iuxta forulos in gestatorio curuli hastatus ius redderet:idem de Iani mandato deducẽs colonias,disponensue omnia, collata cum Rege sententia.Et hoc loci animorum moderationem in Crano admiramur, qui Regis filius & Reginæ vir ipse, & hæres sine titulo consenuerit, & qui perhumaniter, & quàm simpliciter, & ex animo superuenientem hospitem excœperit, & creari Coritum passus sit, vel ob senioris reuerentiam viri, vel ob honoris contemptũ extrinseci, qui virtutum conscientiam sibi satis putaret. EQVIDEM sapiens omninò extra ambitum. Coritus autem à Curete in eo differt, quòd Cures ingenuus, & Senator est: Coritus verò populi, & item Senatus Princeps. Sabatio igitur Aboriginibus Corito otium fecit Regina, vt per Colonias Crana Razenuas inuiseret Venus filios, & Vestam omnium viuentium matrem, quæ selectissimas ex omnibus Vestales Virgines ea lege instituerat,vti annis senis diuino mancipatæ seruitio forent:binis scilicet primis ediscerent: alteris verò binis exercerent edoctæ iam sacra; & sempiternum custodirent ignem: tertio demùm, & vltimo binario anni primi nouis Virginibus magistræ præessent: deinde ob necessitatem generis & suffecturam coloniarum nuberent. Quo denotatur id sæculum habuisse institutas Virgines, quæ post anni primi disciplinam, quæ sacerdotis sunt legitimè possent exequi, & in sequentibus etiam aliarum regimen susciperе Virginum interim deligen-

gendarum: maiorum enim de teſtimonio aſſerimus Veſtales in Italia cognitas longe ante Babiloniam conditam, & Craniam ipſam à pueritia dedicatam Virgunculam. Deinde & Veſtalem, demùm & Veſtalium maximam, quæ in Italia Veſtaliũ illuſtrarit collegiũ, & ritè norit omnia obire munia, & dicere, & facere quæ & poſteros edoceret, pietatis Magiſtra altera & magna à Veſta matre maxima. Deinceps verò germani copulata coniugio, populorum mater, & Regina facta eſt inclyta. Sed hoc loci illud adnotãdum eſt, non eadem ſemper conualeſcere, cum ab Vrbe condita obſeruatum ſit, nuptiales faces, & connubia Veſtalibus ſemper male vertere: & è contra virginitatis votum perpetuæ perpetuò felix fauſtum fortunatumque & Virginibus, & Pop. Rom. Cæterum quæ in cauſa fuerint, vt apud nos teſtimonia Ianigenarum, Veſtinorum tanta & Cranæ, & Veſtæ, & Aurani, & priſcorum Regum ſcriptores præterierint, malitianè an ignorantia, aliorum ſit iudicium. Sed hæc ipſa, quæ antiquata nolumus, & quæ Sabinorum nomina, & facta, & quæ Aboriginum, & cognoſci, & dici cœperint ab ipſo edicamus initio.

Sabatius autem Coritus à Iano, & Crana in regni ſocietatem adſciſcitur, vtriuſq; aſſeſſor, qui exinde Medius fidius, & Semon appellatus eſt, & is vtramque per Tiberis ripam, qua vacuus inter Veſtinos, & Annianas interiacebat campus colonias diſpoſuit, ad dexteram quidem ſuo de nomine Sabatias, & lacum Sabatium nuncupari voluit: Amitinos verò quis deduxerit an Sabatius, an Veſta mater, an ne Crana incertum eſt. Ad ſiniſtram verò iuxta forulos Curetes ſuos à Veſtinis per Aborigines, deinde ad Septentrionem Caſperiam, vnde Aſprenates dici cœpere: ſed deleta eſt C. littera vetuſtæ dignitatis in Regum genere quaſi honoris pronomen, & ea Corona de nepotum capite per incuriam prolapſa eſt. Loca præterea vltra Aſprenates ad Velinum, & eam circa regionem, qua maxi-

mè Imella fluit fluuius, & iuxtà Velini cataractas, vbi is exuberans, & superfluens primùm liberè, deinde suo se coercens impetu, quo ipse sibi nouo saxo exitus obducit defes: ita vt non nisi excusso frœno, & quasi dissipatis repagulis à Reatinis limitibus quos supereminet præceps & vehemens (vt Nili cataractas dixeris) in subiectam delabitur campi planiciem, & adhuc feruens in excandescentia sua, Nar adauget sulphureis immixtus aquis.

At Imella leni decursu Ansaneti vallem ea ex parte ambit perutilis, & percommodus altarium ministerio, cuius si nominis etymon interprætatum volueris, Imelum memineris, quem legeris ad sacrificia vas vsitatum, sacrũ quidem, sed quod ambabus sustineri egeat vlnis, cùm breuiorem habet pedem quo consistere non possit. At in Ecclesiasticis idem vas fontem legimus, quod velocinc ũ circunferri & sustineri consueuerat. Is itaque circa frequentissimas Ansaneti vallis aras defluens superfertur, sustinetur que floridis graminibus quasi ministris, Camillisvè ad sacrificij celebrationem procedẽs, vtpote qui ripas non nosset, & quos super flores graderetur plecteret quidem innocens, nec tamen protereret, ipse sibi vas floridũ, & exuberans in fonte fluuius ipse fons, ipse & vas se suis sustentans humeris, ne prolabatur: nesciret enim humi per se consistere æquè ac vnda vel nympha caput super vndas exerens. Ad huiusmodi similitudinem vas per sacra Vestalibus futile ea de ratione, & eam ad cautelam, ita appellatur, vt ministra sustinendum intelligat, ne aqua exinde defluat, dilabatur vè. Hæc itaque ita posita si consideres Imella cur dicatur, & vnde Imelum, constabit satis. Qui neque à priori lenitate alienus neque sibi omnino similis adhuc est, & ad Septentrionem, & Occidentem descendit, Sabinos irrigans suos. At in Meridiem conuexos Latinos demum posuit Sabatius, cò quòd Latium à latitudine, & seueritate, & nominis Maiestate eam nuncu-

parit

parit regionem, qui regni sedem in Auentino collocauit. His autem de Curetum limitibus tribus Maro verbis disserit vates inclytus:

CASPERIAM FORVLOSQVE &c.

Idest, montana, & campestria, & decliuia in irriguum superius, & irriguum inferius: in Casperia enim montana omnia à Reatino agro ad Tiberim oram, & secundum eandem oram, & qua ad mare vergit: montium verò claustra, & planiciem omnem, quæ Latium dicitur, in verbo *forulos* significauit. In Imella verò imam vallem, quæ reliqua est Sabinæ regionis pars.

Item colonias extra Italiam deduxit, vel etiam transmisit plurimas, non ampliandorum terminorum, propagandiue imperij ergo: sed pro bono publico, & populorum oportuniori sede, ad alimoniam & securitatem, virtute curandam, tuendamque. Vnde ad grati animi significationem adhuc honorario titulo conscripti nationum Patres Sabini appellantur, vel, quod potissimum est, Sagi.

Sabatius itaque Sabinorum ditionem, vel potius pietatem adauxit: ripas interim Tiberis ponte coniunxit ligneo, trabibus concinne inter se connexis. Is Vestinis & Aboriginibus, & Tuscis & Vmbris, & vniuerso laudatissimus orbi adhuc vsque per omnium ora circumfertur fama vigens, quòd eo Rege fides, & veritas, pax & annonæ copia, & pudor ingenuus, & iustitia, & præcipuus Dei cultus adeò viguit, vt cum hominibus conuersari, nedum hominibus apparere dicerentur cœlestes virtutes Angeli Dei. Cuius rei famam publicam Catullus inter cœteros contestatur in epithalamio.

Præsentes namque ante domos inuisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere castas
Cœlicolæ nondum spreta pietate solebant:

Sæpe pater diuum templo in fulgente reuisens
Annua dum festis veniisset sacra diebus,
Conspexit terra centum præcurrere currus.

Isidem pro degenerum demeritis quæ subsequuta sit pœna mortales, subdit hæc:

Iustificam nobis mentem auertere Deorum:
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

His itaque humanum genus præmunitum virtutibus, his actibus, & operosa Regis industria maiores nostri non in incertum laborantes aureum fecere sæculum; si quidem per omnem Italiam frequentiora sacrificia: ita vt Oetria, ab Oetro, quæ patella est sacrificijs per liba opportunum vas, dicta sit prima, præsertim Etruriæ pars. Vnde & Ianigenæ Principes, & Duces Populorum, & Patres familias Patellarij Dij appellati. At in nostris, Sancti à Sangis, & Ansis, vt diximus. Titulus autem pro virtutibus, quæ in actione consistunt deferebatur. Actionum verò laus summa est in gratiarum actione. Supplicandi itaque & sacrificandi optimi Regis cura potissima. PIETAS enim virtutum prima, & vltima coronat munerationem magnificam, quæ & delicatissima est, quasi humanum cerebrum. Vnde qui fluere cœperint, obdurant nerui firmissimas & agiles in neruorum compages virium agitatrices. Sabatius deinceps populum omnem cis & vltra Tiberim agriculturam docuit, & religionem pro discentium modulo, & imitatione probata patribus: ex quibus delecti exercitatores iuuentutis, quam prædurabant in palestra, cursuvè, discovè. Iuuenes verò huiusmodi rudimenta militiæ ludum æstimabant. Si qui verò Religioni potius addicti viderentur ad sacrificiorum ministeria primum, deinde ad arcana mysteriorum educabantur. Maiores verò Oecumenicam politiam, & contemplationem suadere conabantur, prouo-

ca-

cabantque verbo, & exemplo. Quibus actibus Sabinorum, regnum creuit, cum sapientia regeret quos pietas educabat & fortitudo bonos ciues, bonos & eadem faceret colonos: Quibus recta omnia, & singula, & semper concupiscere, & videre quod verum est primum fecit, & sentire & dicere itidem & facere. Quare & pro Regis & populi virtutum meritis quot annis annua agrorum vbertas prioris anni vbertatem noua exuberabat annona, vt ipsam etiam terram diceres disciplinabilem, & humano vsui, & cultui propensiorem esse, feracioremq; fieri, ne pientissimi Regis disciplinæ in filios tantùm promanaret, & posteros frugi, terra ipsa frugalior videri, & laudari multæ frugis, & plenissimæ vbertatis aureos explicaret in segete sinus, culmosvè.

Aderat in fœminis, aderat in iunioribus pudor ingenuus, omnes in officio continens, & prudentia, & prouidentia patrisfamilias comites: Curiam Regum diceres Conuentum, Iuuentutem Deorum sobolem, Regem ipsum Patrem Patriæ, quem seniores imitari, quem referre iuniores, & vultu, & moribus, ipsis ediscerent verbis, quem perpetuum habere rectorem optarent & diuinæ voluntatis interprætem Senatus, Populusq; publicè priuatimque venerarentur.

Is Pontificia auctoritate pontem, vt diximus, Sublicium constituerat de Auentino proximiori in Ianiculum, quo facilior esset ad Ianum transitus, vtramque ripam connectens, & vtramque frequentioribus matrimoniorum vinculis. Præerat generosa in sobole amor mutuus, indissolubilem faciens animorum concordiam. Quibus operibus sapientissimus vir Sacerdos, & Rex pacificus in Italia, vbi latere voluit latè claruit, lateronibus stipatus Curetibus, Senatoribus scilicet & Prætorianis titulis felicissimus regnauit Saturnus, laudatissimus quidem omnium votis, omnium vocibus, sed nusquam satis. Hic iam senior Sa-

bum

bum filium præfecit Sabinis, & Aboriginibus: ipse verò contemplationis studio deditus, cum Curetibus aliquot, populi scilicet maioribus (nõ enim multos secum duxerat) in quibus tamen & Sacerdotium, Collegium, & Senatum, & Prætorium, & dispositam intelligas Curiam. Inde & Camulus salutare numen Sabinis notum, assessor scilicet, & consiliarius, & custos corporis, quod idem est cum Pallade, vel Vertumno, vel Enyalio, siue & Belbona, vel Bellonæ alumno: siue ipsemet Mars, quem Quirinum dixere Romani vrbis custodem, cui hastam dedere & clypeum, & pro galeæ cono frons vitis: quo symbolo securitatem, & annonæ copiam designabant. Hi itaque Curetes Vestinis adaucti, iuxta Tiberim Palatium deduxere coloniam. Ipse verò Sabatius regionem iuxta Ianiculum Saturniam coluit. De prima itaque Sabatij Curuli, prætorioue, ex Auentino inquam, per posteros salutari Prætor cœpit Dux, qui exercitum per pontificem abdicatum in prouincias, vel colonias deduceret infra eum montem Capitolium ara media ad huiusmodi salutationem. Sabatius itaque Sabinis, & Latinis suis eam regionem dedicauit. Sed Auentinum, & Petusculum, prudenter inquam, & in Spiritus sancti lumine S. R. Ecclesia secundam recensuit in distributione Regionum Vrbis Romæ. Quare & nos qui hæc omnia ad Christianam pietatem aptamus, & Ecclesiasticam exordimur historiam, hoc loci Lectorẽ monitum volumus, in Iano, & Sabatio quandam felicitatis Ecclesiasticæ figuram inesse prænunciam: sicuti enim Ianus per diluuij aquam fabricata naui, quam Arcam nuncupauit, vt copiam necessariorum in ea, & aram supplicationum subintelligas, saluum reduxit sub Dei manu genus humanum; qui item gentium Pater & dispositor, per multiplicationis benedictionem: Is inquam Ianus in Italiam aduenies, Ianiculum incoluit nouam Coloniam iugibus odorans sacrificijs, & conuentibus illustrans, &

suo

suo demum sepulchro. Ita & Petrus Apostolorum Princeps Ecclesiæ fundamentum, & Ianitor, fidelium Pater, & Pastor populorum peruigil, per regenerationis aquam salutem prædicans, & Saluatorem Christum, pacificus Romam aduenit, Romanis arcibus trophæum Christi inferēs, & eundem Ianiculum bonæ confessionis suæ locum eligit, & triumphans dedicauit proprio sanguine, & sepulchro celebrem perpetuo efficit.

At Sabatius persecutionibus agitatus, Romam tandem aliquando deuenit, & læuum Tiberis latus obtinèt, consors regni, consors collega vnanimis, qui alteram ad ripam vtramque, vna cum eadem esset Ciuitas, quæ flumine disterminata videretur, vt in Sabatio Ianum diceres alterum, vel germanum pro voluntatum communione, & consilio, & sacrificio regionem suam religione adaugens, Auentinum fecit Ianiculo comparem: & tandem ad requietis æternitatem euocatus, quò potuit offibus suis decoratam voluit inter Sabinos posteros.

Nec minus fratrum, & Tyrannorum persequutionibus agitatus B. Paulus Apostolus, vas electionis, in vrbem aduenit, eandemque Regionem, & Petusculum pro Christi nomine in Ecclesiæ ædificium, & vnitatem, qui eadem in Ecclesia, eadem in Petri nauicula, quasi ponte, & charitatis vinculo Populum Romanum connectens insolubili, proprio sanguine purpurauit. Quamobrem ciuitatis Dei etiam pomeriæ, Augustalibus tensis, & velis obumbratæ, nedum altera fluminis ripa, aris Christo Domino positis, thimiamata arderent Deo in odorem suauitatis, & nos perpetua deuotione præsentissimi numinis vtrobique Tribunal veneraremur. Sed ad historiæ telam filum reducamus. Defuncto Sabatio Rege, Sabus filius, qui apud Helernam (Cranam scilicet) Coritus, & Aboriginibus, & Vestinis, & Sabinis præfectus legitur, a læuo Tiberis latere regionem omnem, & quidem frequentissimam, re-

gun-

gendam susceptit: ad quod respexit Virgil. Aeneid.

——*Qui de patrio cognomine primus*
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Varro tamen aliter, neque ab re, id cognominis interpretatur, quod ea gens P. P. colat Deos, id est, præcipuos patrios, vel PATRES PATRIÆ.

Cæterum Ianus suum apud se Coritum aduocat Cranũ filium, & demùm sanctam in requietem clausit diem, expletis vitæ suæ, à diluuio per arcam, & columbam renascentis sæculi anno CCCL.

Hunc Ianigenæ fleuere omnes, & posita in sanctissimi patris honorem statua intra ædiculam, non procul ab vrbe, in eius recolendam memoriam, Vertumnum appellauere: cui & annuos, & perpetuos impenderent honores. Hinc illæ Vertumnales figuræ & cærimonię Gentilium in Idololatriam defluentium. Hinc inquam in Zodiaci circulo figura sub silentium, quam Criobolium, Iacrobolium que per festos scilicet, & statos dies mystico apud eos vocabulo indigitatum voluere, vt qui hoc initiarentur sacramento, in æternum renati dicerentur: sed & Laurea celebrioris optionis significationem ex numero graduum Zodiaci, quasi Sol ipse labores, quos in circumeundo ad lauream adipiscendam ferre solet, hoc hominum commento vitaret, iniecta ea per tenebras offa: occultata inquam noui iubaris claritate vestibulo noctis, & hac ratione victor diem produceret. Hinc & illa Daphnæ Virginis Apollinem fugientis, quasi pro virginitate tuenda hæc fugeret: ille verò ad gloriolæ famam curreret, & illius metamorphosis æternitatem. At Laureæ symbolum erat Virgo, viro matura, vultu occidentali, oblongo, & candido, scilicet quæ ex Occidente in Orientem verso vultu respiceret, cui os sacrum pro laurea fronde ad admirationem vsque effigiatum antiquitatis cernimus in monumentis, & dexterum super caput in coronam reducens digitorum figura ad computũ

trice-

tricenarium, & sexagenarium exprimit numerum, quasi Hesperus perpetuo anni tempore decurrens mane in Phosphorum præcurrat, ad vesperam verò Vesper solem subsequatur, omni nube expurgato cœlo, & lumine suo diei sufficiens claritatem. Itaque Solem nusquam diceres occiduum, aut intermortuum, cum lux per Hesperum supersit amabilis. Curetes verò in falce, quam Saturno fecere, eandem renascendi spem in coronarum iterationem significatam voluere.

Sed iam tempus est, vt omissis fabulis, ad historiam redeamus. In Iani defuncti quidem Saturni sedem in eodē ipso Ianiculo conscendit Crana, quæ apud nos Helernam, & Calpen suo de nomine nuncupatas condiderat vrbes, præter Colonias quas diximus reliquas. Ipsa & Ianigenarum Razenuorum, & Vestinorum mater vnica vteri sui filios in Italiæ gloriam, & concepit, & peperit, & aluit, & rexit: regnauitq; pro Iano Patre annos circiter xx. seniissima Principum: cui successit Cranus Raze germanus, compar, gemellus, coniux. Is Cranæ diuinos decernit honores. Qui autem fuerint huiusmodi honores, quos diuinos diximus adamussim describamus, quo res fiat planior. Ad defunctorum itaque pro meritis, demeritisvè discutiendis, locum aderat Prætorium, et vltra Prætorium, quod ad Orientem excurrit: sed ad Meridiem, qua Occidentem vergit Amiterninorum aderant et sepulchreta, cœmiteriavè, quod scopuletum à maiorum denominabatur ossibus. Ibi à Prætore, et patribus ad hoc constitutis, vti diximus, dijudicabantur ex proprijs operibus, qui vita defuncti essent sepultura, ne digni quoq; loci, quaquè pompa sepeliendi: quale discussionis iudicium vnico in sepulchro quod est in ædibus M. Antonij Florentij in Quirinali cernere est. At qui omni exceptione maiores reperirentur, hi vt patres Patriæ, Isi, vel Iti dicebantur, quibus vel summo in cliuo, vel media in vrbe, vel spectabiliori loco cœmiterij conde-

bantur, et eorum de nomine eidem loco nomen imponebatur, et annua eidem statuebantur: in quibus axamenta carminauè in defuncti laudes decantata. Ea enim ita Festus appellata scribit: maioribus item et coronæ ad sepulchrum plures, et vittæ apponi, et coronati, et hæc iuremerito circa dignos. Reliquos vero proijci et negligi. Quamobrem Dei timorem, & legum reuerentiam didicere, compulsi metu improperij, vel virtutum amore: item & Ciues pro statu conditione amare, & reuereri; & ad Patriæ salutem, ad Deorum cultum dirigere omnium animum vires in semetipsis, & filijs familiaque omni excolere, & vberiorem in dies pro virili educare, optimam in frugiem alere. Inde est quod Festus forum Sepulchreti vestibulum adserit. Relata itaqua Crana & in Vestinis condita, vnde Cranio móti nomen, qui à Sicanio Sicanites dicicœpit, sed Canius communi voce cognitus. Is itaque diuinus honor apud eos erat & is honoris apex apud eosdem maximè, ne in idololatriam tàm citò collapsos putes Noctis filios, & Nepotes etiam sub ipsius pientissimi Noctis oculos.

Cæterum exinde subortam Idololatriam lapsu temporis ex remissa in patribus disciplina, & degeneri Principum fastu, & procaci lasciuientium licentia, cum sanctissimis quidem affirmamus auctoribus, qui idem in omnibus eisdem consentimus.

In vrbe autem media locus raro concessus est, vt duo tantùm in vrbe Roma legantur, Faustulus scilicet pastor, qui Romulum nutriuit, vt Tata: is enim in eo quem sibi Romulus Vrbis conditor locum præparauerat conditus est summo in comitio aram è regione prospectabat maximam inter vtramque cauea, circa quam consessus patrum, vel senatorum. Ea autem in fossa primitias rerum omnium, quibus lege vti licet, & ad victum necessarijs coniecerant, & ex ea præterea, qua quisque profectus esset, particulam quandam terræ, vel glebæ ferens, hæc quidem commisce-

bant,

bant, vocabantque fossam ipsam eodem quo Olympum nomine: deinde in figura circulari circumscripserant Vrbem, atque ita commune, vel Rempublicam in comitio indicabatur, & eodem quo Faustulus loco proximus Hostilius perpetuus Romuli latero, & hospes, sepulchro honoratus est: vt in Tutulo, sicuti & Tata comitium pateret ad sepulchrum: cæteri verò aut summo in cliuo proximo, montisuè cacumine cominus eminus conspicabili, quo sepulchri locum suo decorarent nomine, vt Remutiam Remus. Complantabant autem circa huiusmodi sepulchra lucum, vt qui annuam ad solemnitatem in eius memoriã conuenirent, consessum haberent & conuiuium interdu, sub vmbra scilicet, ne domesticam desiderarent vitem, sed recumberent quasi sub velo ditioris patris familias, qui illius cœnæ pater esset. Pro considentium itaque gradu, appositis per epulones, ædilesvè dapibus sobrietatis, quæ virtus in conuiuantibus frugi est. Sed ne quid indiscussum prætereamus, Comitium pro Conitium maiores vsurparunt, conuentum scilicet virorum fortium, qui Reipublicæ vtilitatibus nati consilio præpollerent, & viribus: & ad indicandam vim rei ea in voce significatæ, M. pro N. scriptum voluere.

Imminebat autem ipso in sepulchro columna, supra quam in conchilij imago esset defuncti, asphalto vt plurimum, vel minio colorata, cum inscriptione quæ testaretur in posteros ibidem sepulti nomen, & merita.

De sepulchro Reginæ historiæ fides deficit suppositum per textum. Cæterum Cranianæ apud nos aquæ ad Cranui montis radices vbi primum deflexit in Aternum influit: locus is eminens regij pro tumuli dignitate delectus (vt puto) & adhuc promontorio illi luco monti nomen perseuerat. Est autem is Calpæ ad dexteram ad Orientem longo protractum spatio: sed hoc loci & decliua montis portio quasi in caueam descendit.

Et proinde NIHIL sub sole nouum, qui protulit sapientiæ testimonium, eloquutus est. Nam & in lege veteri primum & apud Gentiles item quod reperit, & probauit sancta Mater Ecclesia, id quidem suum aptauit in vsum: nã & præ templi foribus, & atrium habet, quod Palmatum dicitur, in cuius medio fontem prout in maioribus basilicis & Vaticano præsertim videre est Patriarchio, quod ea de causa Paradisus legitur, vbi anniuersarios per dies exposita in communi, vel priuata agape, conuenire, & conuiuari consueuere iuxta sepulchrum quisque suum, quaterna sub porticu, accumbentibus ad mẽsam Principibus: plebs verò in area quæ media est, vbi et commune, vt diximus, habẽt sepulchrum. Et eo de instituto festos per dies in natalitijs Sanctorum sigillatim singulas adimus, colimus Martyrum memorias, eam inquam per diem qua cœlesti natiuitate & triumpho compotiti sunt, & militia perfuncti: quo die in eorundem venerationem operosè feriati solemnitatem agimus: rationalibus quidem quanto magis eorundem acta imitabimur & fidem, quam professi, & effuso contestati sunt sanguine sanctissimi Patres, lucidissimæ columnæ Ecclesiæ, qui Christo Domino nos plebem peperere, partamvè adauxere. Neque enim nobis satis esset frequentius per excubia stationalia sanctis aduolui sepulchris, & cereos accendere & lampadas suspendere more maiorum oculis illacrymantibus. Itaque hoc ipsum est quod in primis orantes exoremus, ad hoc etiam alter alterum hortemur, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Et nos huiusmodi per studia eorundem commendemus orationibus, ipsi enim interpellant pro nobis, & possunt impetrare & pollent omnino, & volunt vtique & faciunt.

At sanctorum sepulchra Martyrum constituta intra ipsum templum, & sub ipso altari, qui locus Confessio dicitur & Martyrium. Cœmiterium verò omnium princeps ipsum est Vaticanum: Lateranense enim patriarchium nus-

quam

quam cœmiterium legitur, neque titulus: quamuis reliquiarum omnium sacrosanctorum corporum, siue Vrbanarum, siue peregrè aduectarum, potissimæ ibidem adseruentur portiones: vnde Conditorio illi nomen factum est celebre, ita vt Sancta sanctorum appelletur.

Placet & hoc loci annotare maiores nostros etiam priusquam Christianæ fidei iubar splẽdesceret, iam semper certos de animorum immortalitate hæc constituisse, & celebrationis annuæ perpetuitatem satis contestatos esse fidei veritate inconcussa. Placet & illud præcipuè in Vestinis, vel agro qui Aquilanus dicitur, obseruatum, recolimus apud nostrates nullam vsquam hæresim aut enatam esse, aut aliunde allatam: sed neque vel saltem suspicione subodoratam, & id quidem summo Dei beneficio acceptum referimus. Quod & Pius V. sanctissimæ memoriæ, & in fidei puritate exquirenda vigilantissimus obseruauit, & venerabili edixit testimonio.

Sed iam ad se nostra reuocat nos historia, cuius digressionis paradisus Dei, hic fuerat Italiæ statutus: quam per vtramque ripam bipartitam diximus per Sabinos, & Tiberim in Vestinis Aborigínibus Latinis vna ex parte, ex altera verò Tuscis, & Vmbris. Vt quæ dicenda sunt congruentius, & clarè exprimamus: In Sabinis Vestinis vtique Ianigenæ Razenui, & Aborigines, & Vmbri olim computabantur: quos nec ripa fluminis disgregat, quibus Apennini iuga dorsumvè perpetua sinuantium culminum connexione insolubilis pons æternitatis. At Vmbros vel ad alteram ripam computes, vel per se ponas licet: & quas Sabatius in eadem ripa altera colonias posuit, hos Amitinos inter Tuscos connumeres populos. Sabus itaque Sabatij filius qui nostram præsertim regionem, & optimis formarit legibus, & gentis gloriam adauxerit, de patrio nomine Sabinos appellatos voluit. Sed audiamus Silium qui Pirrichi-cum illud decantantes Sabinos descripsit:

IBANT,

IBANT ET LÆTI PARS SANCTVM VOCE CANEBANT
AVCTOREM GENTIS PARS LAVDES ORE FEREBANT,
SABE TVAS, QVI DE PATRIO COGNOMINE PRIMVS
DIXISTI POPVLOS MAGNA DITIONE SABINOS.

Magnam itaque appellat ditionem, quæ à mari vsq; ad mare protendebatur quà longissima est in Italia, exceptis Tusciæ terminis, secundum Tiberim collimitantibus: ita vt per longitudinem protensa ab Adriatico mari distans stadijs circiter CCLXXXII. à Tirreno autem in latitudine patens plus minus mille definiatur stadijs.

Aiunt post Cranam Cranum regnasse, qui filium nobilem Principem (is enim Aurunus Sagis est) Coritum sibi delegerit, vnde & Aruntini: qui in Camillarios & Fidentiores, & seniores exercuere, cuius de nomine apex ipse summo in Apennino apud nos Cornu dicitur pro Coritu Auruno: & is idem secundum sinus à se nuncupatos disposuit per montana generis sui populos. Excepit idem & plerosque aduenientes, quos & certis in locis collocauit: nam & iuxtà Atriam secundum littus quo in Apuliam protenditur, naui appulere Ausones. Deinceps etiam recensent & Malot Tagetem Auruni filium, & ad eum maritima expeditione appulsum autumant Phætontem cum suis, qui videns omnia ab Ausonis occupata in Orientali, & Montana ab Insubribus & Aboriginibus possessa: planiciem verò à Vestinis vel Ianigenis habitatã, in Occidentali parte locum petijt, possedítque cum sua posteritate montes, & agrum omnem, qua Eridanus fluit vsque in regionem proximam, & ea loca denominauit quibus voluerit nominibus. Sed & hoc de illius Annij commentitijs textu, & post Phætontis aduentum Italia circa Istros Cyme-

merios, & Vesuuios arsisse, vocataque ea loca Palensana, id est, conflagratam regionem.

At hunc ipsum Festus scribit Genij filium, Iouis nepotē, qui adhuc puer auruspicinæ deditus, auruspicij tandem disciplinam tradiderit XII. Etruriæ populis. Aiunt & post Tagetem regnasse Sicanum, de quo suprà.

De aurea ætate, & ea quæ subsequuta est breuibus quidem Virgilius, vtpote qui incertis in historijs non multis immoratus est:

Deterior donec paulatim, & decoloratas,
Et belli rabies, & amor successit habendi,
Tum manus Ausoniæ, & gentes venere Sicanæ,
Sæpius & nomen posuit Saturnia Tellus.

Nam & interea Gigantes per vniuersum orbem iterum efferbuerant, quibus pro lege tyrannis. Quid enim tā vastis corporibus aut immani sufficeret cupiditati nisi aliena, & omnia? Diuinum timorem, & terræ cultum tenuiorum putabant hominum, & hos quidem Giganteo mancipatos obsequio, quòd eos, quibus parcerēt, seruasse ad seruitia domestica, forensiauè, rusticauè destinatos putarent. At Osyris Ægyptius in Thracia primum ostendit in occiso Lycurgo Gigantes mortales esse, & vinci posse, qui eosdem pœnas pati coegit, & Regem, & leges vindices pauere docuit. Deinde etiam apud Ematheos, quos Macedones dicimus, plures simul victoria vna pugnam per vnam strauit feliciter. Is itaq; Osyris post Sicani obitum accersitus ab Italis, populorum scilicet Maioribus XII. VI. R.P.C. Vindicibus, aduenit in Italiam, vbi nouitas, & virtus semper imperant. Is Gigantes deuicit omnes, & si quos seruauit, eos in triumphum duxit, omni potitus Italia, comitatus Hercule Chone, à quo vltima in Italia populi Chones, qui à Sabinis tandem eiecti sunt, L. Castronio Duce. Osyris itaque Lestrigonem Gigantem ex filio Neptuno nepotē Regem constituit. Qua de re lætitia, & securitas populo-

rum

rum quàm breuissimis est concluſa ſpatijs. Res itaque publica publicè traducitur de Tyranno ad Tyrannum, & eo magis trucem quòd & iuſto regnaret titulo. Quis autem in Tyranno animi moderationem, temperantiamvè requirat? in quo vno, & vaſta omnia, & immania omnia fluctuant, æſtuant, confringunturque?

Interea virtutis nuſquam oblita Italia per Forcum Cados, quem alij Porcum, vel Porrecum ſcribunt, qui Sene vtranque inſulam Sardiniam ſcilicet, & Corſicam Vehis colonijs repleturus eò loci appulit, & incoluit, & in vtraq; Aliſtam Vrbem ex D. Gregorio, & alijs ſcimus: item Aliſtam in noſtris inferius ex clariſſimorum auctoritate ſcriptorum ponimus, cuius nominis in Tuſcia nulla vſquam legitur. Aliſta enim Aboriginum Metropolis iuxta Reatem fuerat, quæ ab Amiternînis diruta eſt. Forci verò nomen inter montium iuga nouimus, quà exitus, tranſituſvè datur: & inter ſummitates Apennini Forrecam Apuenſem habemus, quòd is Phorcus dum Italia tumultibus concluſa Giganteis agitaretur, ipſe viam ſibi, & ſuis ad gloriam aperiret, quæ inuia putaretur. De Phorco autem hæc Virgilius,

Phorcique exercitus omnes
Vbi ſapius.——

Nam & ſecundum Apennini cliuos, ſinuſvè in proximis eiuſdem de nomine Porcinarium vicus, & mons ſuperat & Cadichium, & Porrecadicum, & Veuium, quæ loca poſteri dixere Suium, vel Vium, & Porcinarium. Sene verò ex nominis vi ſacram denotat crepidam. Vnde Senicium habemus, & qui Senicio de Vico populus nouam in Vrbem Aquilam commigrauit, nomen tamen deſertus ſeruat locus, & exiguus in proximo lacus ad Orientem. Inde in ſequelam per Vicos diſpoſiti ſunt Aruntini, Fidentiores, & Camillarij, recta regione ad Camponiſcum Vieſi à loci Dominis ſic denominatum. Aiunt autem à Camplo

baſcono

bascone tempora, à quo gens CAMPLIA.

Q. CAMPLIO. Q.F. VIRILLIO. V.I.VI-
RI VM. SIBI.
ET TATINIÆ M.F. VERÆ VXORI.

A quo Campilia iuxta Teramum, vtraque oppida non ignobilia: & Seruius ex Varrone Phorcus: hic Neptuni ex Phoote Nympha filius fuit Sardiniæ, & Corsicæ Rex, qui cum ab Athlante Rege bello nauali cum magna exercitus parte victus fuisset & demersus, fabulantibus occasionem dedit Phorcum in Deum Marinum esse conuersum. Sed hunc ipsum posteri dixere Portumnum, quem & Ianum. Tum incolere placuit etiam Ionij Maris Insulas, & Cyprum, quam Vestina de Cupra sic denominauere, vti & eadem in Insula Thyum Vrbem de vici nomine qui apud nos est, infra Eburios ad milliaria circiter octo, cuius adhuc insigne populare perseuerat vetustissimum, quod est Citri pomum virenti ramo circumdatum. Cæterùm quod Insularibus in colonijs mediteraneisvè immixtos Ianigenas legis Aborigines, id etiam in montanis obseruare poteris. Hi enim Regem, vel Ducem auxiliares sequuti, eadem alibi qua in Italia lege sedes obtinebant, siue in insulis, siue in continente. Et hoc etiam factum est ratione, ne locus vllus vnquam sine oblatione & sacrificio, & diuino cultu sordesceret, sed rudium eruditione, & pietatis propagarentur studia, & virtus auita germinaret in posteris vbique locorum: id vnum præ cæteris Ianigenorum curante Senatu.

Sed cum adhuc LESTRIGONES in Italia regnarent, Herculem per Celtas aiunt aduenisse Lybium. Hic ille est Hercules Osyris filius, qui monstra vbique terrarum perdomuit sustulitque laboriosius, & Lestrigonas in Italia Tyrannos nonnisi decimum post annum debellatos expulerit qui exsiccatis paludibus loca culturæ feraciora, & fre-

quentiora fecerit. Is & pleraque oppida suo de nomine condidit. At quia Heroes Hercules appellarentur prope omnes de virtutum præcellentia, exinde facile probantur Hercules omnino plures vnius de nomine, cui quasi capiti membrorum omnium officia ad virtutem Heroum omnium virtutes attribuit antiquitas: & quidem exinde temporum ratio nutat, & actionum series male constat, & historiæ fides abrogatur. Illum verò vetustissimum Herculem aiunt ex Arana coniuge filium sustulisse Tuscum, quem post patris obitum regnasse in Italia, & Galatheum fratrem aduenientem perbenignè suscepisse: & aliquando cum colonijs in Syciliam amandasse ad certam nominis gloriam, & regni thronum.

Aiunt & alterum filium eiusdem nominis, qui post patrem regnarit, cui & eidem successisse Kithim, qui & Colonias trans Alpes deduxerit, & recensent post eum Morgetem filium qui Campoblasconi cognato, & Electræ viro coritatum detulerit, qua de causa regnum deinceps assequutus est, & dictus Hastatus Iuppiter, item & Iasius, siue sospitator Iuppiter.

At Roma iuxtà Ianiculum summo in Auentino sedes fixerat, & Sicanorum Coloniam sub regina Aboriginum alteram ad ripam scilicet subsidentibus Sicanis.

Hæc itaque Roma Romanę Vrbis, & nominis fundamenta iecit, cuius imperium orbis terrarum, nomen nec ipsum præscribere cœlum aiunt, cuius ad æternitatem focum excitauit subregina, per quam Vrbs maxima exiguis posita est initijs. Et quidem Romuli temporibus iacebant in pluribus antiquę fundamenta fabricæ, quæ Remus restituere optauerat: sed Romulus prę qualuit, & Palatinum murum cinxit, & communiuit. Auentinum verò de Remi sepulchro Remuria dicebatur.

Post Romam Romanessus filius Subregulus Montanorũ fit Aboriginum; hoc contentus titulo ne matre subregina

natus

Digitized by Google

natus humilitatis reſpueret dignitatem: & hic honoris contemptus notabilis eſt, dum Mater non Regina ſed Subregina dici vult & filius ſubregulus regiam adaugeat gloriã. At hæc ſi qui degenerum quaſi deliramenta Principum derideat, is ſibi vni ſapiens erit nemini Rex optabilis. Adſerunt & Romaneſſæ filios Ianum, & Dardanum, & de iuriſdictione inter ſe certaſſe acriter, & Dardanum, vt aliquando vinceret, Iaſium fratrem per inſidias occidiſſe. Sed quod pro Iaſio Tuſci ſtarent, & Siculi, & Siceleus, qui in Celtiberis regnare cœperat: è contra adeſſent Dardano Veſtini Curetes, & Aborigines, hoc vno inter fratres diſſidio concuſſa eſt Italia omnis: proinde ea quæ rerum viciſſitudo eſt, Tuſcorum res adauxit, & gloriam noſtratium verò adduxit. Fugit enim Dardanus in Samothraciam, & ibidem diutius latuit: Principum, & ciuium conuentu abſtinens, poſtquam nudata latera ſibi vidit aſſeclarum cuſtodia.

Succeſſit Iaſio Corybantus filius apud Tuſcos. In Veſtinis verò, & Aboriginibus Romaneſſus Romæ filius: & is primus Saturnus conſtituitur, Pontifex ſcilicet Maximus, quo titulo regnarunt etiam & poſteri.

At Romaneſſo defuncto, Picus Priſcus filius ſucceſſit, anno ſecundum Lucidi ſupputationem, eodem quo CHENCHRES ACHERRES, qui & PHARAO. Is Hebræos, quos abire permiſerat, terra marique infeſtius perſequitur. Sed adfuit vindex Deus, qui populo ſuo mare rubrum ſicco pede calcabile præbuerat, ſubſequentem Pharaonem cum omni exercitu excitatis obruit fluctibus. Vt miremur in maris natura quandam manſuetudinem, qua ſe Populo Dei calcabile exibuit, & admiremur item tractabili in elemento iram, qua perſequutores incluſos obruerit.

Deinde ab Athu in Regni Meonij Partem adſcitus eſt Dardanus: & ita Regni Troiani origo conſtituitur: ipſe

verò, si quæ in Italiæ regno iura haberet, resignauit Turrheno filio Athus, & deinceps constituta est Dinastia in Tuscis duodecim populorum Ducibus, & Larthe; vnde Ilioneus apud Latinum Regem.

Hinc Dardanus ortus
Hue repetit.

Vbi Seruius non petit, sed repetit, quasi propria.

In tantis rerum varietatibus, & Principum nouitate, quis Ianigenarum, Vestinorum, Sabinorum, & Aboriginum fuerit status, edicere operæpretium, quod ea aut nemo attigerit, aut plerique inuerterint, aut præterierint, inuidiane, an ignorantia, nihil disquiro: sed quantum per Veritatis testimonium liceat Regionum altrici dulcissimæ adero Patriæ. Nam & pleraque consulto omittimus, quia fide dignum auctorem non habemus.

Coaluerant quidem in populum vnum, quas recensuimus gentes, licet intra suos quisque limites exuberanti annonæ copia, florentibus vrbibus, oppidis, vicisque, adinuentis artibus, adaucta religione, etiam in fœminis venerabili morum disciplina, fraterna dilectione in alterutrum, & maiorum reuerentia, & diuino in cultu propensioribus animis, frequentioribus aris.

Cæterum in politioribus, eisdemque ornatioribus, Virtus æmulationem prouocat, æmulatio si Virtus aderit, gloriam parit. Sed quæ Pegaseo insidet gloria contra exorientis iubar Solis, & ex animi candore metitur omnia post se equitantem nusquam videt vmbram, nihil tale suspicata nusquam proturbat. Illa igitur diuturniorem per moram creuit, ita vt quasi Decumanus limes ad Occasum vsque protendi, & omnia opplere videatur. Proinde huiusmodi de gloria, & æmulatione quasi de fastigio fastidium excitatur in seminarium inuidiarum quo dissentiones in populis, contentiones in conuentibus, contemptus; & ex contemptu inimicitiæ implacabiles, odia intestina, bella ciuilia.

Qua

Qua de re Sabinorum Patrum iussu Prætor, cum exercitu, præeuntibus facibus, ex Amiterno nocturna irruptione Aliſtam Aboriginum Metropolim feriatam adoriuntur, capiunt, diripiunt, ſolo æquant. Ciues, quos clades non intercepit, à Reatinis ſuſcepti gentilibus, quòd ex Aboriginibus ea vrbs magna ex parte conſtaret, cum de repetundis fruſtra agerent, nec vlla de vindicandis ſpes in armis reliqua, diſquirentibus omnia, obrepens occurrit ea, quæ in rebus trepidis incuba deſperatio, nec ſilenti temperantior, nec obloquenti frugalior eſt. Itaque Aliſtani extorres agrum olim patrium, & patriæ rudera Dijs deuouere in poſſeſſorum odia, in ditionis vilitatem.

Ea verò offenſa Veſtini, quod ſumma rerum, & ſacrificiorum, placationum, item & execrationum apud Amiterninos Patres eſſet, qua etiam victi, & extorres abuti auderent Aliſtani, Reatinorum occluſi mœnibus, contra Reatinos exarxere, quaſi hoſtes in fide receptos ad huiuſmodi intentanda animaſſent. Igitur Reatinum agrum Italiæ lumen depopulari, occupare, obtinere graui mulcta, vt Reatinos pœniteret pro Aliſtanis ſtetiſſe.

Sed, quod humanis in actibus frequenter accidit, NON OMNES PROBANT OMNIA, ex Patribus aliqui, & plebe, vti par eſt credere, & in libera adſolet Ciuitate, abdicationem hanc quantumuis rationabili de cauſa; quòd belli cauſas temerè cauſarentur, nulla admonitione præmiſſa, placidiori feueritate, ſeueriori diſſidio ſe à fratribus ſegregarunt, qui ſe ea de cauſa Æquos appellarunt.

De generis antiquitate priſcis in Italia Populis, & nominibus recenſenda, nemo eſt qui dubitet, nemo qui indigenas neget: & tamen pauciora ſcriptorum teſtimonia haberi, & produci poſſint. Sed ea noſtram per interpretationem dilucidiora fient pro venerabilis æquitate nomi-

nominis, & sacrosancti dignitate officij.

Quòd inter dissidentes populos pacem conciliarint, vel perduellionibus bellum indixerint, vnde & Romani Feciales accepere, & feciale didicere ius. Feciales enim fuere qui controuersias verbo soluerent, & hi per Sertorium Resium in Vrbe primò cogniti, & apud Virgilium leguntur sub Vfente Duce Turno Regi auxiliares: & Plutarchus in Numa auctor est apud AEquos aliquando regnasse Septimium Medium.

Hi igitur ab origine, ea de causa, quam diximus, secluſi intra montes; & à Meridie post Cranum, quàse mons is ad Occasum vergit, & Meridiem, regionem obtinuere, oblongam quidem, vt & Vestinos à Septentrione: Sabinos ab Occasu: ab Oriente verò Marsos, deinceps in Latinos vsque & Volscos protensi ad Algidum vsque incolant.

Qui aliquando in Phalisci intra Sabatios, incerto tamen deductore, & deductionis tempore, alteram ad ripam Tiberis coloni consedere, ne vnis tantum Ingaunis Liguribus tricies agrum datum, ac toties nouas sedes datas Italis intra Italiam putes. At qui de Phalisci scripsit, Æquos cum legit, de suis omnino omnia dicta putat, & populum vnum vno in loco constitutum Æquicolas omnes adseruit nimis indulgens, nec aduertit quod legit: auctores enim subdubitant de Fecialium origine, Æquicolisne an Ardeatibus id tributum fateantur. Præterea dum Æqui Algido in monte L. Minutium Cos. & Romanum concludunt exercitum, vel sequenti anno ibidem iuxtà infeliciter cum M. Horatio pugnant, dum Baulos in proximo habere leguntur, quos à Labico Labicanos nouam Romani populi Coloniam, subita irruptione vexant, quæ Vrbes omnino in Volscis in Latio sunt, dum Fidenæ, item & Crustumerium in finibus describuntur, certè non hæc ad Phalisicos referri possunt, altera de Tiberis ripa, neque exinde ad Algidum nisi Romanum per agrum, si modò per

Ro-

Romanos, & Tiberim qui Tuscos à Latinis & Romanis determinat, transitus pateat. Proinde de nostratibus, & qui ad Algidum proximi sunt, hæc de Æquicolis agunt historiæ.

Sabini verò alteram per expeditionem ex Amiterno profecti, quo statis diebus populorum Maiores, Ducesvè conuenire, & sacris faciundis, & iuri dicundo consueuere Patres Conscripti. Hi quibus ea cura demandata erat, iuuentutem adesse armatam, & in acie adstare iussam expediunt: Cotilam Aboriginum Vrbem nobilissimam monti appositam expugnant, & victoria qui scirent vti in lacum proximum inuecti, obtinent Victoriæ numen, & statuam ibidem celebrem: tum pleraque circum circa oppida diruunt, nouasque vrbes ædificant & oppida, præsidia disponunt, castella communiunt, inter quas Cures leguntur, Coloniam deducente Modio Fatidio Testrinate.

Erat autem Testrina Amiternorum Vicus, præsidiumvè quo secũdum Varronis sententiam maiores nostri in agros reijciebant ciues suos, & in pace à rusticis alebantur, & in bello tuebantur. Hi Nonis tantùm ad nundinas in Vrbem accedebant, de cæterò ruri occupati. Hi bella, & pugnas depugnabant pro patria. At qui inter eos Pagi Magistri immminerent ea de Prætura, Magistratuvè Tatij, & Titij dicebantur, & in ijsdem Titulus siquis insignior in hoste propulsando, proterendovè emicuisset inter cæteros: si quis limites, patriamque tutatus esset, nec iam palma inglorius alba procederet. De quibus Tacitus Annalium primo hæc:

Titus Tatius Rex retinendis Sabinorum sacris sodales in Vrbe Titios instituit: ij ad auerruncanda mala extra Vrbem degebant, & inter rusticos. At qui vel cultu terræ industrior, operosiorvè, & frugi semper probaretur, qui & pacis studio, & rei militaris peritia ciues seruaret, hic tanquam Vici Magister, & Tatius pro communi Vicanorum Tata habebatur. Vnde & Auum, & Atauum habemus:

cuius

cuius nominis rationem compendio explicare non otiosi quidem scriptoris putamus.

Terram ipsam, vt Varro asserit, maiores nostri dicebant Matrem, & Cererem, & qui ipsam colebant piam vtilemque vitam agere putabantur; ita qui Ciuem laudare vellet bonum Agricolam, bonumq; colonum cum dixisset, abundè laudasse videbatur. In Agricola enim rusticum, & militem huiusmodi in vico, castrisvè versatum: in Colono autem fortem virum, & eundem opulentum, & benè constitutæ Reipub. amantem significabant Ciuem. Vnde, & Ilio communitæ Vrbi nomen, & fabula illa de constructione murorum eius.

At situs Testrinæ non longè ab Amiterno ad milliaria quatuor Occidentem versus, & Meridiem, cui de lanificio nomen inditum, prout inferius dicemus.

Aderant itaque Testrinatibus Magister, & Magistra Vici, secundum limites, vel agriculturæ, vel militiæ, vel lanificio edocendis: vt custodiendæ in primis pudicitiæ adessent alacri iuuentuti, bonis imbuendæ moribus, ita vt eisdem pro trocho, tricisvè, post agriculturam, & litterarum studia ad ludum secundarium palestræ cursus, armorum vsus, & labor adsiduus, quos eorundem virtutibus iucundatus seueriorum patrum consessus, dum probat, & coronat, docilem oblectat, & arguit, validam excitat ad palmam, & coronas. Populum itaque militiam dixeris qui locum castrorum noris. Sed Testrinæ culmina deiecta, mœnia item disiecta iacent, & ipsa rudera obruta innato sub gramine deliteſcunt. Et tamen candor ille lucidissimus de marmorum lapidicina in humeris velum desuper emicat. Nec omnino nomen silentio premitur, eò quòd Christianam per pietatem vico aptatum vocabulum quasi vicinæ vocis, Testriniæ, indicium sit: neque ab re locus is B. Siluestro dedicatus est, & Ecclesia ibidem constructa, & monasterium eiusdem de popularis nomine,

qui

qui in ſummum Pontificem pro vitæ, & virtutum meritò adſumptus eſt, qui pacem poſuerit, fines Eccleſiæ, magnum Chriſtiano nomini incrementum.

Is verò Rufini à Rufo denominati filius, gente Cornelia, familia Merula Conſulari, quæ vt Varro lib. III. de re Ruſt. & inter Curetes primaria, & inter Romanas patricia, licet minorum gentium fuerat. Hoc item loci vbi nunc Eccleſia prope diruta eſt Epiſcopalis, poſita Cathedra Teſtrinenſis Epiſcopi: legitur & Pinnatiarium proximis de Pinnatijs: ea enim voce dicebantur humiliora, frequentioraque in Curibus montium iuga, à Thebe Boetia Reatinum verſus agrum. Et Varro eodem lib. & cap. agit de Pinnio in his locis vbi ageret.

At ſitus Teſtrinæ inter milliarium cliuum ab Occidente, & Thebas Bœotias, Amiternum verſus ad lævam diſtat ſtadijs XXIIII. Canium verò montem verſus ad dexteram habet, & recta regione eunti ad Hipſæum vicum, Orientem verſus. Horum nominum Varro meminit lib. 3. de re Ruſtic. ipſo in initio. Thebas autem Lacones condidere, quos à noſtratibus perhumaniter exceptos diximus. Hi pro caſtris præſidij hoc loco Milliarium condidere Vicum: ſed hæc ad Licurgi tempora reijcienda ſunt: & Amiterninis ceſſere omnia patribus. Ea enim humanis in rebus varietas dominatur, vt pro Milliario Veliam à vellendo pecore aſſertum primò, deinceps Velianum denominatur: & id tandem dirutum eſt: item & pro Thebas Bœotias Ciuitatem Thomatiam dicimus à Thomate Petri F. Ruperti Nepote Sulzpacenſi, loci regulo, qui oppidum reſtituit, & muro cinxit.

Sed iam tempus eſt, vt de CVRETVM, quos diximus, nomine, & nominis cauſa edicamus. Hos plerique à Cure Sabatij filio: Dioniſius verò ita appellatos ait, quòd Virgo quædam indigena clariſſimo prognata genere, choros ducens in templum Enyalij ingreſſa, & ex defatiga-

tione consopita à loci numine compressa Medium Fauidiũ cnixa est. Is in virilem ætatem adolescens, & forma supra hominem, & re militari longè clarissimus condendæ Vrbis cupiditate, magna è finitimis agris collecta manu, Vrbem statuit, eique nomen fecit, vel à genio loci, cuius dicebatur filius, aut ab hasta (vt alij volunt.) Enyalis enim Sabinis, & Romanis de Sabinorum documentis Quirinus.

Alij, & exteri quidem, Esychium sequuti, id esse Numen scripsere, cui solita arilia fierent, integro sue, tauro, & ariete. At nos Enyalium victoriæ numen tenemus, qui per militiæ labores victoriam parari scimus & pacem: illud etiam & salutis numen legimus. Quod & Camulum Sabini dixere posteri, vel Mineruam, vel Palladem, vel hastatum Iouem, qui & clypeum gestet & galeam, cuius pro coni ornamento idem quod Enyalio finxere, quale signum Romæ videt in ædibus Colonianis ad Æquam Virginem. Curibus hæc cognita numina, quibus proximus est Victoriæ lacus. Alij fabulam aliam commentantur, contestanturque quasi liceat suomet arbitrio condere, & histrionicam facere historiam. Qui dicunt Herculem cum Virgine quadam in foueam concubuisse, & inde natum Fabiũ vel Fouium: & quidem fouissam pro fouea antiqui dicebant in sacris ceremonijs: & eodem de Fabio habemus Fabiæ gentis primordia. Sed extra fabulã, & scœnam illud affirmant indubitatæ fidei auctores sacras foueas vel fauissas, vel Olympum circumcirca templum hoc ipso prisco à Fabio excogitatas: & ex eadem familia factionem alteram vel licentem in Lupercos agnouit Populus Romanus. Sabatium verò Curis filium sacræ testantur litteræ: scriptores item omnes: & Sabinos Sabatij posteritatem condẽdis Curibus auitum nomen aptasse potissima ipsa ratio quę suasit, persuadet. De Curetum institutis ac moribus eloquentem audire Strabonem iuuat, & eadem explicare non

inutile

inutile est, qui detonso à fronte capite ad occipitium capillati occasionem aliquam fecere Ecclesiasticæ tonsuræ. Itē quòd selecta de nobilitate linteati incederent, procederentque ad aras, sacramuè militiam: vnde apud nos inoleuit albarum vsus. Vela item quæ sacra circundant altaria de Curetibus accepta demonstrauimus: ijdem Enoplyam armatam saltationem, & Pyrrichycam, vnde Luperci suos habuere ritus, saltationem, decursusuè & S. Romana Mater Ecclesia choros, vel semicirculos adstantium hinc inde pro corona Episcopi, & in eis hymnodias alternatim succentas: sed & militiam in linteis Ecclesasticâ, vel in dalmaticis & in his defensores albati sub fanone, quem præferunt Dominica sub Cruce, & Diaconi in Dalmaticis armatum repræsentant Principem populi, & Duces qui sub Archidiaconi manu populum per classes distribuunt, & in officio continent. Sed de Curetum saltatione quam diximus, & Enoplya dicebatur à circuitu saltationis, dum Reginæ partum occultant, & protegunt.

Atqui idem ipsi Curetes adinuenere sacrarum cœremoniarum ritus, qui religiosiori semper in obseruatione vigent. Eo enim nostra omnis spectat oratio, vt de Ecclesiasticis in primis tractemus, qui sanctorum Ciuium & Ducum, & Antistitum nostrorum actus & scribere, & dilucidare intendimus. Quamuis & alia subdamus pro curiosiori lectorum indagine. Curetes, subdit Strabo lib X. cū prudentia eminerent primi omnium greges coegerunt, reliqua mansuefecere pecora, mellis vsum, venandi, sagittandique modum induxere, hominumque cœtum ad cómunem vitam & legum disciplinam instituentes, & æs fabricauerunt. Deorum statuas ijdem, & falcem Saturno fecere: artium item omnium, si quæ excultiores sunt, auctores fuerunt: vnde & Idæi, & Dattyli à manuum artificio, & artium dignitate: & Cabyri, & Corybantes appellantur. Hi Rhodum, & Cos, & Camos de Camillariorum

riorum nomine, & officio dictum condidere. Hi & Colossos in maiori Phrygia, cuius portio, Comæ de Cominis nostratibus: & Istam iuxta Macedoniam.

Sed cùm Rhodum ponerent, quo ingenij magisterio pollerent, quouè feruerent manuum artificio, satis superque, & ad admirationem ostentauere perpetuam, in diligendo situ, in partitione Ciuitatis, in munitionibus, & ornamentis publicis, priuatisque, ad commoditatem, ad salutem, ad splendorem omnibus numeris absolutissimam vrbem; & inter cæteras florentissimam constituere Remp. in qua & Architectura, & Pictura, & sculptura floruere, excultissima orbis terrarum ornamenta. Vt eo de ciuium studio bonæ artes quasi vnius loci, & vna ars, & pictura vna, Artes dicerentur Rhodiæ: & hæc quidem in manuum operatione est, intellectu in ea peruigili. Vnde in Rhodijs numismatibus Solem, cui eam Vrbem dicauerunt Patres, & plebs omnis, sculptum cernimus, & ex altera parte, latioribus inquam folijs, enascentem rosam, qua Vrbium designarent florem, & florentissimam in militia iuuentutem, in maioribus validam viribus ætatem, & consilijs mentem viuidam. Hanc autem figuram & nos cum S. Matre Ecclesia admiramur, & veneramur in triginta illis argenteis, quibus pacti sunt D. N. Iesu Christi proditionem mala mercede mercatores pessimi Iudas, & Iudæi. Cæterum de his huc vsque non ab re positis, ad Curetes redeamus, quos legimus vere nouo, adulto scilicet, ad Quintiles Kalendas, qui mensis ab Iunone, quæ & Vesta est, vel Ops, & Carna, & Venus, Iunius dicitur. Vestæ itaque de constituto, & Iani auspicio vsurpari cœpit vt hac potissima die in colonias deducerentur nouæ iuuentutis examina. Vnde & mensi nomen Iunio.

Qua profectione alteras iuxtà Nomentum Cures ad ripam Tiberis ponunt, & eas minores dicunt, ad quas potissimum referenda sunt, quæ scriptores de Sabinis Virginibus.

nibus? At de Tatio, & Numa ad regnum accito,& cætera huiusmodi,ad veteres omnino Cures,in quibus regnarent, & si ad has Vrbi proximiores curulia figere nisi temporarias constanter negemus. Et hac in expeditione Curetum locum quem insederunt Modianum cliuum nuncuparunt de Curium auctoris nomine. Et hæc quidem in proximo residendi occasio probata est, ne cùm ad Senatum in Ianiculo habendum, Auentinouè procederet Sabinus, homo quasi per aliena progrederetur loca,peregrinus hospes. Sed & qui Palatium iuxta Reate habitant, ad viam Quintiam, locum pascendo pecori dum quærunt,in colle constiterunt quem Palatium patrio de nomine appellauere, & eiusdem collis partem alteram ad Orientem, & Meridiem Veliam à vellendo dixere pecore, cùm nundum tondendi artem reperissent. Neq; absurdum erit ipsum Auentinũ de Thioræ oraculo, nuncupatum dicere. Thiora autem eodem in agro, eademque via milliario à Reate septimo distat. Aliud autem est & ab ea secundarium montanorum Aboriginum Theodium, vel Tode: quamuis pleriq; eadem in voce fallantur, & fallant: sicuti & in Veissa, magna scilicet Issa montanorum, quam Vissæ scimus ab Issa Insula, & oppido agri Reatini: neq; enim cœco duci manus damus. Qua etiam pro loci diuersitate, & temporum,& colonorum discretione Nursia ab Vrsia, & Nursina Prouincia ab Vrsina discreta est, & D.Gregorio in Dialogis caraxata inter se differunt. Sed Vrsina solo adhuc nomine internoscitur, eo in monte vbi Vrsia vrbs olim steterat,& subiecta in valle quæ loca vtraq; Orsonia vno nomine appellantur, & ea media est inter Cominium vallem, & Comam vrbem ad Septentrionem, quæ & ipsa diruta est. Habet & ad Meridiem Phalacrinã vallem. Quibus de locis progenitas Roma mater agnouit familias COMMINIAM & VRSINIAM, & quæ potissima floruit FLAVIA AVGVSTA,qui cũ & PETRONIA & TVRPILIA cómixta,

Thio

Thio autem, de qua nobis sermo propositus est, & Ornarium vicus, quòd ibidem de Pico aue super truncum querneum consistente, responsa petebant superstitiosiores, illius sæculi homines. Ornarium verò vel ipsa ab aue, vnde & auspicia denominantur, vel quòd ibi Deo auspice ornarentur, qui auspicato inaugurantur. Inde salutationes ad Portam Auentino proximam, apud Romanos Prætoribus, & auspicia capi solita. Sed si quis ad hæc singula, vel saltem ad priora requirat testimonium, ex veterum auctoritate meminerit quæso Sabatium, & Romam Curetis in Auentino monte consedisse primum, & Romam Vrbem in Auentino Sabinorum coloniam, & ab auspicijs & auspicatis salutationibus, missionibusvè omnino deductum nomen.

Meminerit idem Quirinalem à Quiritibus nuncupatum, qui eo loci consedere, acto inter Tatium, & Romulum fœdere, & eundem montem siue per Tatium, siue per Numam intra muri ambitum conclusum. Præterea Capitolium à Sabatio Saturnium appellatum adserunt omnes, quem & Tatius belli iure occupatum retinuit, & ipse primis annis incoluit Numa, qui deinde in Quirinali consedit, & vtrobique omnino inter Curetes suos.

Et ita Vrbs Roma situm quam maxima ea est maiori ex parte à Sabinis obtentum nouerit. At nos & Dionysium hoc loci, & vbilibet allegare non pigeat, qui hæc de Numæ institutis scripsit.

Roma, Numa auctore, habet vt Dijs quibuslibet aras erectas, multa præterea templa attributa, suo cuiq; numini festa, & institutis qui sacra curent Sacerdotibus, latisque legibus permultis de castimonia, de cæremonijs, lustrationibus, cæteroque cultu, & honore Deorum, adeo vt hac parte longe à tergo reliquerit quamuis Ciuitatem pietatis nomine celebrem. Porrò omnia quæ ad religionẽ pertinent octo libris, iuxta totidem sacrorum classes comple-

plexus est; de XXX. scilicet Curionibus primo: II. verò de Flaminibus: III. de Tribunis col. IIII. de Auguribus: V. de Vestalibus Virginibus: VI. de Salijs: VII. de Pontifice maximo: VIII. & vltimo de Pagorum Magistris. Vrbis itaque situs, & populus Romanus, & sacra, & ritus è Curibus creuere. Immo sunt qui Accam ipsam Larentiã Apiam, ideſt Vestinam, dicunt Romuli nutricem. Adde è Curibus solemni Paliliorum apparatu accersitas, quas intercepit & obtinuit Roma nurus, quibus cum populus Romanus esse cœpit pater, immo & populus ipse, qui constabat tumultuaria de turba Quiritum exorditus adauctus est, qui maximus & firmissimus est. Vrbs ipsa inter orbis terrarum vrbes & Regia, & Regina ampliſſima congeminatis intra pomerijs spacia montibus, propagatis Imperij finibus, quæ etiam ad regiminis molem sustinendam è Curibus Reges accersiuerit, per quos fortis iustitiam didicerit, & Deorum suspexerit cultum. Sed neque vnquam aliquid à Dijs per sacrificia votauè popoſcit Populus Romanus, quod non sibi & Quiritibus profuturum præfaretur commune. Sed nec Latium aliunde creuit, aut condi cœpit quàm per Curetes, ab ipsiusmet Sabatij Coriti temporibus. Curetes enim omne quam maxime latum est Latium vsque ad Lyrim per oportuniora loca colonijs replicauere patrijs: quamuis & Græcorum, & Troianorum colonias, eadem in Prouincia non negemus.

Equidem Curetum opus Ianuuium, & in eo ædem Vestæ forma eadem quæ terræ repræsentaret rotunditatẽ, & Iano, & Olympo, & sacra circa ipsum fossa, vt suam in Latio haberent sacrificiorum vrbem & Vestalium in ea collegium: præterea & Antemnates, & Tellenses, & CIPERVM, & Camerium, quod olim Mediteraneorum Metropolis Aboriginum fuerat: Sed & Vestinos alteros condere placuit Ausone Duce, vrbibus in tribus, Ausona scili-

ſcilicet, & Minturnis, & Veſtina, de quibus Liuius lib. VIII.

Sed & vltra Tiberim colonias poſuit Sabatias Sabus filius, vbi & Sabatium lacum proprio denominatum voluit nomine: tum & Veios de notabilibus appellauit nominibus. Sed & Amitinos Veſtinos quidem inter Aruntinos nouimus ſuo de Coritatu. Prætermittimus cætera cum Tuſciæ originem ſubſcribemus. Quòd ſi Sabinorum Veſtinorum illius temporis limites requiras, ad amuſſim accipe. Ad Septentrionem, & Occidentem protendebantur ſecundum Aboriginum ſpatia, qui Vmbros habuere collimitantes quacunque Apenninus longo tractu Italiam interſecat, & Oetriæ alterius Ianigenarum, quæ Hetruria eſt, relaxat ſpatia. Ad Meridiem verò, & Orientem ad Septentrionem reflectitur. Italiam, quæ reliqua eſt obtinuit Sabinus, qui rerum geſtarum gloria, & æmula virtutum ſobole per colonias diſpoſita Prouinciæ terminos propagauit. Diſpoſitio autem coloniarum apud maiores celebrabatur, ea potiſſimum de cauſa, quòd ſubcreſcentem ſobolem, quæ pro multitudine exuberaret, vt nec anguſta mœnibus iam capere poſſet patria, nec ager alēdo iam ſatis eſſet, nouis itaque deuouere Laribus oportuit, ſedes alio quærere iuſſam, ea obſeruatione, de qua ſupra diximus: creatis primò Prætoribus deducendæ coloniæ, mittebant noui examinis auream iuuentutem, quam Verrem dixere fabularum Commentatores, ſecundum auſpicia, certum ad locum per Patres abdicatam, per quos omnia & dicere & facere, & probare licet, in verbis Do, Dico, & Abdico. Sed prius eandem plenè inſtruebant oportunis omnibus armis inquam, & ſuppellectili, annona, ducatu, præſidioq; Iuniores itaque compares præeunte Petreia anu, ſcilicet ludibunda, quæ ebriam imitata præ lætitia oberraret: ipſi verò pineæ arboris ramuſculo coronati, & ſub velo, ramos prætendentes in procedendo Ea-

na

na canebant, pro quo posteri Peana dixere P. littera præposita, qua & Lares designabant. Et quidem ad huiusmodi, signo hoc etiam ipse D.N. IESVS CHRISTVS sibi complacuit, quando Constantino apparens, clara voce signum victoriæ dedit è cœlo Propugator inclitus, qui & Patrem familias agere in Constantini Lateranensi domo prælucente diuina luce, & ad custodiam excitato igni focũ pro altari, & mensam, ad quam & Curulim sub velo sibi poni dignaretur, & his, qui vice sua Petro succederent.

Eos inquam Natalium Deos Lares, generis scilicet humani parentes Ianum & Vestam, vel etiam Cranam, quæ & Ops, & Cybeles altera: immò & Carnia, qua vnica voce plura significantur, secundum scriptionis elementa: in C, enim generosam natalibus rite coniugatam venerabilem matrem familias: in Ar, verò Aretiam de matris nomine, demum in Nia, ipsam Noetis vxorem.

At iuuentus, quam abdicatam diximus eo nomine cãtuvè Eana Ianigena, tum se significabant prolem emissariam, examen quasi apum viridi insidens ramo, Venerem noua spe nouorum in floribus germinum est in apibus mellitam sobolem per omnia parentibus adsimilem, pro qua parentes inuigilent iure merito. Hæc si ad nostra tempora, cæremonias q; aptatas volueris, in Ecclesiasticis Litanijs, processionibusve pro Petreia Tubicines præmittimus, & similia aliquando vsurpamus, historias secundum faciem Sanctorum repræsentantes, & stratas, & parietes ornamus floribus veris, & aras passim positas odoribus suffimus, & alleluiaticum melos celebramus in Sanctorum, & Sanctisanctorum laudibus, & inuocationibus, qualia priscos apud Sabinos, de quibus Virg.

Ibant æquati numero, regemque canebant.

Et in sequenti *Pars sanctum voce canebant, Auctorem gentis.*

Vt in verbo æquati, compares, scilicet coronati coniuges & animorum eisdem moderationem & grauitate temperatam adolescentulorum iucunditatem intelligamus. Inde illud viridi fertum in pileo Episcopi, & præcipuè Metropolitani, qui sicuti pastor ouium gregem ducit ipse populorum pastor, post se populos trahat. Cæterum orbis vniuersi Metropolita ipse est Romanus Episcopus. Quid enim Ecclesia quælibet nisi S. R. Ecclesiæ Colonia est? & qui gregi illi præficitur Dux, pastor, Episcopus, eo loci summi Pontificis Romani vices gerit, pro modulo suo secundum partem sibi adsignatam: eò quod Dominus Papa simul & semel locis omnibus adesse non possit, qui tamen auctoritate, & potestate omnibus præest, Magisterium, & Ducatum præstat. Vna itaque est Ecclesia, & Episcopus item vnus, & fides vna, vti in humano corpore cor vnum, & anima vna. Vides igitur & in sobole, & in parentibus eandem VENEREM, formam scilicet & politicam & parentum erga filios curam & studium inuigilans: Venus itaque quòd ad omnes eat, inuisens si quid oporteat ad summam animorum iucunditatem, ad sollicitudinum subleuamen, ad virtutum rudimenta, & profectum, ad generis æternitatem. Neque aliena de causa Venus dicitur humano in corpore epati dominari: in epate enim ipsa est vena, & porta, & fons, vnde sanguis per omnia humani corporis membra diffunditur, viuido & innato fluendi vigore: ipsa autem caro ex sanguine est, & ipsa inquam Venus est bene formato in corpore flos pulchritudinis, bene formato ex animo sapientia virtutum specimen. Vnde Virg.

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Sed iam ad institutam redeamus historiam. E Testrina itaque Amiterninorum vico, qua ad meridiem, & Occasū positas diximus Cures: è Curetibus verò Sabatias, & Latinas colonias habemus. Sed adhuc altero de vico, qui ad Orientem vergit, dicendum restat, Conio, inquam, cuius origi-

originem non legimus: & tamen ex Conio, vel Coniatibus Conitum libaminis genus in delitijs frugalioribus nouit antiquitas, quod libamen de farina conspersa factum adserit Festus: ornatum verò hominem Afranius, & exculto eo vocabulo significari declarauerat, vt qualis is esset populus vno ex verbo discas. Cæterum nec Testrina Conium inferiorem tempore, neque magnitudine supparem dixerim: quòd is peruetustus, & frequens perpetuis auctus incrementis post dirutam Amiternum, vtrumque pœne exceperit Populum, Oppidum iam ex vico: immo & Vrbs, quæ Episcopum haberet Ducem populi post Amiterninum, secundas continentem in antiquis concilijs.

Eius constitutio, sicuti ego accepi, ad Cranui montis radicem fuerat, cui imminebat è promontorio proximo Arx pro oppido ad Ciuium securitatem, ad opum congeriem. Inuentum verò Opis oppidum ex ipso arguitur nomine. Ops autem ipsa est Crana: Habet autem se oppidum ad Rempub. quomodo penus, & focus, & domus ad familiam. In illo itaque publici Lares, communes Dij: vnde ante arcem, & prætorium ara: in priuatis verò ipse focus pro ara est, tectum pro munitiuncula, sella patrisfamilias pro Prætoriolio, de communi sacro: Lares autem vtrobique gemini, & ipsa congestione scilicet in penu, & distributione, quæ voces in Pilumno, & Picunno antiquitas venerabili nouit symbolico: & in vtroque gratiarum actiones, siue in primitijs decimisue, siue etiam in quotidiana exhibitione probemus, quæ habentur apud Suetonium.

Italia Duorum
L. Bæbi, & Petili.

Italia scilicet, quæ vxor olim L. Bæbi fuerat, per secundas nuptias L. Petilio coniugata est, vtrique carissima vt lux & pupilla oculorum, quæ & Lucia appellaretur de coniugum prænomine: & in Bæbia gente Tampilum legimus à minuta distributione in diurnum, quod & Pilumni no-

men significat: is enim pilum, & pinsandi adinuenit artem, cuius imago Ossea est nudata carnibus, in qua ossa enumeres omnia sigilatim singula CCCLXVI. quasi dies, & horas quæ superant in anni circulo, & in annonæ perpetuitatem. Petilium verò pro Picunno ab indagando, & instanter congerendo ponitur. Quamobrem in Petilia gẽte Capitonem scriptum reperimus, quo nomine, & Lares dicimus. Capitones ipsos quæcunque instrumenta siue lateritia, siue ferrea ligna ad focum sustineant. Sed Festus in verbo Petiliam suram significat, inquit vulgò suram siccam, & substrictam. Scæuola verò vngulam equi albam, & id quidem à Calpe quasi Calpetila descendere de facili conijcitur, dempta nomini priore syllaba: nec ab re allegare est Capitolinos in Petilia gente recensitos, sed à Bæbio Balbum pro patre infantes balbutire lallantes norunt. Habes itaque vna ex inscriptione quicquid in huiusmodi desiderare possis, & à nobis explicatum quidem satis.

CRANA itaque mater edocuit oppidum edito in loco condere, & circa oppidum per omnem conuallem, & palatinas incolere ad agrorum curam, & cætera, quæ diximus exercitos vicanos Ciues, castris vicum constructere Conisi & appositè quidem. Cum enim Amiterni proceres pineã coronam ob Vestæ venerationem, & Virginalis collegij dignitatem in insignijs gestarent, belli, pacisque temporibus albati, vt diximus, eorundem soboles, procedebant. Pini verò nucem, quæ ex figura Conium dicitur, in manipulis, & cæteris militaribus signis præfixerunt, & ipsum patrium vicum eo nomine appellarunt. Sed & nux pini pro sceptro & pro Pinariorum hasta antiqua habent monumenta, & huiusmodi etiam signo vnitas præsignatur, & virtus populi sacerdotali munita præsidio, & templorum cura, & procurata. Sacerdotibus annona, & ingenuitas generis, & candor animorum, & fortitudo orientali in limite ad tutelam

&

& ſecuritatem patriæ inuigilantium iuuenum, quibus niueum pectus concordi candore purpureum in vnitatem fidei conſtans, prædurus obtendat cortex.

Et tamen Vicani non Conienſes, ſed Opici, qui deinde Iapigenſes, & Pici, & Picentes dici cœpere, prout infra ſuo loco dicturi ſumus. Veſtini enim ad meridiem Canio, vel Sicanio vallantur monte: atque Oerea confragroſum ſcilicet promontorium ſecundum flumen ad Orientem ſe exporrigit, quaſi ſuper ſiniſtram recumbentis format imaginem, cuius thorax ſaxeus, venter verò ab vmbilico in marinæ conchæ ſpeciem concauus: cauitas autem tanta eſt vt colli, qui anteſtat, æquari poſſit Eryci, & is neque arbuſta gignit, neque gramina omnis omnino nudus, & adlambentibus animantibus quaſi ſalis petra appetitur, & proficuus eſt, ambitu milliarium non excedit, altitudine verò ad tertium exurgit ſtadium. Inde Veneris, & Ericis fabulam, vnde Nymphæorum ſigilla veteramentarij conſtituere. At nos hæc quidem ad coloniarum figuram aptamus: & quidem plus ſatis prodeſt ad Venerem, & vberem vberiorem felicitatem adulta iam ætate adſtans, & inſtans Virginibus procax iuuentus ſalax.

Quo de loco quot emanarint coloniæ, vel id vnum teſtimonium probando ſatis, quod Romani cùm pro Rep. & Imperio, coloniſque ſacrificarent omnibus, pinæas præferebant ad ſacrificia nuces, & olam pineatam ad tripodem ſedenti Emeritæ militiæ veterum nouere ſymbolum: quo perpetuam cum dignitate annonam de publico ſtatam cõteſtantur monumenta in Vrbe, & alibi plura.

Sed in rem noſtram intra Conium ad Orientem Veſtini conſtituere Eſychium, quem locum ſtadium dicas, vel cãpum vbi luderent, ſiue ad gymnaſium Philoſophantium, ſiue ad paleſtram, & ſimilia ſeſe exercentium iuuenum. Ad Occidentem verò Balneum Vicum, qui licet in vicos minores, villaſque diſtributus ſit plures, vſu tamen obti-

nuit

nuit vti de balnei nomine nuncupentur, quasi pomeria Vrbis. Quod eo præsertim loci ad Balneorum vsus vasa, & cætera antiquitatis monumenta vetus nomen, & officinam contestetur. Ad Balnei sinistram Occidentaliorem vicus est ciuitas, cuius apud antiquos vetusta nominis causa, ne quis putet per secundaria tempora illuc translata de Amiterno Episcopali Cathedra inscriptionem vetustissimam legat, quam infra adscribemus longe ante ea tempora, & in CLAVDIIS Ciuitatem cognomentum vetustis in monumentis: de quo infra. Sed & ibidem loci Basilicam Gentilium templum vnum atque idem alterum. Expurgata hæc omnia, & in Ecclesiam Dei dedicata vtraque sancti Maximi Ciuitatem dixere Veteres.

At templorum, quæ diximus alterum Vrbi Aquilæ proximius Cupra: nomine Cupra autem & ipsa Venus est. Deinde ad Orientem milliario circiter tertio recta regione eunti occurrit Eburium, vbi Sacerdotes collegium haberet & dispositas iuxtà se per Vicum familias: Ad Septentrionem verò intra Veræ, & Aterni influentes sinus Ode locus pro comitio, vbi & Puteal laudationum, vel allocutionum, & ibidem iuxta ad Occidentem Vatia ad Vera fluminis vtramq; ripam hinc inde pro corona vicus, sed in ipsa prope Fidij montis crepidinem Genium Iani.

Hoc loci illud aduertendum se offert, quid in Vatia nominis, quæ significationis vis insit: vbi enim certius vaticinium esse possit, quam ad Veram per ipsissimam rei veritatem pro Iani genio pijssimi sanctissimi, & veracissimi patris. Vnde & Vatia altera in agro Reatino, quæ percommodè in B. Io: Baptistæ nomine immutata est plusquam Prophetæ. Sed & accolarum nomina, & cognomina nostram in adsertionem, & per vestuta monumenta incorruptam veritatem inconcussa constantia moribus antiquis custoditam liquido probent. Vnum enim vel alterum, sed & tertium, & quod excurrit esto pro millibus; nam &

de

de Claudiæ gentis nomine, & natalibus pone agemus, vtpotè qui in primis cognitis id supponamus. Ad Oppidi enim firmitatem, ad Oppidanorum pacem, & annona facit, & opes, & eorundem custodia, legum reuerentia, exercitia, quibus Tyrones probantur, laudationes præterea, & præmia ob virtutem. Quæ res ex vetustis inscriptionibus exemplo quasi ad allusionem adposito quam oculatissimè appareat. Sed hæc paulo post, qui loci situm plenè præscribendum putamus.

Quod enim reliquum est planiciei, ad forum Apennini, & Veræ fontem, qui pro corona Veram cingeret inter Verium Vicus, & Forconium vulgò Paganicum, frequentius quidem. Ode autem, vel Odeum diximus Vicū peninsulam prope vbi fluuij duo confluentes, quasi pro salutandi officio de loci nomine nomen nouum, & commune adsumunt Auellinum, à quo in Campania Vrbs, & populus. Sed de Claudiæ gentis origine & Plutarchus in problematibus, & Virgilius dilucida illa rerum & nominum proprietate Poetarum eloquentissimus.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magniq; ipse agminis instar
Claudia nunc, à quo diffunditur & Tribus, & gens.

De sacrificio autem gentis Claudiæ peculiari hæc Festus Propudianus, inquit, Porcus dictus est, vt ait Capito Atteius in sacrificio gentis Claudiæ velut piamentum, & exsolutio omnis contractæ religionis.

Sed & Clodiam legimus antiquiori prolatione, & pro Claudiam allusione quadam ad Odæ nomen, & loci clausuram, quam diximus, & pro ea accipe vetustatis testimonium.

OPPIÆ C.F. VERAE CLAVDIVS SEVERVS.

Et alibi:

EREPTA EST OPPIA FIRMO.

Bassos

Bassos verò Oppia in gente, vt exinde loci ibidem proximo nomen factum sit, Basiano nisi à Vatia vtriq; Qua parte Vera fluuius in Orientem conuexus sinuatur.

Cæterùm de gente Claudia in hortis Medicæis suburranis,

Q. *Claudius Hesychius fecit sibi, &*
Claudiæ Odæ coniugi, &
Claudiæ Veræ, &
Claudiæ Ciuitati,
Posterisq; suis, &
Ruffriæ Repentinæ coniugi.

Et Sylius Italicus lib. VIII.

Ecce inter primos Theramao à sanguine CLAVSVS
Exultat rapidis NERO non imitabilis ausis.
Hunc Amiterna cohors, & Baccho nomina ducens
Casperula, hunc Foruli, magnaq; Reate dicatum
Cœlicolum matri, nec non habitata pruinis
Nursia, & à tetrica comitantur rupe cohortes.

Natale igitur solum gentis Claudiæ adparet, & præter locorum nomina, quæ recensuimus etiam Ruffriorum memoria diruto adhuc in vico prope Bominaclum, in Ecclesiæ titulo reliqua est sancti scilicet Petri ad Ruffriam. At Bominaclo nomen fluminis profunditas fecit. Is locus infra Eburios est ad milliaria circiter tria. Sed iuxta eosdem Casentinus Vicus, cuius etymon, & nomen de Claudia, & Repentina gente compactum oculato inspectori se prodit. Eburios verò sacerdotes diximus, purpuratos, inquam patres apicatosque. Hi & vicum quem & selectum incolerent, & agrum sui de collegij nomine possessiuum denominarunt, & is vberrimus quidem est, cuius vtilitate, & salubritate aeris, & amœnitate loci vltra annonæ vsum, & cultum frugaliter, & magnificè oblectarentur lautissimi hominum. Quo de loco Vestini adaucti numero generosã sobolem in Colonias deduxere primam secundum flumi-

nis

nis ripas, deinceps progressi ad maris littus Atriam ibidem condidere de loci amplitudine denominatam, oppletis primò vt diximus, quotquot proximiora, & opportuna reperirent loca,

Interea Patrum decreto Apenninum superare iubentur à Veræ fluminis fonte, & descendentes proxima mari supero ad Occidentem occupare littora. Et quidem animo volenti dicto parent, expediti adsunt delecti Tyrones, & quò Prætores auspicati signa moueri iubent, & ipsi in viam se dedunt alacres.

Tum Pici præpetes aduolant, & progressuri super signa insident, deinde se paulo altius sustollentes superuolāt quasi præcedant duces de cœlo missi alati præcursores: Sed eum prandendi, vel figendi castra hora esset, ad signa declinantes adsident auspicato, in eisdem quasi in triclinijs præsident, cœnantq; & somnium per noctem capiunt, metatores diceres & conuiuas, immo & Phagones iunioribus ad genium, ad patrum admirationem. Ea itaque Ducibus relata gratia, vt & ipsi commillitones Picentes dicerentur, nedum oblatus cibus hospitibus noua in regione perpetuo applausu. Præterea vt facti memoria apud posteros seruaretur antiqua ad Apennini Alpes vsque & iugum crescēte cliuo duas designant sedes, Auiam scilicet ab Auibus & Pedicinium à sacerdotali pedo, vnde Populi in Apulia Pedicini deducti. Sed huius nominis apud nos Vicus vetustate collapsus est, populus nouam in Vrbem Aquilam trāsmigrare iussus. Ipsam verò Auiam aliquando ex præcepto Leonis IIII. qui Capracorum militiam instituit, ad Vrbis Romæ, & Vaticanæ præsertim Basilicæ custodiam; idemq; ad patrimonij tutelam, & totius Italiæ securitatem claustra montana, & conualles, & pontes, & portus omnes, & limites communitos voluit, quo Barbaris inaccessa forent: Eo itaque in verbo proceres, qui militia apud nostrates eminerent, arcem hanc restituere, firmius construxere, ma-

gnificentius seruauere fortissimi. Cuius cum mœnia diruta, & ruderibus obruta herbis innascentibus floridam conspexissem, Apennini coronam dixi. Excepere verbum comites comiter, & hilariter. Et huiusmodi adhuc inter rudera internoscitur memoria, & Ecclesia sancto Leoni primo dicata, qui & primus Vaticanum communire cœpit, & limites ditionis Ecclesiasticæ custoditos voluit quidem cum Cubiculariorum collegium ad excubias circa Apostolorum corpora excogitauit, & monasterium sanctorum Ioannis, & Pauli ibidem iuxta constituit. Sed tantis Pater defunctus laboribus ad requietem euocatus est, cuius nomen, & tantarum opus laudum Leo IIII. adsumpsit quidem & perfecit, tunc nostrates locum hunc, vt diximus, communiuere, quem tamen non iam Auiam, sed quòd fontes irrigui exinde demanant plures, Venarum dixere Arcem. De militia autem Capracorum monumẽtum, quod præfractum quidem habemus inter pleraque nostratium monumenta intra Vrbem, in pauimento sancti Iacobi, ad Septimianum, Transtiberina in regione de proximæ turris ruina seruatum. Quod tale est.

Hanc Turrim, & Pagineuma facta
A Militia Capracorum tempore
Leonis Quarti Papæ
AG. P.

Qua nota Agatonem Primererium intelligo.

Capracorum autem de loci nomine in altero Apennini iugo Capracorita, sub montis supercilio, quem de Gruma vetusto nomine (id enim supercilium significat) iugum illud Maiellam appellamus; ad Maiellæ itaque supercilium is locus est cum montis ascensum prope superaueris descensurus iam Corfinium. Ea Pelignorum Metropolis. In Ecclesiasticis autem Capracorum militare nomen, & cui militare insigne cornu fuit, ad dignitatem militiæ sagacioris quidem in custodiendo. Quo nomine loca pleraque

adhuc

adhuc habentur, licet ipsum nomen in Caprarolam defle-xerit, cuius olim situs iuxta villas locupletes Ecclesiastici Patrimonij, in quibus Præteriola, Galerias vocabant à prospectus amœnitate, & deambulatione. In Caprarola igitur excubiæ militum, & rusticorum tabernacula, stabulaque. Sed tamen vtraque cessere in uillas rusticas. Sed & nomina, & imagines rerum diruta est antiquitatis fabrica, monumentaque prope omnia hìc, & alibi deleta deploratque. Iuuentutem verò, quam diximus in Coloniam deducendam auspicibus Picis per montana, & Titean, & Tussitium, & Montaranum priorem ad Forulum, & alterum denique campestrem ad locum deuenere. Aderat eisdem Præitor, qui Apis, sic dictus ab Apia, vel eo fortè de auspicio maioribus qui inauspicato nihil gererent, quorum arbitrio in præpetes alites res committi placuit, vti diximus.

Cum vero præfinitum ad locum infra montes deuentum esset, tunc Picus plurimus ad esculum quandam excitus aduolitant considentque turbatim: deinde ex eis aliqui cõuersi occurrunt, aduentantes excepturi, vt non vltra Duces: sed Castrorũ præfecti metatores, hospitesue humanissimi voce, alis, quos poterant plausus & letitiæ signa edunt alacres: & quasi identidem facturos comites vellent, adhortarenturque, plausus ingeminant prænunciantes concessum expetitum exquisitum patriæ solum, & agrum yberem. Quare omnes patriam salutant & numini gratias agunt eandem iuxta arborem altare erigunt, votaque persoluunt animo lubenti; deinde circum circa castrametati muros, & pomeria designant, vicos, vias, plateas dimetiti. Aram igitur & arborem in Vrbe mediam dedicant, & eam sacrificijs celebrem faciunt, muneribus ornant, pendulis odoratam suffimentis, & oraculis nobilem. Coloniæ nomen item eadem ab Esculo imponunt ita tamen, vt præponerent A, litteram pro dignitate loci. Præitoris de nomine: itaque AEsculum nuncupant.

Quo loci Populus breui coaluit, & adauctus numero est ita vt omnem regionem inter Apenninum, & Mare in longitudinem porrectam excoluerint. Perpetua Metropolis AEsculum facta iam in Picentibus mater vrbium.

Et hæc quidem longe ante Picum Prisicum perseuerant etiam adhuc plerisque in locis, & Oppidis, & Vrbibus vetera Vestinorum nomina, vtpote Mons Eburius iuxta Aesculum Eburiorum scilicet colonia, & Cupra Montana, vbi Cupræ illud Iunonis templum & emporiū celebre, de quo Strabo lib. v. & altera item maritima à Cupra nostrate, quā diximus iuxtà Conium, ex vico olim & templo nobili, de quo superius; sed locus is modo vitibus consitus est, Vnde etiam & Romæ olim celebris vicus Cyprius ad clyuum carinarum, vbi nobilissimi Sabinorum consederunt, quamquam non desint qui de statuis è cupresso frequentioribus nomen vico impositum vellint. Sed neque à Conij figura cupressus abest, neque ab Opi Cupra: Cupressus enim & ramos, & fructus vna educit, quo colonis optatius magis nihil dixeris: tunc enim, & Vrbs conditur, & pomerij spatia dilatantur, & murus firmior est, & cultior ager cum succedit in sobole virtus, & sapiens in maioribus consilium. Quibus artibus in Rep. opulentiam fortitudo, iustitia & gloria operantur.

Deinde & inter cæteras in Picen Anfidenam Vrbem & fluuium à Fidio, quem diximus monte numineuè, A, littera præposita, vt in Aesculo diximus, noui conditores nuncupant. At is Fidius mons, ne quid indiscussum prætereamus, humilior quidem & inter Sicanium, & Appenninum medius breui interuallo, quasi de torque inter mammillas gemma dependens illam intra connexionem montium. Cuius symbolum decorans coniugia præsenti animorum concordia, vnde & matrimoniorum Deitatem maiores Medium venerati dixere Fidium auctorem, & vindicem vbique venerabilem. Ejus autem

tumuli

tumuli prima incrementa sensim adsurgunt, Ansantinos inter & earum ductu, & Carnienas aquas hinc inde medias quasi ad sacramenti, & communionis inter virum, & vxorem enatis aquis, & recta regione quasi erectis protenditur aris per miliaria tria, ad Veræ fontes, per Conij campum, & Odeum: sed magna ex parte cinctus mœnibus, coronatus propugnaculis, elatus turribus, templis firmatus magnificentissimis, adauctus Ecclesijs, fundamenta hæc nobilissimæ Vrbis Aquilæ dulcissimæ, & exoptatissimæ patriæ.

Creuit, & à Firma gente Firmum colonia condita est, perduratq; (si pax aderit) inconcussum. Ab Osia verò, quæ & Auxia Osimum vel Auximum. Sed de vtrisq; antiquitatis irrefragabilia producamus testimonia.

FIRMVS SABINVS
M. COELIO MARCELLINO
ET CYSPIAE M. F. MARCELLAE VXORI
L. COMINIO L. F. L. N. FIRMO
P. R. Q. AER & ALIM.

Et in Hist. Hisp. Ludouici de Pontes:

GLODIA OSSANA MATER
IVLIAE SABINAE F.
IVLIVS M. F. AVXIVS
C. AVXONIVS Q. F. LEG. XX.
FLAVIAE COL. FIRMI PICENI
SEVI MANCIPATVS
FECIT SIBI ET FLAVIAE
Q. AVXI. Q. F.

Sed & fluuio, qui Senogalliæ muros adlabitur, Aterno de patrio fecere nomen, qui in Picennum transmissi nouam condidere Vrbem, quæ deinceps à Gallis Senonibus nouo nomine adaucta est.

Gentis felicitas vel ex illo arguitur quòd CCC. Ciuitates breui condidere, & maritimas sedes naui quærere coacti

actii fuerint Picentinas, & CCCLX. hominum milia Po. Ro. præstò fuerint auxiliares copiæ, sociales legiones. At Senatus Amiterninus ob rem bonis auibus benè gestam, vbiq; locorum Auiam vel Auianum condi iubet, nouis colonijs quasi coloniarum Principem per expeditiones singulas. Sed & Conij populi Picenses, & Auicenses, & Apiam arcem nuncuparunt Picentiam, & Auiam, & Auicensem. Deinde etiam & Iapigensem ex maritimis expeditionibus, de quibus inferiùs per nominum varietatem, multiplicationemque. Certè Opicos negauerit nemo qui opes spectet agri felicitate, siue is montanus, siue campestris sit; is, inquam, irriguus semper, & vbique se ipso vberior operosiori Vicanorum industria, quos ad cõgerendas opes colonos validos in cultura exercitos peritiores; proceritate tamen, & vultu, & moribus nusquam rusticos præduros licet, expolitissimos dixeris ruri degentes homines agriculturæ deditos, & militares viros. Placet omnia, & singula explicare, quò facilius intelligatur, & dijudicetur in singulis quasi sub oculis solis huius expositа. Quæ si veritas ipsa suo probarit iubare, tum nostra demùm historia firma fide constabit.

At Populus Vestinus pro temporum varietate, incremento, detrimentove & Reip. & Imperij, per illam rerum omnium concussionem agere, & pati fortia, virtute conniti, pietate repugnare, ita vt quæ Romanus diruerit, ipse meliorem in faciem restituerit Vestinus, & potiori quidem in loco delectu laudabili oculo peruigili. Sed & Barbarus quasi aper irruens vastat, & dissipat omnia; eadem Vestinus reparat, & communit, & ornat, fortior & magnificẽtior. Amiterno enim diruto per Cornelij Syllam oblitus est maiorum suorum patriam. Cæterum Patres Conium commigrarunt, quos & populus sequutus est, & vici situs in latissimæ Vrbis excreuit sinum. Deinde contra Barbarorum irruptiones æditiora captare montium culmina hostibus

bus inacceſſa magis, & Ciuibus firmiora. Demùm in Remp. conſtituendam conuenere: quæ enim inter diſſitos aut Iuſtitiæ, aut charitatis communio eſſe poterat?

Igitur qui ad foros conſederant more maiorum de ipſius Iani, vt diximus, inſtituto, hi tandem aliquando nouam in Vrbem condendam, & Remp. conſtituendam conuenere, & ad agriculturam ruſticos prioribus in vicis conſtitutos miſſos fecere. Eo autem de agricultura, & felicitate Martialis vno verſiculo:

Nos Amiternus ager felicibus educat oris.

Sed in his frequentius excreuit forum, quem diximus Conij, vt iam non Ciuitatis quota pars, ſed integra, & per ſe plenior, & celebrior ciuitas eſſet. Forconium eidem nomen, ſiue à vetuſto quem recenſuimus Forco, vel à latitudine infra montana. Sed à Forconio infra milliarium diſtabat Cados, vel Cadichium de Porreci Cados cognomine.

Auctus itaque Forconij ſi cauſam requiras, loci amœnitas, & vberioris agri fertilitas, Vera fons & fluuius, & aquarum copia, & piſcium, quos trotuas dicimus ad ripas ſiue alieno ſtudio, ſiue ſponte ſua per aquarum applauſus colludentes circa fontem, & arbores frequentiores: inde Vico Paganico nomen ager is ſemper floridus, & vbique irriguus, vt ver videatur perpetuum ad Veræ ſinus adridere iucundiſſimus verna. Huc Veſtini proceres quorum pars maxima Romana de nobilitate conuenere aliquando. Huc & Normanni, qui in comprimendis, expellendiſque ex omni Italia Græcis, & eorundem auaritia, ſocordiaque caſtiganda enituere Italis Proceribus admirabiles, quòd ſingilatim ſinguli contra Millenos pugnarent: eos itaque omni ſtudio inuitare, retinere benignitatis vi adhibita amantiores hoſpites, & amabiliores in dies. Huc Longobardorum manſuefacta, & humanitati conſona, proximis de locis, & campania omni vbi dominarentur, conuenit nobilitas.

Et

Et quoſque præterea vel bellica virtus, vel morum ſuauitas, conſiliumuè & rerum geſtarum gloria Heroas illuſtriores faceret, ſiue per ſacræ expeditionis tempora de quibus ſuperius, cum de Laconibus ageremus.

Sed ne quid minus Longobardi, Normaniuè è Campania euocati hoc loci viderentur habere, Beneuentum pro Forconium eam Vrbem appellare placuit, vbi & Eccleſiã ſancto Bartholomeo, in cuius ſacrario veteri Pauli IIII. temporibus reperta conſpexi ſanctorum martyrum corpora Iuſtæ Virginis, & Iuſtini Epiſcopi, Felicis, & Florentij, & N. Sypontinorum, ſuo vnumquoque in loculo lapideo ſegregatim collocatum. Qua rerum explicatione implicat quonam loci Nicolaus II. Papa anno X. circiter LX. poſt milleſimum Robertum Viſtardum Apuliæ Regem conſtituerit, Beneuenti ne Samnitum, an noſtratis. (Sunt enim qui hæc ad Aquilam vrbem geſta ſcribunt) & quidẽ recta ſcripſiſſe videntur ex ipſa locorum propinquitate, ſiue ad Veram, ſiue ad Cranienas aquas id factum velint, loca hæc in proximo ſita: à fonte enim, quo Vera fluere incipit Cranienæ aquæ ad milliaria quatuor non diſtant. Ad aquas autem Cranienas nobili quadam, & generoſa æmulatione conſederat gens, quæ & ab Aquila, ipſis inquam ſcaturientibus ab aquis dicebatur, fundorum comitatu, & militari diſciplina, & rerum geſtarum gloria illuſtres viri, quibus cum Romani Quirites gente Pilia vetuſta de Pompiliorum origine: Ad eas enim familias, & populos eiſdem ſubditos ſpectabat is auita poſſeſſione locus. Huius itaque agri domini pleroſque & ipſi illexerant Heroas, magnifica munificentia, lauto apparatu, ſed quorum ſtudia mira felicitate æmulantes anteuerterit Veranos, præueritq; eo in Olympo. Hinc enim locus, raris ſcilicet, ſed magnificis ædificijs in vrbem creuit, quæ in dies auctior facta eſt tumultuantis populi voto. Huc enim commigrare coacti ſunt Beneuentani, quos diximus Proceres, & ea

omnis

omnis nobilitas & populus, qui ad Veram confederat, nedum Curetes. Quamuis etiam nunc satis frequenti in vico populus, & numero, & opibus non contemnendus perseuerat, & adhuc Beneuentanorum Ducum insigne gestat Pagani scilicet homines Diadematum in fronte caput, & Vicus ipse Paganicum appellatur. Sed quòd per ea præsertim tempora, quæ simpliciter alere videbantur ingenia, & sacræ expeditionis occasione castra construi placuit. Quòd duarum rostratarum nauium per mare procurrentium imaginem repræsentant. Ipsa enim fabrica, & situ adeò graficè, adeò venustè obtuentium se offerunt oculis, vt quid maius excogitari sit impossibile. Proinde quæ nauigaturi essent tamquam de naualibus procederent, neque de numero, neque de nomine militari exirent, qui per ordinem alteri præcederent, alij subsequerentur suppares vt intelligamus in his, qui maioris quiuè minoris ordinis. Qua de re locus is Nauilia appellatur.

Proinde nouæ Vrbi Aquilæ venustè quidem aptari potest illud Solini calidis frigidisque de aquis, quæ Sextiæ dicuntur. Quondam Hiberna contulis postea exculta mœnibus. Sed & ipsæ Aquarum Sextiarum nomen à Sexto Attico Vestino, vt ex inscriptione ibidem constat, obtinent.

SEX. ATTIO ATTICO PATRI,
VALERIÆ SEXTINÆ MATRI,
VALERIÆ ATTICAE SORORI,
SEXTO ATTICO FESTO FRATRI
ATTICAE NOVELLIAE FILIAE,
MEMINIAE PRIMAE VXORI
L. ATTICVS SECVNDVS SIBI,
ET SVIS V. P.

Integram inscriptionem adscribere placuit, quod & nomina, & gentes nostratia sint, & locus hic procedenti Pó-

tifici commodior,& propinquior, nisi ad locum vtrumque pro voto, precibusque Procerum, & populi annuens accesserit: neque id incongruum est, si modo vera sunt quæ leguntur.

Descendimus ad tempora, inferiora quidem: & diutius peruagati sumus. Sed ea est historiæ ratio, postulantis vt omnia nostro dilucidemus stilo: quæ nunc ad priora nos reuocat.

Curetes Patrum iussu nouo edicto expeditionem expediunt per montana Aboriginum: & Comerum Vicum secundum Apennini montis dorsum: sed oliuis vestitum fertilibus, & teneris virens herbis, Apienam, vel Apicennam condidere alteram. At quæ deinceps tertia, qua ad mare mons decliuis spectat, deducta est. Tertia, quæ Pinnensis dicitur Ciuitas, & infra montem per conualles vndequaque patentes, qua fluuius ex riuorum confluentium auctu procacior factus, & tumidior ea prouolutus regione ad mare delabitur, cui nomen inditum APRVSÆ, vel ab apri ruentis similitudine, vel ab Apro coloniæ deductore, ea regio omnis circa fluuium oppidis, & vicis frequentioribus oppleta, vbi primum familiæ pro populo pleræque dispositæ per loca, quæ agri vbertate numeris colonorũ sufficeret. At iuxta mare Istonium à vici patrij appellatione, colonos verò Istonates dixere Vestini: Ab Aprusa autem fluuio Prouincia omnis eius decursum fluminis, & vltra Aprutium nuncupatur pro Aprusio, facili apud maiores litterarum commutatione. Item alias à Patribus exciti: vrgebat enim expeditionis causa, sobole multiplicata. Igitur eiusdem generis Apro Duce per montana Aboriginum, siue Vmbrorum progressi Aprusæ alteri fluuio nomen fecere. Hi Mondianum condunt, & nuncupant patrio de nomine, qui olim ad Velinum lacum Modium Vicum a Modijs condiderant. Gentis huius supra meminimus in Modio Fabidio Testrinate, & is vicus distat ad milliaria duo à Scandrilia,

quæ

quæ ab ABASCANTE, & Ascanio denominata quidem est, vtpotè Scanianum minoratione quadam vocis in Scandriliam deflexum nomen, nisi is idem colonus deductor Modius Iunior fuerit: denominare enim, & imponere noua gentibus nomina id tantum (vt Fabius adserit) Ducum & Regum ius est.

Idem & Sarsinam Plauti patriam excitarunt, de Sari fluminis vocabulo Vestini & Sabini coloni: nam & fluuius qui infra eam defluit Sabum appellarunt. Exinde Ariminum ad maris littus dexterum, & ea vrbs nobilis, de qua varij quidem varia, vox certè sonat exaltatam mœnibus, & turribus, Mino duce, coloniam. Minus itaque, siue à minoritate nascendi, nam vltimo loco genitos, ab ipso natali, *Principios* dictos, & regnantes diximus Cranum, & Cranam, vel à minoritate staturæ, vel à minandi officio. A Mino itaque Minecia gens, quæ *Minicia* dicitur, & Minutia ab aquarum deductione, per fistulas scilicet solidas, qua transitus sit opportunior, siue excauato per terram riuulo. Vnde & minas, siue immineant iuxtà terram, siue infra per subterraneos cuniculos, & facere item minas pro cuniculis oppugnare, claret in Minicijs acquis, & in Miniciorum familia legitur Apronianus eadem in gente nobilis, & Naarthium præfectus: à Mincia item Arimini Corrector Flaminiæ, & Piceni qui & Genuensem agrum terminat. Coloniæ enim in eius perpetuæ clientela familiæ constanter perseuerabant, à qua deductæ essent, sicuti & deuicti in victoris familiam, & clientelam, transibant.

De minoritate in Minertimo significata auctor est Festus & in Minerua de Ducatu populo præstito, facti testimonium in Capitolio illustrissimum plerisque in statuis, & ipsa in Mineruia legione, pia, fideli, quam Domitianus conscripsit ex Vestinis, Curetibusque.

Minerua itaque Virago pro numine Dux Populi ad securitatem publicam Præitor, vultu ipso, nedum armis hostibus terribilis, minax, acri intuitu, & truculento aspectu, præ flaui luminis copia oculis ardentibus, Phornutio teste. Sed certè prudentiæ Dea, & belli: itaque à minando, vt M. placet Tullio, & ex Cornificio apud Festum legitur oculatam habens galeam, in qua humani quodammodo cerebri positionem inspicere est, & in ea speculatorias habere, vt oculis aduigilantibus lumen cœli in his, quæ agenda sunt, videant sensuperuigili: vnde Mineruam dictam adserit Festus, quòd benè moneat. Non itaq; contemnenda corporis exiguitas, in quo animi eluceat vigor inclytus. Nam & sapientissimorum testimonio inest MAXIMA IN MINIMO VIS.

Proinde Minerua, quæ primo aspectu formidabilis hostibus, etiam in recessu formidabilior eadem magis est. Et ad huiusmodi formidinem, & incussum hostibus terrorem facit illud Catulli in nuptijs Pelei, & Thetidis:

Frons expirantis præportat pectoris ira,

Cæterum qui Ariminum inter fluit fluuius, is Ariminus Liuio est, & à Menicijs non discrepat. Horatio tamen Folia, quæ vel à Faula, vel à Fauno Sabinorum, & Latinorum Rege prisco deductum est: Sed ne derivationem à longè petitam putes, accipe vetustatis testimonium:

FOLIAE QVIETAE
VECTIVS TIGRIS.

Vectiam gentem Romanam à Vectio qui primus in Vrbe interrex clarissimam negabit nemo, & ipsam interregni dignitatem omninò Patriciam, quæ plebeis nusquam communicata est. Vectius autem à vecte dicitur, quòd quasi pro vecte esset ad claustra & Serranos montes, ex quibus Vectius Ianigena Vestinus origine adparet, & in suprà allegata inscriptione Vectienum habes à Vectio.

In

In Epitheto Quieta demulcens præferocem quasi Tigrim vxor virum. Sed quod Fauni irrequieti semper, & improuisi adparere consueuerint, & molestiores esse Virginibus, & infantibus maximè, vtpotè errantia numina ignea ingenia quasi faculæ, fauillæq; procaciores, petulantioresq; Talem eidem adsessorem adsiduum adtribuere oportuit coniugem, & in verbo Vectius respondet Epitheto Quiete, agenti scilicet bene, & quiescenti benè, ob firmato in cubiculo, benè ordinata in domo, quò & ad agenda domi forisque alacer vti sciret velocitate. Tigris itaque & Folia correspondent, & proinde animi moderationem profiteri videntur tantorum nominum, & congruentiæ vir, & mulier coniugati compares Dijs volentibus. Atque ita maiores nostri aqua, & igni sibi inuicem communicato, nomen & ipsum florido pro cœstu Amoris iugo aptabant sibi concordes coniuges, vnanimes. Sed ad Fauni procacitatem exprimendam facit historia quòd de fauillis progenitum testatur Seruium Tullum Regem, qui huiusmodi nomina, & omnigenam coleret fortunam, & numina, de seruo adsumptus in Regem. Sed & Horatius de Fauni procacitate:

Faune Nymparum fugientum amator
Per meos fines, & aprica rura
Lenis incedas, abeasque paruis
Æquus alumnis.

Idem hæc de Folia, & eius virili succinit:

Nec defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam.

Ea de causa in gente Apronianorum Proculi frequentes & Mincij & Pincij in Minicijs. Sed Medij Fidij, qui & Sanguis, & Semon, & Semingus in Anicijs legitur, vnde Aproniani Pincij Semones: Semon autem, vel Semingus, quo in Semone Sancum, & Fidium iunctos habet: ipsum enim trino numine nomen, quod sit idem,

esse

esse comprobemus ex ipsius figura, quæ trino eadem de causa effingitur capite in vnicam inflexionis basim, pectus in saxeum, quadratum tamen, & vnicum desinit bene firmatum pedem, quo custodem peruigilem, & hospitibus perhumanum: furi verò, & hosti, & sacrilego inuiolabile, & terribile sacrarium, & arcem, & inconcussam, & horribilem præsignarunt vindicem, symbola Gentilium: & ea de figura Terminus appellatur: is eo nomine in finibus appellabitur æquè ac in plateis. Qui verò in summo Capitolini cliui pro vestibulo templi erat, Trianfancta à B. Cypriano scribitur: terminus enim in finibus constituitur. In quibus verò præeminet neruosius illud, quod in infantibus pro amuleto vsurpabatur, Miniciæ prænotatur, & propagationem generis, & imperij, & finium. Quare in Mercurij forma figuratur quasi Mincij, qui & Pincij, & Proculi: pomerij enim ampliationem summum in Reip. auctarium, & limitibus prolatis, & summa in ciuibus laus est imperij propagatio.

Verum pro Arimini finibus, & Rubico, illustre eiusdem in ponte interminatorium S. P. Q. R. Cæsari, & exercitui, qui eum sequeretur, in marmore sculptum adhuc perseuerat, quod quidem in contestationem loci Terminalis vtique clarissimum est testimonium.

Sunt adhuc iuxtà Ariminum loca plura eodem quo in nostratibus nomine, Coranium, Albanietum, Toranum, & Sabinianum.

Interea Picentes ad se nos reuocant, qui adaucti numero, ita vt tot numero, tot ciuitates populos nō caperent, Senatusconsulto nouam ad coloniarum Prouinciam rate quærere iussi sunt, & ad finistram nauigare. Itaque ad Cupræ maritima littora nandi, & nauigandi destitutam in tyrocinio disciplinam discunt, ediscunt in dies singulos animosiores ex laboribus, peritiores ex difficultatibus, neque segnes interim maiores natu portum commoliūtur,

ET

ET QVIDEM VEGETIORA ingenia intentatum relinquunt nihil. Alij itaque arborum truncos in lintres cauant, & maiora ausuri in ipsa arena remis se exercent, lintres propellunt modicas, qui tandem aliquando subigerent vndas. Maiores rates turmatim, & nouas ædificant, & eas planiores quidem, vt Cotylam innantem repræsentarent insulam, easque dehinc pice illinire, in eisdem singulis singulas pini arbores suscitare, vela funibus protendere, transtris remos aptare, affixa in puppi Veneris, vel Cupræ imagine, & eam quidem ad temporis varietatem peroportunam: aiunt enim menstruis mulierum purgationibus, & profluuio tempestates arceri, quæ per Helenes sidus perniciosissimum nauigantibus excitantur, si menstruata inquam nudetur: cum verò clarior illuxerit sol, expurgato vtero, depulsis tempestatibus iuuentuti nauiganti, aranti, ædificanti nihil Venere iucundius.

Cæterum cum nundum reperta esset illa ars Palâtica, de qua superiùs egimus, Augurum monitis, patrum concisi precibus, per ipsam se in tuto obedientiam rati vela dabant lignis bene picatis, & ea vox vna omnibus se adinuicem adhortantium, & fausta acclamantium, vt benè picatam nauem feliciter abire, procedere, peruenire precati genialiter confidebant, quæ enim stella orientem salutat Solem excussis post se tenebris, Vale dicit. Vnde & vento ea ex parte flante nomen Iapiga, & hanc in sententiam Virg. Aeneid.

—— Natat vncta Carina.

Venti autem omnes è cardinibus spirant. At cardinum potestatem Iani, & Cranæ diximus, vt vbi, & vnde, & quò vellent ventos cierent, quos regerent populorum scilicet Duces, opportuno cum apparatu occurrentes, & Astronomia qua ventorum causas, qua cognitione exorientibus vti scirent ventis. Iapiga verò certum non habet cardinem: sic & Eolus ventorum Rex, & Pater pro Iano, & Eano,

&

& Iapiga. Boni itaque ominis ventus Iapiga quòd securitatem pariat, quæ negligentium mater, vt plurimum, aliquando verò nouerca est. Et quidem de Cleopatra fugam capessente idem Virgilius cecinit:

—— Ventis, & Iapige ferri.

Sed Virgilio ipsi nauigaturo per eiusmodi nominis inuocationem bona omnia precatur Horatius:

Sic te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sydera
Ventorumque regat pater
Obstrictis alis præter Iapigia.

Peruenere itaq; prospero occursu perlustrata Apulia omni (qua maximè conuexa est) ad oram fluminis, quam sacro patrio de nomine salutantes nuncuparunt, & in ripas eiusdem religatis funibus confessuri descendunt, sibi inuicem gratulantes: aram, & ignem excitant, vota Deo Opt. Max. soluunt: deinde in distributione locorum Eburini Patres potiora loca sibi deligunt, & primis in sedibus, & proximioribus ad aras, & tabernacula constituunt. Cæteros etiam, ac reliquos pro dignitate familiæ, personæ, ac meritis disponunt. Itaq; adhuc Eburina ea dicitur regio, & fertilissima est: quamuis vulgò terra laboris appellatur: qui verò litteras paulò melius apicantur, & qui spectant agri vbertatem Campaniam dicunt felicem. Vnde Picentini panes Romæ Pontificijs in cænis secundariæ deliciæ, splendidiora corollaria, & ea ex alica, quæ frumenti species est, sed curationem industriorem requirit: quamuis per se alica non iniucundius frumentum est, immò & præstantius quod apud nos Martio seritur mense. At Neapolitani saccaro, aromatibus immiscent alicam, vel huiusmodi farinæ cuiuscunque adipem, & oblonga distendunt formia quasi cratis in figuram, & insuper auro pingunt, & huiusmodi pastillationis panem Regalem appellant pastam, siue mustaciam.

Sarus

Sarus verò Sabinorũ lingua ſanguinẽ importat, & fortè ab Eburiorum purpura viniuè. Sed ea in nauigatione illud accidit mirabile quòd loci fluuius in mare defluit, qui ex diametro opponitur Suro, quem in Piceno ſciuerant patrium. Itaq; omni quæ reliqua eſt Italia potiti forte fortuna, conſilio, viribus, quaſi patrios ipſo de mari muros ſtare facerent, & patere portus locis omnibus fecere nomina, quibus nunquam licuiſſet ſacram foſſam ſulco ducere retrogradu, quam omnino ad idem principium circulari proceſſu factam oportuit. Ad ipſam itaque aram agentes gratias reduces peruenere. Sed & Veſuuium, & Baias cum frequentibus colonijs tam aſſidua nouarum Vrbium, & tam clarum decus oppidorum auxere primi. Hæc enim loca prius incoluerant Aborigines: deinde Veſtini Aurano Duce, qui deinceps apud nos regnauerat, ſed tandem omni ſupercumularunt ornamento gentiles conuenæ, & aduenæ: Romani verò in eum excoluere ſplendorem, vt à Solino inter orbis politiora recenſeantur miracula. Opici interea quos Veſtinos diximus in Circeium traiecerant promontorium, qui per interualla temporum, per annonæ, & pacis ocia negligentius agentes, dum patres non conſulunt, nec per ſe ſcire ſtudent, occaſionem fecere cenſoribus nouos Tyronum delectus ad illas deſtinare colonias, per quos expellerentur Opici illi adiudicati degeneres Veteranorum reliquiæ, qui vitam veluti pecora tranſigentes fabulantibus appoſita ad fabulam ſcena eſſent. Quod regno ſub muliebri quaſi bruta animantia degerent, & ipſam illam Reginam viro forti Pico nubentem, ea pactione, vt regnum pro dote cederet. Temporis ratio in fabula non liquet, nec facti veritas conſtat. Poetæ enim inter Picum Tuſcum, & Picum regem non diſtinguunt, qui vtriuſque facta vni attribuunt, & noua obnubilant metamorphoſi in munerationis varietatem ocioſioribus munificam.

Nouos itaque per delectus Veſtinorum patrum conſilio prouiſum eſt, ne limes is pro ſecuritate, & dignitate Italiæ alienigenis pateret incuſtoditus.

En cenſurarum notas, quas in ſacerdotum collegijs obſeruatas rectè quidem, vt omnia ſancta Mater Eccleſia, apud quam vera eſt Religio, iure merito ſibi vendicauit quæcunque apud gentes religioſiora eſſe videbantur. Nos enim Poetarum fabulam (ſi qua in re præſenti vtilis eſt) & legimus, & explanamus. Ipſum itaque Circæ nomen, vnde, & Circæum à Circellis Falacrynis Flauiorum prædijs, altero in libro deſcripturi ſumus. Circellæ autem appellati fontes ſunt frequentiores, tenuioreſque, excæpti labro florido, qui ſcaturigines illas ambiunt, coronantque, inoffenſi tamen, neque enim aquarum vis flores proterit, quibus coronatur media perpetuo vere, ad animorum delicias, luſuſque, in quibus ſegnities, & ſocordia locum non habeant: Vnde & Muſæus de puellarum choreis è Libano monte ad feſtum accedentium agit, cuius ſententiam Muſarus latinè, & feliciter expreſſit:

Non Libani odoriferi in ſummitatibus ſaltant.

Hinc & Poetæ perſonam Principis ſponſi in delicijs habiti per fabulam perſtringunt ad metamorphoſim, ex eo quòd pro vxoris faſtu, & forma, quæ Solis filia diceretur, & regni opulentia, & ingenio inſoleſcentis manuum artificio admirabilis in domeſticis, forenſibuſque, belli paciſque tempore, terreſtri, maritimavè expeditione, ſplendidiori ſemper gazarum cultu procederet Picus, regia in trabea, paladumentovè naui Prætoria, & omni claſſe ad luxum vſque inſtructa, depictis auro velis, familiæ cultu, & ordine dapibus opiparis. Ea itaq; Solis filia ſcribitur, quòd Solis attractu aquæ in fontes ſalientes demanant, & circa fontes herbæ & creſcant

canè, & vigeant, & floreant, ipsius inquam lumine, & motu, siue calore, & virtute. Et hæc semper, & vbique Picus pictis in tunicis, eloquens, vnguentatus maritus, alatus Dux, qui vbicunque opus esset, illicò adesset, quasi volatu imminens, qui mira celeritate omnia perfecerit alacer, militum pater, populi securitas, Princeps nouus assidebat Reginæ, equitabatur Comes perutilis, ventorum, & stellarum peritia nobilis, sed qua gloria? Num vt circulatrix haberetur? talis enim ab Homero describitur, & eiusdem in verbo Virgilius;

Picus equum domitor, quem capta cupidine coniux
Aurea percussum virga, versumque venenis
Fecit auem Circe, sparsitque coloribus alas.

Cæterum cum de fabulis sermo est, & de tantorum Poetarum testimonio iterum, & opportunè quidem Homerum appellemus. Quis enim vel in Poetis non meminerit, & in primis non appellet laudatissimum Poetarum Principem? Qui ab Hospitalis Italiæ littoribus non alienus homo, imo munerator splendidissimus, ipsa in Italia emicuit, cui Circæum, & insulæ Aeoliæ, & Sicilia pro caua, circouè delecta est. Is inquam, qui omnia nouit, dum Vlissis patriam recenset Itacam, Italiam indigitat, & coloniam ex nomine, & in ea Laerthem Ianigenam vtique ciuem præsidẽtem inter Lucumones populorum Principem, quem Homerus iam caslum delineat lectoribus, si qui oculo non habeti in legendo sient; & ipsum iuxta Laerthem adstantes Lucumones duodecim. Sed qui Larthes filio absente, & quem vita defunctum putarent, in eiusdem domo petulantiores, Proci Reginæ se viduatæ ingererent, eius nuptias expoltulantes, & de Laerthis patrimonio, & prouentibus opiparè conuiuantes, quo Reginam, & filium impuberem, & socerum morarum tandem pertæsos compellerent, vt iam nubere vellet, antequam in huiusmodi commessationibus absumerentur omnia. Ipsa enim Lucumonum vni

quem vidua deligeret iungenda erat, vt populi præsentem interea habere viderentur Principem, cum Nepos ætate adhuc minor esset, in quo longum putarent expectare regni successorem, Auo Laerthe senio laboribus, & vitæ tedio confecto. Penelopen verò quasi Circem alteram Solis filiam prudentia sua eludentem procos, dum exorientis iubar Solis pro occasu acu pingit quasi in moribundi soceri funus honorificum texeret velum, quod extrema altera semper parte retexeret nocturno labore Latona altera, quæ de tenebris solem producit: & proinde ea diuturniori mora redeundi terminum marito prorogat, & Telemachi crescentis incrementa, & spem enutrit. Procos autem differt, & quos venustate, & ingenio, manu, artificio, & prudentia in familia optimè regenda attraxerat, pudicitia, & seueritate distinet. Neque aliud cogitasse Homerum dixerim, cum eo in circo Vlissis errores, & historiam omnem refert, nisi quòd ad Italiam in Italicis Principibus orbis terrarum Reginam in theatro considentem spectatricem, & iudicem muneris alliceret sui. Qui musas omnes, & omnem produxit artium, & scientiarum scholam perutilem in scenam suo in Heroe, qui propria virtute & omnia, & impossibilia perfecit solus, vt munerationem honorificam tantis probata iudicibus vniuersus admiraretur orbis, & fama, quæ veluti aurum per orbis cardines, honores, & plausus, & laudatores excitat. Ita tamen, vt priorem, potioremque locum non deserat, quem vnum pro omnibus occupatum obtineat. Orbem Vrbem inquam Romam, vnde celsa quasi de fabrica alloquitur populos, de arce inquam Imperij: & ea proferat, quæ æterna memoria digna sunt nominum, & virtutum præconia. Hæc autem à nobis sic dicta, Græci æquanimiter ferant velim, qui modo ad nostrates Vestinos stilum reduci verto manum.

Hi

Digitized by Google

Hi nuſquam ſegnes, neque interea læuum Atriæ latus intentatum reliquere, qui oportuniori quidem in loco naualibus Rauennam ipſam metati ſunt, vbi infra decreſcente mari Claſſis ad excipiendas in portu claſſes commolito appoſita eſt: quæ quidem Vrbs regia, & regiæ vrbis portio: ſed hæc ſub Auguſtorum tempora. At Veſtini loca circumcirca communiuere complura. Sed & Eridanum quaſi per Eurypos decurrentem expediuere plures: & eos patrijs de nominibus appellauere. Inde Hadriam alteram ad fluminis oſtia, quem Vatrenam dixere quaſi Aternum magnum. Is autem ex ſacro foro Cornelienſi defluens Eridanum adauget: deinde latius progreſſi mediterraneum delectas ſedes captant. Itaque Verona conſtruitur de Veræ fluminis accolis, & loci flumen ab eo dixere Ateſim. Hac igitur ratione auctaria habes, & prorogatis in finibus nobiliſſimam Prouinciam, multiplicata loca, & nomina.

Et Comum à Cominis populis, quos recenſuimus. Eſt enim antiquis Coma planities oblonga, vel connexis incluſa montibus, vel aquis confluentibus Inſula. Comini verò à numine quodam, qui Comus dictus eſt. Hunc adoleſcentiorum licentia fecit Deum, non ad comitatem tantum, quæ expetenda virtus eſt, & probatos decorat ciues: ſed quia pueri nobiles, qui in Regis obſequia excubarent, & Camillarij dicerentur, aliquando per annonæ, & pacis otia laſciuire cœperunt, & Lateronum fauore procaciam, & proteruiam in aruinam nutrientes, nocturniſque cantilenis, choreiſque rationabilem populi interturbarent quietem, & alienarum appetentia vxorum vt haberent, in quod reijcerent numen inſitum ſibi, & in ſemetipſis cœlitam laſciuiam prætenderet. Cæterum diuerſi ab ijs Camillarij ſacerdotum miniſtri, in quibus modeſtia vigens futuræ per augmenta ætatis ſponſor adeſt ſanctitatis ad Sacerdotij ſuffecturam. Vnde & eoſ-

dem

dem Cados dicebant à sacris disputationibus mysticis; quales Nabuchodonosor accersiuit ex omni Hierosolyma tres illos selectos in Curiam.

De eiusmodi autem apud nos Cadis Camillarijs Vicum habemus & Camiliarium, & Aruntinum, & loci memoriam Cadichio superamihi milliario inter se distantes, sed Camillaria adhuc frequens in Vicanis. At Regij Camillarij quasi in prætorianam cohortem, & comitiuam adsumpti perpetuam nouum salutare numen pro salutis, & victoriæ optione Camulum sibi effinxere, de quo superius. Sed de Camulo testimonium ex antiquis monumentis habetur Quintilioni in Sabinis,

CAMVLO SANCTO FORTISSIMO
TI. CLAVDIVS TI. FI. QVIR. TERTIVS
MIL. COL. VII. P. R. 7. VEM.
L. D. P. D.

Vnde occasionem quasi de proximo præsumpsit Domitianus Imperator, qui se filium diceret Palladis, & Dominum se, & Deum appellari voluit, edixitque.

Sed in eisdem quos diximus Vicis orientaliores magis Aruntini, quibus illa de Arachne, quæ cum Minerua, vel Testrinate, vel Corythallia: eo enim nomine apud Athaneum in 4. legitur, & apud Ciceronem de natura Deorum lib. 3. Coresia, & quidem à Κόρη sicuti & Curina,

MINERVAE CVRINAE LADAE
PVNICVS GENIALIS II. VIR.
COLONIAE MORINORVM
SACERDOS ROMAE ET AVG.
F. V. A. M. D. V. L.

Cum Minerua itaque Arachnes contendere ausa est, & concertatione quidem nobili, textura in quam, quo in studio muliebre laudatur ingenium vigens, & manus laborum diligentissima. Sed earundem compendio explicemus multi nominis concertationem.

No-

Digitized by Google

Nobiliſſimæ orbis terrarum Virgines ea in contentione iuditium prouocant, ſed Arachnes fila tenuia expoliti ſſima: Mineruæ autem texturam, perfectum inquam opus laudarunt Patres, & omnium calculis Minerua vicit, quæ etiam vltra ſexus pauorem arma tractare, & à bellicis non abhorrere ſueta congreſſibus, & populo ſe ducem præbere, & ſalubriora commonere feliciter. Quamobrem diuinis aucta honoribus, quòd in ea cœleſtium contemplationes, & Religionem antiqua ſeueritate bonis excultam artibus admirarentur Patres. In Arachne autem ad delitias animus pronus magis, & ingenium ad artificium tenuium ſuſpicienda hæc curialibus, & popularibus apprimè fauorabilia, ſed PRVDENTIVM eſt iuditium, & in omnibus vincit veritas. QVAE ENIM Virtus eximia ad ſummam prouocat ingenia gloriam, eam non temporum curriculis, nec induſtriæ, & patientiæ alis aduecta adſequitur æmulatio. Et quidem veri laboris amatores homines fama nuſquam loci deſerit, & qui victoriam coronat populi plauſus, & cantorum hymnus immortalis, dum victoris laureas adauget, inextinctum deuicti ſeruat nomen per ora hominum fama circumferens quaſi Perſeus Meduſæ caput vel Holophernis per capillos de Iudith, vel Goliæ de Dauidis dependens manu. Sed iam ad rem noſtram quaſi poſtliminio reuertimur.

Interea Veſtini Ianigenæ ad montium clauſtra patrum iuſſu nouæ vrbi locum deligunt inter vtroſque Aborigines medium, & iuxtà Curetes eam Coniſſam dicunt à Conitio, ſacrauè foſſa, de quo ſuperius. Is locus quaſi pænu commune in Reipublicæ ſpecies colonis eſſet ſuis deligitur, deſignatur, communitur, oppletur Ciuibus oppidum, in quo Romanorum temporibus Iſſiam gentem legimus, & Conexiam. Vnde fortè oppido illi nomen factum eſt nouum, niſi à fabricæ figura. Sed quæcunque nominis cauſa fuerit, illud quidem antiquitatis teſtimonium habemus omnium

nium ſententia comprobatum. FABRICAE ſequela ruina eſt, rerum viciſſitudo, nominum mutatio: viciſſitudo quædam eſt, Commigrarunt enim vetuſto de oppido populi, & ad loci congruentiam, quem delegerit nomen, & diſpoſitionem oppidi nouarunt.

Leoniſſani itaque Coniſſę reliquiæ etiam nunc ad montana clauſtra conſident Seranos infra montes, quos alij perperam Ceraunios ſcribunt, locus is iuxtà Falacrynam vallem, & collimites Reatinos. De Comiſſa antiquitatis teſtimonia alij alia proferunt, ſed mendoſius quiſque, immo & legunt, & publica inſcriptione propoſitum habent vncialibus, vt dicam, litteris, in oppido Leoniſſa loco inſigni ad fallaciorem conteſtationem.

Sum connexa vera clauis montanaque ſera

Pro quo legendum omnino eſt:

Sum Coniſſa ſera, & *clauis montana ſeuera*.

Ita enim & verſus conſtat & nominis proprietas, & ſententia. Eo enim montium iuga connexa, quaſi in dorſo ſpina aditus omnes obſtruunt, vnde monti Serano nomen. Sed neque ad hiſtoriam minus congruere videntur teſtimonia antiquitatis, quæ in gentilibus, & proprijs nominibus patrium præferunt nomen, ſiue Ciuicum.

In Ald. 709. 1. Interamnæ.

P. CVRIVS T. L. DIGNVS
P. CATINIO P. L. SERRANO
P. CATILIO PRIMO.

Et

Mutiena T. L. Dica
Mutiena T. L. Dionyſia Firmioni.

Eſt autem Catinium in finibus Veſtinorum & Æquicolarum. Catilia verò iuxta Tybur, in ipſis Æquorũ finibus.

Sed ne Leoniſſæ nomen, & etymon ſubticeamus quaſi prætereuntes, quæ pro ea faciunt, antiqua monumenta adponamus.

In

In auct. ad Smet. 33.

LISSIA SABINA C. ORANDI CON.
LICONIES SECVNDILLA L. IVNII LICONIS.
ET IVNIVS LICINIVS LICINIANVS
Q. LICINIVS ZOZIMVS SIBI, ET CONIVGI SVAE
ISSIÆ ONESIMÆ B. M. & ISSIÆ CONLIBERTAE,
ET CALLIACO FELICI FILIO.

Et pag. 50. quod ad Turrim Verangulorum habetur;

Q. LICINIVS ZOZIMAS FECIT SIBI
ET CONIVGI SVAE LICINIAE
ONESIMAE BENE MERENTI,
ET LICINIAE ISSAE CONLIBERTAE,
ET CALLIACO FELICI FILIO. ITEM
LIBENTIS LIBENTABO SE, POSTERISQVE EORVM.

Et in eodem agro Leonissano,

LISSIAQ. F.

Itaque & Cantalici oppidi, & ex aduerso instituti Transalici ex Licone, & Liconia & originem, & appellationem dixeris.

Præterea legimus Tarquitium Ro. & Eutychiam Græcam parentes S. Taurini Embroicensis Episcopi.

Tarquitij verò ex fratre nepotem Licinium Præsidem, & Leonillam Licinij Præsidis vxorem.

Vides igitur in Licinia gente Leonillæ nomen, & Onesimæ & ISSAE, & ex Licinia, & ISSA, LISSINIAM denominatam, & Liconem, vt facilè conflatum exinde dicas Leonissæ nomen, & Leoniani vici, qui iuxta Leonissam est, & in montanis oppido nomen Montileonis de quibus hactenus. At qui infra ad Falachrynas descendunt valles, & Vestinos, humiliores quidem, sed perpetui colles, Pinatiæ scilicet. Sed hæc Strabo ad Lucanos

canos reijcit longa post tempora à Sabinis deductos colonos. Primi enim Sabelli Tauro Duce dispositi sunt. Vnde & Taurum in signis præferunt.

De Samnitibus verò item alij aliam sententiam protulerunt, sequunturue pedarij. Sed qui Comium Castronium Ducem eas deportasse colonias de Sabinis contestantur, & primum occupasse collem, cui nomen Samnium, & ab eo quasi ab originario Samnites dici recta sentiunt, & recta sentientibus probè consentiunt.

At Hirpinos ita appellatos aiunt, sicut & Hirpani vetustiores de Lupo præeunte colonias. Sabini enim Lupum Hirpum dicunt, deductionis verò temporum ratio non liquet.

Vltimo loco Lucius Samnitum Dux colonias suo de nomine Lucanas condidit. Vnde Lucanas Po. Ro. nouit interganearum delicias, de quibus Martialis.

Filia Picena venio Lucanica Porca.

Quod si ad Virgilianum illud aptes, de Porca quam Aeneas vidit albam,

Triginta capitum fœtus enixa iacebat
Alba solo recubans albi circum vbera nati.

vtique ad colonias respexisse Martialem putabis.

Cæterum quæ humanarum vicissitudo rerum est, ea & nostrates perstrinxit, dum Lestrigonem iniquiorem sortiti Regem, nec perferre satis, nec tueri patiuntur, Herculi obnoxij fiunt, & dum fauent Dardano grauiter apud Coribantum offendunt. Itaq; regni gloria, opulentia, nomenque illud perillustrius ad Ianigenas alteros, eorum quidem sobolem Tuscum Sagam vltra Tiberim quasi aquæ delapsu fluminis impetus insolens in dexteram in se proturbantis, effundentisque deflexere omnia. Quo tempore Latini illustriores Sabini nominis esse cœpere, & Regnum obtinere. Sabini verò per sapientiæ studium, & pietatis, & Regni contemptum seuocati ad quietis otia, & veritatis

tis indagationem ſequeſtres degebant, niſi per Latinos Reges ad explendum Senatus numerum reuocarentur, in quibus ſemper primas obtinerent. Sed tandem maris imperium, & Latinorum ditio, & Campaniæ littora, & maiora prope omnia ceſſere Tuſcis in Patribus ordinata ex Dynaſtia Sagis, qui prudentiores in dies regere, & Sacerdotij, & Imperij, lituum, & faſces obtinere, quaſi virtutis, & poteſtatis propriam neque iam acceptum quid referre Sabatio Sabiniſue Patribus: Sed Cato lib. 3. pro Aboriginibus illuſtre teſtimonium profert in hæc verba. A Tuſcis Sagis, qui à Sabinis originem trahebant, Dynaſtia Larthes ſcilicet, iuxta eum Lucumones XII. Hos verò Lucius Capita appellat Etruriæ hi Ciues nouæ Vetuloniæ optimates, & per Regni cardines: ille verò primas, & in vrbe preſidens illi ſecundum regionem quiſq; ſuam maritimam, mediterraneamuè in collimitibus præſides inuigilabant vti opportuit. ET QVIDEM Iuſtitiæ, & Fortitudinis diuturnum Imperium: Sapientiæ verò ingens eſt Gloria. Pietatem immortalitas ſequitur. Neque aliud Sabinorum ſupererat ſtudium, quam Reipub. & Agriculturę laboribus de Deo contemplationi addici, ſacrificijs quotidianis perfungi, publicis, priuatiſque, ſacrorum myſteriorum amantiores myſtæ. Et eorum ditio à Nare vſque ad Aequicolas, & ſecundum flumen Aternum, & Apenninum ad mare ſuperum. Cæterum Latinorum regnum Latio compræhendebatur: Sed Tuſci qui Regium, & ipſi antiquauerant faſtum in Dynaſtiam conuenientes pro ſapientiæ laurea Sabinos æmulantur, PER VICVM iuuentutis ſtudiū vires fouet, colluctatio Caſcos non decet. Scholas itaque inſtituere, quo quaſi ad bonarum artium emporium conuenirent. Perſeuerabat tamen eadem in vtriſque religio, & lingua eadem, quæ & priſca eſſet, & vetuſtiſſima. Pons Sublicius priſtinam conſuetudinem antiquari non ſinebat Sabatij prouidentia, qui ad hoc pótem iecerat,

& posterum diligentia ne quos procurrentis impetus fluminis secundum ripas disgregat dissidium distractos disterminaret, sed charitatis mutuæ amor necessarius in posteros propagaretur. Vnde super eundem sublicium Saliorum ludus, & illa nominis inter virum, & vxorem commutatio commixtioue.

Sed ne Curetes intermortuos putares in ipsis Quiritibus, constat & humani Imperij Maiestas, Roma Inquam, quò Vestæ sacra conuexerat & Dardani, & Vestinorum posteritatem transuexerat filio in Ascanio, & exercitu omni Aeneas pius. Ipsa inquam Roma Quiritibus aucta suis quid non domat? & iure merito quidem, eo quòd veritatem, quæ omnium fortissima est, vltro obuiauerit, & in sanctissimis Apostolis quorum pedibus aduoluitur venerabunda, osculatur, auscultat, adorat Christum, quòd eius munere Virtus est, quæcunque vera Virtus est: Quòd ipsa eiusdem beneficentia orbis gubernacula regit Regina gentium. Tu verò ne quid in Veritatis nomine suspiceris, neuè requiras, explanabo.

Veritas Christus, & D.N. Iesu Christi fides Veritas est. Is ante sæcula Deus, qui Verbum apud Deum, per quem omnia fecit Deus, is idem in vltima sæculorum ætate dignatus de Virgine nasci Homo, qui semper Deus largitus est nobis suam Deitatem. Christum igitur Roma adorat, & sapit: in cuius Ecclesiæ vnitate Christi fidem vniuersus complectitur orbis, & quasi circa matris vbera filioli ingenui pretiosiora materni pectoris monilia pertentant gaudia gemmæ, capitis adaugent gloriam.

Hæc itaque quo tempore, per quosuè fieri cœperint, & perfecta sint, præstante eodem D. N. IESV CHRISTO, in subsequentibus dicturi sumus.

PETRI

PETRI LEONIS CASELLÆ DE TVSCORVM ORIGINE, COLONATV, ET REPVBLICA FLORENTINA.



Digitized by Google

THOMÆ LATINO

V. I. D.

LORENTINAM Historiam ab ipsius Tusciæ primordijs, tum & colonatus, in Reipublicæ per petuitatem festinus compendefeci, festinus elucubraui, tuo inscriptam nomini. Vrget tuus in

me

me amor, vt tua causa velim plurimum. Admonet me Dantes vir ille memorabilis, qui maiores nostros, Latinum scilicet, & Casellam virtutis ergo vnicè dilexit, vt amoris in te mei opus adpareat: Quod tibi, & lectionis breuitas, & iugis in patriam charitas commendat.

DE TVSCORVM ORIGINE COLONATV, ET REPVB. FLORENTINA.

CAPVT PRIMVM.

TVSCORVM conditor Sabatius Saga, à quo Tuscorum Primores Sagæ. Is Iani iussu vltra Tiberim ad dexteram suo de nomine, Sabatias posuit colonias, qui & à Coritatus dignitate Cornuetum dixit. Sed & nouæ coloniæ, & populo Vniuerso nomen fecere Tuscum frequentiora sacrificia. Prouinciæ verò à Patella sacrarum apud Gentiles oblationum Oetriæ. Hæc senissimus Pater iusserat, cum iam ipse in montem Tiberi imminentem secessisset, qui eisdem de Oraculis Vaticanus, & tamen de Patrum conuentu ad alterum secundum flumen cluum Ianiculus: & à Lyri ad Apenninum vsq; & Tiberim per montana mediterranea & litoralia Aboriginum, Vestinorum, & Sabinorum, & minorum deinceps nominum pleraq; condiderat colonias. Hos omnes Herodotus vno nomine populos appellat Vmbros, superstites scilicet à diluuio. At Sabatius deinde Veios vrbem Primariam in Tuscis rotarum orbita notabilibus in domibus constituit, ne de vocis origine ambigas. In ea Prætorium, & Curulim sub velo. Post hæc autem

propagari cœpit Tuscorum nomen, & gènus à Tiberi Arnum vsque: tum ad Alpes Apennini itum est, quibus aliquando superatis regionem omnem ad Alpes vsque Cotias obtinuere, vti Dionysius Halicarnasseus, & Græcorum plerique volunt: quamuis idem plerique non vltimi nominis, & loci auctores adtribuant Vestinis, Sabinisuè per Hadriæ propinquiores ostia, maritima expeditione superum per mare profectis. Et quidem pro his facit Hadria altera, & Rauenna, Verona, & Conium. Cæterum quoquo modo res se habuerit, illud planè subditur, Gallos expeditione præcipiti, Alpinas per niues saltu innoxios in campi se proripuisse planiciem, qui nocentissimi peruasere omnia, eiectis, aut enecatis veteribus colonis. Et adhuc constanter Cisalpina dicitur Gallia. Nos itaque ad nostra conuertimur, qui legimus primam in Tusciam, Æquos, è Curetibus inquam, euocatos, hos deinceps per populos quosque nominis, & officij sanctitate in controuersijs dirimendis, & sanciendis fœderibus, humano generi acceptissimos. Tum & Lydi aduenere, & Pelasgi, & penè ex omni Græcia ad matricem Prouinciam redeuntes in posteris oppleuere Prouinciam omnem colonijs, nominibusque: pro historia enim fama publica, Poetisque decantata, quantumuis eam per metamorphosim sapiat fabellam, de Tuscis nauibus Ionicum per mare nauigantibus, quòd florentes in Insulas, & nautis in Delphinas immutatis: quæ enim veterascunt naues, ad portum sistuntur selectarum Insularum, peninsularumvè, at nautæ tanta peritia potiti portu, & agrorum vbertate nouas condunt colonias item & naues. Tusci itaque maritimis expeditionibus præualida nomina Delphini nuncupantur. Proinde qui è posteris ridiere Falisci, & ab Alphei fluminis accolis stetere Pisæ, vlteriorem scilicet per Tusciam, stetit & Aretium infra Apenninum mediterraneorum Princeps, & Camersolis, quæ longa post sæcula

Clu-

Clusium nuncupata est. Tum & Talamon, & Agilla, quæ deinceps Ceræ Pheregenę. Saturnini, qui & Aurinini Vetulonienses Veretani, ex ea populorũ confarreatione. Tum & Petilianum, & Petilia gens, & Surianum de Tuscis sagis primis à Petila sura, de qua in Calpe diximus in præcedenti libro. Et quidem vsus perseuerans gentis, & nominis originem indicat. Si quis enim procus aduersas tulerit reiectus procus ipsa per aliena sponsalia, ac nuptias, & deinceps crus sibi candenti obligat fasciola. At vberibus in campis, & collibus plerique Seniciorum vici, vnde selectus populus, & coloni Roma deducti ex ciuibus Senensis coloniæ. Nam & Senę, & Calpe in Vestinis Ianigenis.

CAPVT SECVNDVM.

ET ipsamet Tuscia in semetipsa multiplicari cœpit, eò quòd frequentior iuuentus præ numero aliò deducenda apparuit in colonias: proinde ex Oetrijs Etrusci promanarunt, & à Volscentibus Volsinij, & exinde Volaterani, quos primum Etrusco nomine nouit Plinius, & à Cornueto Cortona, & à Fescenninis lasciuioribus exiere castiores Fæsulani, cum non omnino probaretur omnibus illa procax Fescennina loquutio, proinde & vita procacior. Cæterum loquutio illa Fescenninorum melioribus orta principijs ad numinis laudes, vt plurimum abierat in Satyricam licentiam, & ad nuptialia præsertim, & vim illam, qua sponsus in sponsam imminens irruit quasi aper. Eo enim symbolo matrimonij consumatio apud Gentiles, vt Festus adserere non dubitarit, Fescennia à fascino, quæ vox virile membrum significat, & Græci Fascenniõ dicunt pro Fesænnia. Sed de huiusmodi carminibus audiendus Horatius.

Agricolæ prisci fortes, parvòque beati
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentum
Cum socijs, operum, & pueris, & coniuge fida,
Tellurem porco Silenum latè piabant,
Floribus, & vino Genium memores brevis ævi,
Fescennina per hunc invenia licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fundit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter.

Hæc igitur exeundi occasio, & condendarum Fæsularum causa, vbi repertum de congruo dixeris Sæculare carmen pro Fescennino quod reiecerant, & per nemora, & solitudines, quasi adhuc lasciuientium contubernia vitarent, sub Dianæ tutela, pueri integri, & puellæ Virgines primaria de nobilitate, alternatim decantabant Dianæ, quæ & Dice, ideſt dici digna, laudata, & laudabilis, culta, & colenda. Et quidem ad huiusmodi accomodus erat Fæsularum situs, & ager in montanis, & nemorosis iuxtà illud Horatij:

Montium custos, nemorumque Virgo.

Et infra:

Ter vocata audis, adimisque
Diua triformis.

Et Catullus:

Dianæ sumus in fide,
Puellæ, & pueri integri,
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Iouis,
Quam mater propè Daliam
Deposuit oliuam.
Montium Domina vt fores,
Siluarumque virentium

Sal-

Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.

Quæ quidem omnia Fæsulanus situs abundè habet ad huiusmodi cœremonias, montes scilicet virentes, & in his fertilissimas domesticarum arborum siluas: Tum & reconditos Siluestrium saltus & fontes, & fluuium, & lacum quem Album appellant. At qui hæc adfero, non tamen addiderim paludes illas vndequaque computrescentes sub aduentum Hannibalis, nisi temporaria, & intempesta damna reieceris, quæ Italiæ cladem præcessere. Proinde oportuna in reconditis loca ad Aruspicinam illam, de qua Silius VIII.

Et sacris interpres fulminis alis Fæsulæ.

Ergo Fæsularum nominis origo eadem quæ, & causa conditæ vrbis eluceat, à lasciuientibus scilicet se segregantium conuentus seueriorum puriori religione laudes Latonæ geminis congeminantium carmen in gratiarum actionem pro frugibus, pro fœcunditate, pro salubritate, ac pacis ocio, quæ de sæculo in sæculum prorogari vellent, Sæculare dicitur carmen, ex quibus illud elicitur. Fæsulani populi vita omnis purior, de animi puritate moderata. Vox ipsa à Græca promanat, qua dicere significatur, & illud A E. in Fæsulis Latinè prolatum non ad diphtongum: sed ad vocis suauitatem, & infantis sibimet blandientis repræsentans lallatum, vt in Lælio. Cæterum non quid populare huiusmodi sæculare carmen: sed electissimis Virginibus pueris, puellisque ingenuis, qui vocis suauitate pollerent, in collegium adscitis, edoctisque demandabatur. At in collegio quoque certus numerus: Quaternio inquam maiorum, in quibus senior Magistrorum magistet præerat: Tum & Ternio Iuniorum, quibus ex Quaternione dabatur Magister anni primi. Cæterum collegium, de quo agimus, gemino ingeminatus est & numerus, Apollini scilicet & Dianæ, & ad vtriusque collegij regimen summus illius ordinis, ac loci Antistes (hunc ego Augu-

rem

rem illum puto de quo apud Silium VIII.) præfici oportuit, & ita in his constat XV. VIR. de quo Horatius:

Quindecim Diana preces virorum:

In quibus diuersus quidem precandi modus, idem & cantandi. Impuberes enim hymnodiam, & eam illius anni nouam vtique & insinuatam omnibus à Magistro anni primi concinnunt, puta quaternos versus, provt in Catulli, & Horatij textu habentur, & hos item repetunt puberes fœmellæ pleniori, vt cõsonũ est voce. Tum & fœmellæ impuberes in idem Quaternarium: quod puberes excipiunt masculi: tum ad secundum impuberes masculi Quaternionem procedunt, & cæteri eodem quo diximus ordine, quosque completum sit ex integro carmen illud nouum Sæculare: Ad quæ maioris ordinis hymnodiam aliquam ex vetustioribus intermixtam puto, vt omnino carmen sit Sæculare. Demum ad nouum redibant hymnũ Magistrorum magistro, & maxima Virginum hinc inde eleuata, & deposita manu digito cantum moderantibus, & altera manu tessellularum rotundarum habenti numerum ad centenarium accommoda partitione filo suspẽsum in gyrum, qualis nostra est annorum D.N. & B. Virginis corona, nequid, si cœremonias spectes, maioribus in gentilitate intentatum putes. At nos, qui huiusmodi ritum non legimus, nõ tamen temerè enunciamus. Constat enim de choro alternatim: item quod tres faciunt chorum. Constat de septenario collegij numero: probauimus item de eodem congeminato, & præsidente vtrique. At de annorum corona de manu Vestalis Virginis dependente, deque Vestalium maxima velata, ita vt nares tantùm, & oculi promineant, ab illius sæculi tempore effictam habemus historiam in ædibus Iuuenalium ipso in orificio putei. Item & de silentio Maximæ Vestalium, & Pontificis item Maximi testimonium habemus Prudentij:

Scandit cum tacita Virgine Pontifex.

Tanta

Tanta autem huiusmodi cantus, & vitæ disciplina in Fæsulanis, vt etiam vetustum illud signum lunæ obtinuerit etiam per Christianorum tempora, & quidem ad vetustæ nobilitatis, & loci, vbi gestari consueuerat contestationem publicis in insignijs lunam candenti serico in vexillo cœlestini coloris erexerat Florentinus colonus, qui Fæsulas Florentini Senatusconsulto, & populi scito restitutas commigrare iussus est, cum ad Rhadagasi imminentis Gothi famam, & vrbem selectissimo in loco redactam muro cinxit, cætera vrbi proxima diruit ædificia, præparans se ad pugnam, omnia item & singula. Nam & ad exitus Apennini custodes inuigilasse Florentinus, & Fæsulanus, leguntur.

At anni primi Magisterium, & ipsiusmet ternionem adhuc in stroctiorum insignijs designatur & cognomento; id enim vox hæc vulgò significat quod instruo, & in insignijs, & clypeo paralellus, vel fascia ex purpura tres cõtinet ex ordine candentes lunulas masculas, crescentesuè, cum reliquæ infra, supra que clypei partes albæ sint, vt dixeris vetustissimum insigne. Sed ex cerulea fasciola in purpuream immutatam cum Fæsulani traducti intra Florentiam Vrbem in honorum participium recepti sunt, & vtriusque populi in vnum insigne, ex purpureo scilicet, & candido à summo ad imum æqualiter diuisum.

Neque enim omnino omnes Fæsulanos delectos putes à Cæsarianis. Sed inter eos, quibus indultum sit, sacerdotes, vtique qui honorificè euocatum numen rite colerent nouam intra vrbem deductos: id enim imprimis obseruatum apud Romanos. At tu, amice Lector, ne mendum dixeris, quod nouum audis, huiusmodi enim signa historiæ veritatem adamussim deliniunt, ad rei proprietatem: Et quidem de originibus tractamus, & de auctorum nominibus, & locis, & populis nomina imposita scimus. Nec quia tempora vetustissima cum nouis coniungimus

no-

notandum, aut obijciendum quis imputet nobis: res enim perepitomen prosequimur, non tempora computamus.

CAPVT TERTIVM.

DE Vmbris & conterminis, non nostri opus operis est, qui de Tuscis compendio agimus, illud tamen in transitu dicimus, in his clarioris nominis apud maiores, Ameria, Tudertum, Spoletium, Hispellum, Nequinum, quod deinceps Narnia. Hæc enim vetusta de nobilitate adhuc superant.

CAPVT QVARTVM.

SED & post AEquos euocatos è Curibus (vti diximus) eo è Latio ex Volscis Volscenses, sicut & ipsis ab Oscis Volsci, ex nominum litteratura claret. Et quidem ipso in Latio Hirpinos habes ab Hirpijs, & inter pleraque colonias Nolam ipsam, & Fescenninam illam per vindemias licentiam. Itaque & Clamim in Etruria, & Clanim apud Campanos decurrentia flumina sola pronunciatione distincta: sed antiquiorem subindicatam vocem puta ex littera G. quæ vetustioribus pro C. vti in *Acere* pro *Agere*, & in *Gaius*, pro Caius. Illud autem certissimum maioribus colonias non ad Regni propagandos limites: sed ad sobolis subcrescentis sedem & agrũ quesijsse. Proinde à Camera Camertum, & Camersolis, cuius situs Porsenæ arbitrio, qui exemplo Iani locũ sibi delegit, vbi vltra Clanim senescceret mortis solatiũ sepulchrũ fecit ambitiosius labyrinthi formã infra & supra terram, quod ad miraculum orbis terrarum vsque extollit Varro, & Plinius in Varronis sententiam, quos non subsequi, & refragrari pudor est: & quo inuio-

labilis

labilis in æternum fabrica esset Iouis Clusij templum dixit eidemque Ioui dedicauit, aptauitq; sibi Curulē præforibus templi,&ibidem iuxtà altare vbi sacrificaret,vbi perpetuus arderet ignis: quod facile probatur de eiusdemmet vsu, in ipsismet castris Romanam per obsidionem, quanto magis iuxtà templum,quod stabile exædificauerat, ac solemnissimum:& hæc apud Romanos perpetua, qui de Tuscis acceperant quæcunque luculentissima, quæcunque religiosa magis, ac splendida. Illud tamen Porsena vsu non obtinuit, vt posteri, qui regnarunt ibidem loci Curulem stantem patienter ferrent. Sed Veios referre, & reponere placuit. Cæterum priscam illam sacrorum peritiam, tum & linguam in vocibus, & characteribus, viridi, ac perpetua obseruantia obtinuere, mordicus etiam Romanis aliena imperantibus, qui apud Larthem, & Lucumones edocendi peregrinationem non abhorruerint,qui rerum Domini. Et tamen Christianam per religionem cœremonias, & ritus huiusmodi antiquari conferre Tusci, & per Barbarorum, quæ subsequuta est illuuionem in Bulgarorum idioma inter Italiæ populos Tuscum audire præstant eloquentissimum hominum, Ecclesiasticis in fabricis, & cultu splendidissimum.

CAPVT QVINTVM.

VEIS solo æquatis per Romanos, Volsinium commigrarunt Larthes & Lucumones, quos diximus vtriu que Tusciæ Principes, ne longius à Ianiculo abessent vbi quondam Iani Curulis statua, & perpetuæ memoriæ sepulchrum celebre:hunc enim præcipuè colebant. Sed loci, ac nominis Maiestas pro temporum securitate (quòd pacata omnia viderentur, ita vt intra Italiam silerent omnia) Prouidentia Romanorum, & ipsi per annonæ, &

pacis ocia ocioſiores eſſe cœpere, qui quondam Tuſci Sagi, negligentia rerum omnium ſubſequuta, & ſocordia ſenſim obrepit: ſenſim itaque intercedit, & conuulſura inſenſibili collapſa eſt loci, ac nominis dignitas & ſagacitas. Nihili iam Reſpublica, niſi quòd libertas eſſet, inter ſoporatos dormire, & ipſa in purpura ſomnus dulcior, & inter odoramenta qui nutat, magnificit. Nihili religio, quid enim religet qui ſe non collegit? crapula diſtendi ſatius, negotia abijcere, publica, & priuata ſeruis committere, & iam Sardanapalum ipſum, & ipſam ſuperant illaudati homines ignauiam. Serui itaque purpuram induunt præcedentibus faſcibus de capitis diminutione triſtiphales, dē Senatorum internecione, aut de neruis, in quibus ſeruiant, cogitant, conſultant. Tunc quaſi ſomno excitì, ſenſere aliquando extrema per damna quonam loci eſſent qui prope ad ſeruitutem vocarentur, redigerenturq; Ad Romanos itaque confugere, qui aliquid altius ſaperēt conſuluere oratores ad Romanos miſſi, auxilia exorant, quibus cum præſens adfuit victoria ſerui in compedibus redacti ſeruiunt, & propria pro vtilitate, & proteruia eos ſeueriores agnoſcunt dominos, & publicæ libertatis Romanos vindices, in proximo pertimeſcunt. At Volſinienſes beneficio tam præclaro diutius vti neſciuere: à Romanis itaque deſciſcunt, rebellant contra Romanos, in armis obſtrepunt: ſed arma puellaribus in manibus minus firma nutant, excidunt. Itaque dicto facilius debellantur, Volſinium diruitur, Larthis Curulis euertitur, & ſiqua loca firmiora eſſe viderentur in maritimis, & mediterraneis, exciduntur, vtpotè Lucumonum arces. Et quidem eam poſt cladem, ſiqui ex Sagis ſaperent Romanos colere eiſdem adhærere, militiam facere, & in Prætorijs adſeſſores, vel iuri dicundo operam dare ſtrenuam, togaque & armis nobilis adparere. Quibus cum Romam commigrauit, ſacrorum ritus, & Aruſpicina, in quibus eſſet reliqua: Hi

inter

inter ciues Romanos libenter adlecti, & præcipuo in vrbis loco, vbi suum habere Ianum iterato cœpere, & vicum prisco de nomine Tuscum. Romano enim populo nihil acceptius forti & religioso ciue. HIS ENIM in virtutibus victoria, & ipsa Pietas consilia maturo subministrat: vires suggerit, in præsentia arma expedit, & victoriam, quæ triumphum prosequitur in laurea.

CAPVT SEXTVM.

CÆSAREM pro Rep. occisum probauere Romani & per Italiam populi prope omnes, ipsa per publicæ libertatis exordia. Sed quæ libertas? quæ libertatis exordia? Vbi factiosis vires colligere, & arma resumere ociositas negligentior temporis daret, quantum vellent. Brutus enim Tyrannum occidere satis putauit Patriæ, ac Reipublicæ. Igitur vtriusq; de cætero curam exuit, vtpote qui liber Neapolim profectus Libero patri male feriatus sacra faceret. Senatus haud pleno numero, quod in tuto consisterentnè, an nutarent per lubricum incertus. Conuentus itaq; rarus, numerus semper minor, at in latibulis frequentior, suis inquam in pagis. Contra Veterani Cæsariani à M. Antonio exciti, euocati intra Vrbem, aliena à pace, & Rep. sentientes charitate Imperatoris armati aderant, turbant omnia. Tum Brutus, & Cassius, serò tamen didicere quid facto opus fuisset, qui non arcem Senatus Capitolium, non portus armis cinxissent, & libertatem armis vindicatam, adsertamque armis adstruxissent. Imperiũ enim apud eos esse videbant, penes quos & arma Romanus itaque Senatus, & Populus sine Imperatoribus sine Ducibus, atque sine exercitu, inermis, obiectus factiosis ad eorundem arbitrium proscribendus, damnandusque, ac enecandus quasi per Syllanas tempestates,

At qui pro Republica starent per Italiam, & orbem Romanum coloni arma arripiunt, Bruto & Cassio, quasi salutis publicæ auctoribus nomen dant. Roma itaq; & orbis Romanus propria in viscera arma expediebant. In his præcipua Etruria propè omnis, & Fæsulæ Sylanna colonia prope in furijs agitari visa est. Pugnatum itaque in Philippicis ab vtraque factione fortiter: Sed Bruto & Cassio de Republica desperantibus & occisis, victoria stetit penes Antonium Octauianum, & Lepidum III. vir. Reip. const. in castris intra tentorium, & Romam intra Vrbem aurea, quæ tandem apud Octauianum Attiaca in pugna sedes fixit. Interea nihil odiosum magis, nihil infensius, quàm coloniæ: ad pœnam itaque poscuntur, pœnas luunt. In his Fæsulæ excisæ iacuere: Sed Etruriæ regio prope omnis desolata apparuit.

CAPVT SEPTIMVM.

ET quia ad securitatem militia constituta est, inoleuit vsus rationabilis, vt Veteranis missio daretur honesta, & pacis propugnatæ potirentur otio releuati. Proinde ipsos per Triumuiros Veterani in colonias missi, & deducti sunt, & Fæsulanum in agrum deducere sorte obtigit Octauiano Cæsari, qui ita, vt militarem deducit coloniam, vltra flumen excubantium pro Rep. nullis cinxit mœnibus: lege tamen ornauit Iulia, quæ Romanas colonias æquo iure suffragij ferendi, & adipiscendorum magistratuum, quod ius per eandem municipibus vetitum est & colonijs non Romanis. Frontinus enim ita docet: colonia Florentia deducta à III. VIR. adsignata lege Iulia Centuriæ Cæsarianis in iugera per cardines, & decumanos, termini rotundi pedales: & distãt à se pedes IICCCC. & quia ad rem nostram facit, quod sequitur de Fœdaturis, sub-

subdimus colonia fœdaturæ ea lege qua ager Florentinus in centurijs singulis iugera CC. & termini lapidei, alij sextantes, alij molares. Huc vsque Frontinus.

Sed ad textum Plinij, vbi ait Fluentinos præ fluenti Arno appositos, aptandi huiusmodi termini & quare Fluentinos pro Florentinos declarandum. Et primò Frontini cardines ita repræsentandi, & Orientalem agri Fæsulani dimensionem per quinquaginta iugera, intelligamus de decumanis, & cæteris. Idem ager mille, & quingenta excedit, proinde quod exsuperat id Centurionibus, & pro meritis datum donatum dicimus cum Dione, quem infrà allegabimus. At quod per Arni ripam Orientaliorem ager esset, id populo Romano ex integro accessisse putamus.

Fluentinos verò pro Florentinos ita intelligendum, quod multiplicatis per Plinij tempora eam Occidentalem per ripam colonijs non vltra iam apparerent termini, fossavè, vallumvè illud priscum, & iam intra seipsam sese abscondisse Florentiam: proinde non iam Florentini, sed Fluentini essent, quî & Arnienses, apud eundem Plinium.

Modo ad fossam, & vallum, ne quid indiscussum relinquamus. De natura coloniæ militaris erat, nullis cingi mœnibus, qui ad populi Romani custodiam inuigilarent, etsi colonis aliquibus id concessum legatur apud Frontinũ Sed ea clausula hic non adest, & raro apponitur: proinde vt aliquo modo communitam dicamus ad id fossa & vallum satis.

De nomine coloniæ militari imponendo, ita Velleius volumine primo: At militaris & causæ & actionis ipsum præfulget nomen: proinde à Florentio duce, vel à florendi actu, & quidem vtroque aptatur populare insigne lilium.

Et quia intra vrbem ad regimen, & extra per agrum adesse colonum oportet rei intentum, & operosum rusticæ,

de

de vetustissimo instituto quod apud Varronem lib. III. legitur in hæc verba: Maiores nostri in agro redigebant ciues suos, & in pace à rusticis alebantur, & in bello tuebantur: Ergo benè Boetias Thebas plurali apponitur numero, & de Vici milliarij ad exemplar. Per agrum itaque villæ constitutæ plures dicentur, & iuxta terminos præsertim, & ipsis in villis terminabilibus, quæ & maiores essent, Præfectum adesse oportebat, vt omnia & singula secundum disciplinam fierent. Ita Tacitus historiæ augustæ IIII. Transmissis illuc cohortibus quas veteri instituto nobilissimi populariorum regebant. At de Florentiæ coloniæ situ consulendus Plinius, qui ita adamussim delineat Fluentinos præfluenti Arno appositos. Proinde ea florentissimæ vrbis portio, quæ vltra Arnum dexteram ad ripam est, vetustissimæ coloniæ situs indicatur. De tribu, inquam, recensiti essent illius populi limites, siue qui esse desierant Fæsulani, siue qui eorundem in agro, vbi diximus coloni florerent, vtique ad Scaptiam Tribum, inscriptio vna atque altera asserit.

Q. GARGENNIVS L. I. SCA. CELER FLORENTIA MIL. ANN. XI. PRAET. VIX. ANN. XXXV. MILIT. ANN. VI.

A. BAEBIVS C. I. SCAP. CLEMES FÆS. MIL. LEG. XXII. ANN. LX. STIP. XXIIII. N. S. E. CRESCENVS L. I. C.

Cæterum Gargennius hic pater Patriæ in ciuibus suis perpetuus, & Dictator apparet: immò & loquitur pleniori gutture anserinum quid gargarizans: Qua de re fora, & compita, officinas, villas huiusmodi clangoribus resonare vbi audieris, Florentinos agnosces homines illic agere.

At non in duobus dumtaxat agri iugeribus eorundem constabat substantia, de portionis æqualitate, provt diximus, & colonorum pleno numero constare vicum milliarium:

rium: agrum itaque excoli consuetum intellige, non montana saxa, seu qua Arnus inundat arenaria, aclavè, proinde pascendo pecori, & lignandi, & aquandi oportuna loca vltra sortem computa: & quoquoversus iter actum populo. Veteranum enim militem Cæsarianum victorijs, & præmijs illustratum præda sequitur, & manubiæ, & spolia ex hostibus: proinde suæ quisque domi arma, & suppellectilia sua quisque in villula armamenta rustica, suppellectilia equile, ouile, & lanam habet, & peculium: Vtrobique vestimenta pro loco, lautiora in ciuitate per dies feriatos ad conuentum, & in templum, & in Senatum procedant. At si quis vnquam maximè Veteranis indulxit, is Augustus fuit nostræ conditor coloniæ, de quo Dio, in hęc verba: Cum Cæsar Italiam omnem teneret nisi Veterani milites ab eo dono cœperant, aut ex publico emptum possidebant, ope, auxilioque seruorum alienis rationibus adiutus, bona dominis eripiebat, atque auferebat, eaque deinceps dabat suis militibus. Cum autem hi qui partis bonis priuabantur, grauiter ferrent, atq; (vt par erat) indignarentur, ita eos interrogare solitus erat: Vnde igitur Veteranos remunerabimus? His ita positis, & cum sciamus coloniam nostram non solùm ex sortitione, sed etiam ex optione Imperatoris, & militum veteranis obtigisse scilicet vbi plura Veterani ipsius beneficio, singuli præ locis reliquis, qui Scaptiam in tribum redigerentur, claret per eiusdem tribus terminos possedisse plura. Hinc illud in Cæsaris obsequia studium propensius: hinc illa contra Fæsulanos contribules ira atrocior, & quod alienos Duces sequuti sint, & ne quid iam ipsi ex Fæsulanis possiderent reliquum, aut rapuissent, aut accepissent aliquando perditurі essent: sed possiderent in tuto, Vrbem excidunt: Ciues, exceptis sacerdotibus, qui & per Syllana stetere tempora venerabiles prope ad internecionem delent, nisi si quos nossent pro Cæsare stetisse, quod in huiusmodi

modi tumultibus consuuit: non enim omnes probant omnia, sed dissentiunt iuxtà illud Terentij:

Vbi illa Pamphilum, tu Phædriam
Continuo.

Noui itaque coloni, qui olim militares per labores ad præmia per victorias ad spolia, & diuitias inhiauerunt, ad eas adhuc adspirant, adlaborant in posteris, apud quos per pacis otia noua insurgunt: Sed placidiora negotia, lana, lanificium, & peculium prouocat, vestesque texit operosa industria, & rei rusticæ peritia, dignitas generis, & ordinis ad honores adsurgit per merita: at in togatis merita per litteras ad Rempublicam, & religionem accommoda: arma, non vt obstrepant, sumuntur, sed vt obstrepentibus silentium imperent: at qui ad honores adsumpti sunt præfulgore, & gradu reliquam turbam præmio calefaciunt, vrunt, proterunt. Quod diutius ferre, & pati impossibile, infirmos ad tumultus excijt. Humanum hoc sapiat inhumanum licet. Nequid aut turbulentius, aut irrationabilius Florentina putes in historia libertatis iura præsturam eiusmodi damnant. Qui autem omnia communia cupiunt, in communi laborent, si ingenium, & vires insint, exerant bracchia, lacertos moueant, aut alienam opiparam cœnam non sibi, sed Consuli, & laborioso ioribus adparatam patiantur. Publicam purpuram non ambientibus, sed pro meritis & publicam in salutem prævalidis, peruigilibus purpuratam esse historiæ consentiunt. Esto Respublica commune bonum, esto populare Imperium commune bonum, si consilium superet. Sed in naualibus de rectoris pectore operavè efflorent plurima, quæ inopina remigibus inaudita & vectoribus. De consilij natura est, vt ius suum vnicuique seruet, locum, ordinem: ad hoc enim leges sancitæ sunt. Quid autem plebeio homini cum legibus? de legalis itaq; sapientiæ conditis expetendum consiglium. Quamuis aliquando ex occasione præcipiti offeratur, sed corripiendũ,

&

& maturè opus est facto. Certius igitur, & consultius, quod à senioribus petitum experientia, & ratio manuducunt, consultissimum quod popularis, & ad auitos Patris Patriæ titulos adspirans Princeps probat, informat animat: nihil enim ad humanitatem proprius, item & ad securitatem efficacius nihil. Proinde qui consultò agit omnia, is demùm sapit. En quo illa tumultuum popularium inconcinnitas quasi vocum, & cordarum in organo lyra & cythara impulsu primo sibili dissoni, qui nisi per varia discordes, declinantes & excedentes nusquam conuenirent. Igitur sub temperantis musici manu titillant properè in concentum harmonicæ melodiæ.

Sed iam ad historiæ filum redeamus, quo ostendimus Florentinum populum ex centurijs per agri distributionem numeratum, & legem Iuliam, qui ex Veteranis militarem noris à Tribu Romanum, & à seniorum prudentia Senatū. In his senatores, equites, & populum, qui cum commigrauere & serui ad opera domi, foriſque exhibenda. Vt per omnia Remp. Florentinam habere iurisdictionem etiam personalem primo vtique à colonatu, eamque ab initio plura etiam per Etruriam possedisse, quæ seruorum opera auxilioque curarentur.

CAPVT OCTAVVM.

ET ne quid ex historiarum lectione desperandum putes, etiam illud habes, colonias quasque Romanas in Prouincia primas obtinere, quia Princeps in his Romanus, proinde & Resp. ab ipso colonatus exordio. Et ne mireris vna in Etruria, cuius terminos descripsimus, tot colonias, & Resp. quæ vni cessere Florentiæ, neque nō ex occasione aliqua, vt reliquæ omnes, quæ vel Imperatorum gratia, vel propria se redemerint pecunia: sed natura

tura ipsa Respublica, in ciuibus innata, quæ virtute propria per tot tempestates, & Barbarorum turbines, & illuuiem, & totius terræ motus concussa, stetit tamen reuera, quæ nusquam restituta, sed adaucta apparuit. Pollet enim ciuibus ingenij dexteritate, industria perutilibus, Sapientia bonas per artes, consilio, eloquentia, animorum peritia, quibus artibus etiam pecunia præpollet maximè. At plebs quamquam lanificio dedita, si quando à nobilitate sperni se, & nullo loco haberi sensere, non alio commigrarunt: sed armis, telisque quæ ira faceret oportuniora, & in proximo, in oppressores insurrexere suos, & è tribunali eiecere salua semper Republica, qualia per Ciompos facta legimus, & miramur, plebeis in pectoribus quæ animorum virtus, per omnia animosior, & dexterior, ita vt nobilitatem non desideret, qui in his, & per hos adauctam dignitatem vrbis viderit, numeratus Senatus, ornatus eques, exercita iurisdictio, propagatæ ditionis termini. At cum Ciompi legis vltimam Syllabam acutè proferre memineris, vt Gallicam vocem, qua Compatres denotantur plene proferas.

Stabat enim Florentia, cum Rhadagasus magno suo malo aduentaret: stabat, inquam, publicis, & priuatis Fabricis: proinde dicemus Florentinum populum præcauisse imminentia, & qui iam alteram Arni ripam, proprio arbitrio incoleret per vtramque ripam ponte quomodoque iunctam cinxisse se mœnibus, collecta multitudine, & selecta nobilitate, quantum delectus locus, & communitus capere posset, disturbatis cæteris fabricis priuatis, ne vsui, & commodo forent hostibus: proinde & conuehire, & aquari, & nauigijs vti, si quid ingruat. Reliquus verò Senatus numero, & populus, prout superius diximus, in Fæsulanum montem nouus colonus deductus coaluit. Neque hoc temerè adscribimus, qui legimus Iustinum in Iustiniani exercitu non vltimi nominis Ducem huc ex

fuga

fuga propulsse, se hostibus insequentibus: sed tamen frustra obsidentibus vrbem, & hæc quidem proximiora ad Narsetem per tempora, à quo debellati Gothi omni ex Italia recessere.

De castellis quæ diximus ex ipsis clarent, quia constanter leguntur, & ex his pleraque in nobilium potestate, qui illi populo, illi præfecti essent limiti ad custodiam.

Igitur pomœria dilatare, nouas vrbes condere, Augustale, vel Reipublicæ opus est. Ergo Florentina florebat in riuibus suis Respublica: immò & Fæsulas restituisse loci opportunitate vsi, & id Reipublicæ ius est tum & iubere vt armati inuigilent, & se & limites tueantur, qui scirent Barbaros intra vrbem non impullere, arcendos itaque & à limitibus validè: legimus enim in historijs Florentinos, & Fæsulanos consedisse hinc inde ad custodiendos Apennini exitus, ne quis Gothus exiliret, sed & ipsam constitutam oppugnare, & expugnare & exscindere coloniam Reipublicæ auctoritas esto, liquet in historijs, quod cum Fæsulæ oblitæ quorum beneficio starent, & è proximo loci situ fidentiores rebellarent debellatæ, ad terram prostratæ sunt, & quia adhuc Episcopum habent, ergo pro loci, & ciuium dignitate, ac meritis, & Florentinorum instantia & deuotione à Pontifice summo datus Episcopus Fæsulanis aderat, qui deinceps à Fæsularum excidio Florentiam vna cum ciuibus pacificè, ac venerabiliter deductus, residet. Ad quem accedit, cum opus est, Rustica, quæ iuxtà Fæsulas agrum incolit turba, vt quondam etiam è castellis suis, qui sub Fæsularum Diocæsi essent, tamquam ad Patrem, & Pastorem animarum. Bene itaque quia oportunè Rhadagasus & Gothus ad ludibrium vsque cecidere: bene, quia Gothi, qui deinceps Italiam inundauerant, & per ea, quæ diximus tempora, Iustinum Florentiæ inclusum oppugnaturi vrbem obsederant, adueniente Ioanne Vitaliani obsidionem soluere, & tandem pugnare coa-

ci apud Mugellum profligati sunt. At Gothis succesſere Longobardi Barbarorum immaniſſimi. Quo tempore Florentinus de more ſub S. Ro. Eccleſiæ patrocinio libertatem ſuam armatus ſeruare ſtuduit, ſeruauitque: patet in Aldione Fæſulano Magiſtro militum eam per vlteriorem Tuſciæ partem inuigilante, procurrenti ſuo cum expedito equitatu ad quoſcunque caſus ſtrenuo Reipublicæ Eccleſiaſticæ Duce. At tu memor quæ legeris, cum Fæſulanum legis, Florentinum intellige. Qui verò captam Vrbem ſcribunt, vtique etiam illud adſcribere debuerant, à quonam? & item à quo, nam ea, quæ in huiuſmodi caſibus captæ vrbes pati conſueuere damna, ſarta ſunt? ſtabant enim vrbis mœnia cum Carolus Magnus aduenit, qui Longobardos debelauit. Immo etiam pomœrio adauctam legimus, vtique & virtuti ciuium id attribuimus, per quos ciuitas auctario ſuo maior creſcit in dies. Neque enim Deſiderij fabellam illam Viterbienſem, & obloquentem auribus admitto meis Fannium. Vrbem ornare, à reſtitutione longè diſtat: Et quidem conſtat ſub Carolo ponte ornatam Vrbem, intelligo marmoreo, quod ante hac ligneum aut lateritium adeſſe oportuit, cum hinc inde cincta mœnibus eſt. Neque Reipublicæ quicquam aduerſatur, quod ſub Epiſcopi manu ad Pontificis nutum regeretur, prout Italiæ vrbes omnes, & ipſa mater vrbium Roma: Epiſcopus enim in clarioribus vrbibus Prætores creabat per annum, qui ius populo redderet S.C. Arma verò ſub Magiſtro militum qui ſub exarcho Romano, vel Eccleſiaſticæ Reipublicæ B. Gregorij temporibus, ſub quo tamquam ſub Patrefamilias. Quis itaque huiuſmodi rerum ſtatus minus perfectam enunciet libertatem populi, & Rempub. non agnoſcat? In rebus igitur publicis Iudex pro modulo ſuo Paterfamilias. At ſi quis noſtræ repugnet ſententiæ, Romanas legerit hiſtorias, quæ in familiares Patrisfamilias ius conſtare volunt, itaut etiam capitis pœnam in eiuſdem poteſtate ſi-

ſam,

tam, exercitam docent, de facili nobis cum sentiunt. Ita & post Caroli Magni aduentum, qui in Rempub. Ecclesiasticam firmitatem per quaternos Italiæ & Reipub. angulos singillatim singulos Marchiones, vel illius limitis præfectos ordinauit suo cum milliario equitum, & hi quidem sub Reipub. Duce, vel sacri Palatij Lateranensis custode, qui ex VI. VIR. Palatinis vnus. Proinde illa ordinatio equestris militiæ, Florentiæ celebrata à Carolo Magno, in regendas huiusmodi equitum alas factam putamus, qui deinceps pro meritis ad maiora proiecti. Neque id mirandum si in Curia Augusto adstent Augustales, qui sub Marchione egregiam nauarint operam. Si præmia & honores adepti sunt: si eorundem posteritas iteratò in Italiam redierint cum Othonis militia, & ipsam intra Florentiam patriam, quasi postliminio repedauerint, qui vulgo non satis cogniti; sed noui quasi ciues excepti sunt honorificè, quòd in Curia proceres eminerent. Vbi enim libentiùs, aut pro Patriæ vtilitatibus oportuniùs magis, quàm summos apud Principes? nihil itaque absonum dicunt, qui ita de facili conciliantur. Cæterum licet ab origine militaria præmia legamus, non tamen hæc ad solemnem illam equestris ordinis dignitatem faciunt, quæ non ante sacræ expeditionis tempora vsurpata legimus, quo vrbs quæque redeuntem ciuem suum publica pompa excepit, exornauitque magnificentissimè aureis calcaribus, equo falerato, & cætera huiusmodi apud Romanos vsurpata: Sed & apud exteros aureos etiam equorum calces legimus.

Creuit igitur vrbs Florentia sub Othone, adaucta agro ampliore, & iurisdictione per milliaria sex circumcirca. Et quia agro auito nusquam militatum legimus vltra vetustos illos terminos, prorogationem hanc factam intelligo, aut declaratam, vbi oportuit.

Si

Si quo rursus haberent minus, quæ nusquam agno mulctata legitur: Sed certè qua Catanei in proximo constituti, vel Castellani, vicanivè eorundem subditi occupassent: quæ enim eis Arnum est Regio omnimodè ab ipso exordio Rom. Pop. adiudicata fuerat: & quà Fesulanus ager protenditur, si quo auctario protensior fieri potuit, vtique protensus est beneficio Principis amicissimi viri.

Sed ne alienæ humanitati totum tribuas, quod Florentinorum virtute partum patratumq; est M. CLXXX. Henricus Imperator, qui quasi in refractarios castra mouerat, multo cum exercitu contra Florentinos, agrum vastat, incenditque, & ad vrbem succedit proximus, obsidione cingit arctius, exitus omnes obstruit rabidus, vt ne muscæ quidem euolatus pateret in tuto. At Florentini aliena vsi temeritate, quòd obsidentem exercitum per vina obrutum, & soporatum, quòd suspensa satis arma ad terrorem incutiendum indicarent. Sed frustra hæc hosti intrepido, qui dubiam per noctem tempestiua eruptione in hostes irruunt, abiguntq; insequuntur viarum inscios præ ebrietate, ac somno intercipiunt, cædunt. Ipse autem Henricus mentis inops, mente excedens, neque obsistere, neque fugientes reuocare, satis subsequi cœpit. Castra itaque omni referta annonæ copia, vasa, armamenta nedum prædam omnem in hostium potestate reliquit, si fortè posset reliquias exercitus per noctis tenebras sensim colligere, sed illud satius fugam prosequi. At qui Imperatoris titulo, & impietati eiusdem nominis successit Henricus VI. anno M. CCCXII. contra Florentinos sumpturum se arma congregaturum exercitus, quibus Florentinos omnino cogeret imperata aliquando facere, comminatus, frendens, furens, in Italiam expeditionem indicit, venitq; viditq; que Cæsar, qui minimè vicit. Obsessi enim Florentini eruperunt tanta Teutonum strage, vt tantarum minarum

Prin-

Princeps fuga sibi salutem quæsierit, animum desponderit, & Pisas otius descendens, afflictatam non multò post emiserit animam. Neque his felicius magis Federici res processere per Maguntini Præsulis præsentiam, magni inquam Viri: sed qui delusus abscesserit nuncius, itavt ipsemet Augustus minoratum se agnouerit, & ingemuerit. Proinde si quis vnquam Italus maximè Romanus apparuit industria, eloquentia, consilio, armis, in his vtique Florentinus emicuit, & in proximo, & in longinquo positis Principibus acceptissimus, quanto magis Barbarorum tempestatibus remis, velisque vti scire, & Barbarorum barbariem, quasi anguilla de manibus captandis se elabi, & eludere, aut quasi torpedo tangentem se stupidum reddere. Quin & consiglio sagax, animi moderatione abstinentior, Fortitudine, Iustitia, Temperantia accommodus, & ad exercitum, & ad aulam regendam, & in Prætorio ius reddere, & ad lenitudinem emollire præduros, & refractarios, & ferocientes conciliare barbaros: ita vt & Regibus regimen dirigere, Principibus placabilitatem insinuare, militi arma, furoremque in hostes, at in fratres commilitones suè modestia, ac caritate pugnandum. Subditis imperata facere: regia quasi Patrisfamilias consilia suadere. His itaque artibus charus omnibus, & magnis apud omnes sensibus Florentinus illuxit, & ciuibus pacem fecit. Cum verò aduersa imminerent, tunc vim vi repellere, minas armis retundere mœnibus, & satellitio, & annona communire se. Et hæc videmus quidem, & talia legimus, & intelligimus, qui nihil vsquam, nisi quod grauissimorum auctoritate scriptorum fultum sit, contestandum putamus, aliena itaque reijcimus.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

INTER hæc eluxere Mathildis tempora, quæ S. Romanæ Ecclesiæ filia dilecta, populorum mater, & matertera, & castrorum item mater omnium præconio laudanda, ornanda, colenda, sub cuius dispositione omnia, & singula sub Romani Pontificis manu: Nec quicquam Florentino populo optabilius, aut Reipublicæ commodius in proximo Hæroinæ vicinitati. At non hæc eadem accipienda in ijs qui Tusciæ Marchionatui præfecti, titulo tenus, reuera Tyranni subsequuti sunt, quod ciuitates redemptoribus, aut ipsimet ciuibus pretio certo numerato libertatem venderent. Horum quidem sedes Lucæ ab origine ex quibus nemo vsquam intra Florentiam Curulem habuit. Quamuis & ipse Vgo magnarum virtutum comeplurima pro Florentinis, vtpotè pro amicis fecerit, nihilominus tamen Pistorij residens suæ iurisdictionis Lucensis intra terminos stetit, Florentinæ Reipub. iura nusquam attigit. Lucæ autem præsidere consulto, quia Gothos Carnutis in proximis haberet, de quorum fide subdubitari posset. At qui deinceps ex Germania aduenere Imperatores ad Miniatum Curulim suam supertenso posuere velo, & huiusmodi apparatum pro Prætorio ad reddendum populo ius, Theodoricum suo vocant idiomate: inde factum est Miniato nomen appellatiuum, & *al Thedesco* nuncupari cœpit. At Florentinum per agrum siquis tale factum legerit, ostendat, & manus dabimus.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

AGEDVM de Ecclesia Florentina, & eiusdem plantatione edicamus, quæ ad facti veritatem consona legerimus: at certè omninò consonant, quòd Beatus Petrus Apostolus Romam venit Marco, & Apollinare sequentibus, & prope in eius occursum Flauius Clemens Romana de nobilitate adolescens ingenuus adfuit: & quidem magno Ecclesiæ commodo. Is etenim Flauij Petronij gentilis erat, qui Apostolo amicissimus in Syria fuerat. Qua de causa Flauiorum domus ampla, & diues sancto patuit Apostolo, & Ecclesiæ ad Sinaxes. In his itaque primordijs per Occidentem Ecclesiæ fundamenta iecit, quæ per Orientem Christiani nominis gloriam propagabat. Verùm Romæ in eandem fœcunditatem Ecclesiam constituere longanimitatis indagine opus, & excultioris sagacitate cultus. Didicerat namque Petrus de exemplo Domini in electione promouendorum orando pernoctare, & quidem in oratione pernoctabat. Populus Romanus orbi terrarum dominabatur, circo, & spectaculis intentus, Patricij præpotentes, prædiuites haud facile sæculi pompam exuunt: difficilius humilia sequuntur, paupertatem verò difficilimè, quæ etiam in opibus iniucundi amplexus, diuturna reluctatio. Bonorum abiectio, inopia sensibilis, nisi ijs, qui sensu carent: auspicanda itaque inopibus præda abijcientium bona honorũ contemptus etiam contendentis personam in contemptũ trahit. Cæterum ad iustitiam qui saperent, ad pietatem qui ex animo sese excitarent, Christianorum admirari mores, & actus omnes, non tamen omnia, quæ admiramur, & in alijs laudanda intellectus dijudicat, sensus in

semetipso probat. Hæc rudimenta nouæ disciplinæ, & mundissimæ innocentiæ probant omnia, ratione suadente intellectus, & sensus. Prædicationes itaque & mores, & mentem probant in his, nihil reprobant, nihil respuunt, nisi quod de resurrectione mortuorum, & de cœlesti hierarchia eloquentem non admittunt, respuunt: quantumuis pleraque de animorum immortalitate & audire placeat, & interrogare ausint. Sed quorsum ea corporum rediuiua resurrectio? non intelligunt.

Tot itaque & tantos difficultatum nexus superabat pedetentim, sensim dissoluebatque diuina in Petro sapientia, & quæ ipso in vultu elucebat gratia, in verbo constabat, in actionibus, in vestibus, in vmbra corporis virtutes operabatur, quæ videntium sensus excederent: suspiciendus ergo per singula, per omnium ora admirabilis laudatissimus. Et hæc quidem omnia ad baptismum expediebant viam: ad ordines tamen præpediebant. Igitur impedimenta hinc inde exurgebant maris quasi fluctus. Iuniores serò ad sacerdotium adolescunt: Sacerdotium seniores ætate, & sensibus requirit. In his Apostolicum vertex imminebat seuerius, humanis inconcussum fauoribus, vt prudentia humana Spiritui sancto cooperaretur. Et hæc quidem ad successorum doctrinam. Proinde, & probationes in longum trahere, vt qui probarentur probatissimi tandem verbo adparerent, & opere. Tales itaq; Linus, & Cletus, qui vrbi, & suburbijs præpositi sacramenta administrarent. Tum & in Prouincias prędicatores Verbi pro Romanę Ecclesiæ corona designat vti oportebat: & in Tusciam Suburbicariam Ptholomeum, & in vlteriorem Romulum diligit Apostolorum vice, & auctoritate episcopantes, illum Nepesinum dicunt, hunc autem Fæsulanum. Nam & vetustus codex rectè habet Ptholomeum in Tuscanniam missum: & in eo quod sequitur, Romulum verò Fæsulas, vna tantùm littera, & ea minima minus

habet

habet textus, proinde si Fæsulaniam legas vlteriorem Tusciam, quæ ad Fæsulanos attinet montes dictum putes, & ad auctoris mentem accedes propiùs, & quidem vtrique pleræque coloniæ, plerique item populi committuntur secundum partes cuique suas. Quamuis post Pauli aduentum, in cuius occursum Roma effusa legitur, multiplicari cœperit Episcoporum numerus per vrbes, melioris tamen notæ: aliàs enim historiæ fides nutaret: quia nemo dat quod non habet. Tanti ne Nepete in Oetriæ Tusciæ colonijs, vt cæteris omissis vni sibi daretur Episcopus? Sed quid dum Prouinciales circuit in prædicando impiger & strenuus miles Christi? Nepete coronam reperit, ad mercedem euocatus æternam. De Fæsulis nihil ad nos: nũquid enim desolatam ad vrbem, excisæ ad vrbis ruinas mittere solitudini oportebat Episcopum? Iacebant enim propè solo adæquatæ Fæsulæ: ager Fæsulanus Florentinis cesserat, ergo per agrum rusticantibus & Paganis ex Florentino populo Episcopus datur, & Florentinus negabitur & Florentinis non episcopabitur?

Sed vt de Florentinis interdum taceam, quid Pisæ Apostolo Hospitales, apud quos aram erexerat, qui pro populi salute salutarem obtulit hostiam, nunquid Pisas obliuisci potuit? Aut tot coloniarum populo Romano Christum nó prædicare? Quid Volaterræ? quæ Linum operosum ministrum dederant? num & ipsæ tanto pro munere in gratijs quasi nullius loci negliguntur? posthabentur? Non, inquam: Sed qui missus in Etruriam, quam erudijt omnem, & docuit Christum Dominum Iesum, cuius virtute nominis Idola concidunt: cuius prædicatione cultores Idololatriæ non sustinet, proinde prosequutor excitatur, silentium mãdat quasi nouatori & obstrepenti nequam. Sed Romulus norat in ijs non hominibus obedire, sed Deo. Damnatur itaque, & quasi ad petram sceleratam damnatæ intra Vrbis illius ruinas, & hostile solum Cæsaribus, & Cæsarianis

nis perductus, Episcopalem coronã martyris palma adauxit. Quem si Fęsulanũ quis adferat Florentinum, nobiscum adstruet. Proinde Florentiã, quam Cæsar cõdidit, Romulus Augustior Augustissimi Christi Domini fecit Ecclesiam: in qua disciplinæ vigor quantum profecerit, satis claret in sanctorum Episcoporum successione. Et vt ex pluribus aliqua commemorem, ipsa per se veritas eluxit, sub Melchiade, qui primus in Lateranis ipsius in domo Faustæ concilium indixit, & hoc quidem ante Constantini baptisma, & ipsiusmet omnimodam conuersionem ad Christi fidem reiectis idolis: qui tamen Christianorum fidem ex operibus probasset, Catechismo didicisset. Conuenere itaque ex Italia Episcopi conuocati, & hos inter Felix à Florentia Tuscorum, & Gaudentius à Pisis: Deinceps sub Damaso Victor qui sanctæ Reparatæ Ecclesiam ex oratorio fecit ampliorem: quæ nunc noua fabrica augustissima est, prout fabricæ omnes, & præsertim publicæ Florentissimæ vrbis. Cæterum sanctæ Reparatæ memoria celebris id reposcere visa est, quod per eiusdẽ natalitia Radagasus cum CCM. Gothorum intra Apennini clusas conclusus niuibus, inedia frigore, rerum omnium penuria malè exceptus, Florentinis hinc inde Fæsulanis nouis Florentinorum colonis custodias adseruantibus, donec aduenit Stillico Romano cum exercitu, qui quidem Rhadagasum illis ex angustijs exire, & emori, & enecari cupientem occidit, & numero validam illam Barbarorum illuuiem aut deleuit, aut diuendidit, vili per singula capita scilicet vnius aurei pretio.

Quo tempore & domus, & rus quodlibet sic famulis & famulabus superabundauit, vt per montana etiam in petras reijci oportuerit plurimos. Proinde vici deinceps multiplicati, & Florentinensis ager, & Reipublicæ imperium propagatum est. Eiusdem quoque Damasi tempore Ambrosius, qui cum Bononiæ esset

cuo-

euocatus Florentinorum precibus, ad dedicandam Sancti Laurentij Ecclesiam aduenit, vbi sanctorum martyrum Vitalis, & Agricolæ corpora à se nuper inuenta collocauit, quo beneficio illustrata ciuitas, Ecclesiam illam adhuc Ambrosianam appellaret. Adfuit eam in fabricam illustris fœmina Iuliana nomine ex nostratibus: proinde ex prisco Cæsarianorum sanguine, per quos colonia condita est: Sed quia Victori succesſit Zenobius Damaso, & Ambrosio dilectissimus laudatissimus de Zenobiæ Augustæ posteritate, siue Thimolaij, siue Herenniani Augg. per lineam tantis illuxit virtutibus, & miraculorum gloria pro vitæ sanctitate, vt Constantinopolim missus ad Augustum & quidem summis de rebus legationem Apostolicam illustrauerit. En quæ Florentia: en qui Florentinus clerus & populus, Ciues Augg. de sanguine in lumen orbis terrarum. Nam & sub Hormisda Elisei cum plerisque primaria de nobilitate Romana in Florentinis recensentur historijs. Sed & cum iterato Fælulas solo æquarunt, vti factum oportuit contra rebelles, & hostes publicos ex ciuibus, nimis in proximo consistentes imminentes, infensissimos, Christiana tamen clementia, & sanctissimi Iacobi Episcopi Fæsularum hortatu, ac meritis intra vrbem patriam reducti, quibuscum venit & Episcopus in nihilo attentans Florentinæ Cathedræ iura, sed adaugens dignitatem in illius sedis primatum: ad eius tamen manum accedunt Fæsulani sui, & obedientiam iurant per annos singulos. Quo facto iustam Florentinorum causam in dirimendis comprobant Pæsulis. Si enim Episcopum recta admonentem audijssent, contra matricem vrbem nusquam insultassent, nusquam arma sumpsissent: factionum enim sequella, & accepti beneficij obliuio ruina vrbium est, & clades populi, ipsa enim sibi aduersata in præceps secum trahit omnia.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

ET hoc ad ea, quæ diximus de fabricis magnificentiſſimis, addimus, non aliunde euocari Architectos, non opera, non materiem. Quod ſi aliunde petenda, euehendaq; ea ſit, expendendarum pecuniarum ſummam Florentinus flocci facit, quamuis in cæteris parci, & frugi ſit Populus, & ad congerendam pecuniam natus, & ponderis, & numeri callentiſſimus, quod præcauere norit in Dei cultu, & Patriæ non eſſe prodigum, tetrum, miſerabile, infeliciſſimum: proinde & vrbis auctarium perpetuum creſcit, & Eccleſia Archiepiſcopali dignitate iuremerito præfulget.

CAPVT XIII.

SED iam declaranda huiuſmodi frugalitas qualis ſit, ne croniſtis manus dediſſe videamur, qui nimis aſperum, pannoſum, durioremque populum & ruſticum, perperam faciunt, niſi ganeonem mallint, quem Romanum cogitare debuerant. Et quidem pro voto, & more maiorum degentem ruſticis intentum operibus ſecundum Romanorum diſciplinam. Cæterùm in fabricis villaticis magnificentiſſimum, & agricultura peritiſſimum, ita vt nihil magnificentius, nihil excultius. Et in his ruſticus conuenit habitus, non tamen pannoſus, quem incuſant temerè, neque impollitis pellitum pellibus: nihil enim tale ſcriptum reperimus apud auctores probatæ fidei. Dantes enim ita graphicè appingit Virum Patricium.

Bellincion Berti io viddi andar ſicuro
Di coro, & de oſſo cinto.

Non

Non indutum itaque, sed cinctum esto zona pellicea quales Cethegi qui exinde Cincti, quasi silvestres homines adscribuntur, & ne de clavo huiusmodi ambigas qualis fuerit, politoq; ex osse, & candenti, fibulam vero aut æneam, aut argenteam non negarim, quæ enim argenti quantitas, aut pretium in eiusmodi minimis? At cum feriæ essent sacræ ad procedendum, aut Senatus indictus, hi qui primarij sunt, adstant purpurati, vel in puniceis, pelliscque sub purpura delicatiores induunt pro gradus maiestate: hinc illa in brauio aureo Attalici operis per B. Io. Baptistæ protectoris natalicia gibellinis ex pellibus pompa interior. In his itaque vtriusque Seranum ne spreueris, sed agnoscas Nos quidem in tabula appictam vidimus egregij pictoris Andreæ del Sarto manu Laurentium Medicem tantorum virtutum, & nominum, & magnificentiæ virum, ruri agentem, & suam intra villam sago vtique rosini vel cinerei coloris vsque ad genua protenso cinctu pelliceo, & pileo, & cætera eiusdem coloris, cui propendebat è cingulo clauium fasciculus: pulpitum aderat ligneum, neque id incultum, vel opere rustico, in quo & insignia domestica apposita prominebant. Supra pulpitum liber rationalis Villaticæ pastionis, & rustici prouentus, expensarumuè, & quidem iuxtà atramentarium cum calamo, & cultello, & cætera huiusmodi: circumcirca verò de clauibus fixis runcinum falcem, & sua in vagina, & si qua sunt rustico opere necessaria, quæ & appendi commodè pro aulea possent. Eia quæ vilitas, nisi ad redarguentem huiusmodi in viro, qui per omnia promeritus est appellari magnificus vilitatem, & temeritatem reijcias? Age iam, & de Matronis edicamus, ex eorundem Chronistarum sententia, ne in omnibus discordare videamur, qui non per omnia consentimus: Stolam vtique muliebrem omnino ex purpura, non quasi latum clauum, sed strictam ad pudoratam par-

simo-

simoniam conuenientem: Sed qui purpuream dico, puniceam non negarim ad placitum. Vtraque enim Senatorum coniugibus congruunt, condecent. Quarum velum duplex in humeros, & renes à capite descendens, totum ab intra pellitum, & ex pellibus siluestrium murium, quos gibellinos, aut lousstros varijs nominibus appellamus: tum hæc ornamenta rustica, & Quæstorum putes, nisi in his populorum Pastros intelligas, & Senatum, & Regum conuentum. Cæterum, qui victum in his asperum obijciunt, reponentem audiant.

Necesse quidem fuerat populo longius à mari dissito, & qui cum lictoralibus rarò benè senserit, proinde vbi mercimonia aduehi maritima difficile sit, his quidem opus est suo de succo viuere, ac impensius arare, serere, lanificio item operam dare, & qui ab initio nonnisi per familiam duo iugera possideret, id nec sibi nec pecori satis, cum viderent suis operibus famem propellere, & vestes, & vtensilia comparare: proinde & figulinam, & textrinam edisceere, quod quidem effecere adeo diligenter artes per omnes, vt Florentinam peritiam artes peperisse putes, tanta animorum contentione omnia curant, & singula, vt & peculium auxerint, & ditionem propagauerint. Nam & maris portus obtinent, & inaccessa viarum aperuerunt, ita vt Florentinis ferueant omnia mercimonijs. Aderant enim à principio, vti diximus, per limites, & pagos suos singilatim singulis Magister Pagi, qui & rem rusticam, & lanificium edocerent, probarentq; moresq; moderarentur, neq; hi ex plebe sed de optimatibus: proinde qui melius agrum excolerent, aut lanificium fecissent, se & in Pagis apud Vicanos, & in vrbe ijdem notiores, probatioresque magis in dies, neque arma tractare detrectantes: sed Prætoris iussu expediti militiam faciunt. Et quia Magister Pagi de quibus sermo est, his præerat, & minoribus in causis iu-

ra

ra redderent. Inde factum est, vt quasi reguli nati, regimē arripuerint, & ditionem per motus illos barbarorum, & bella barbaricum etiam assumpserint titulum, qui Catanei dicerentur, & quibus dabatur armamentario de publico arma, insigna verò interius intra armamentarium Patres custodiebant dabantque delectis equitibus, qui Valuassores si quod bellum immineret: & tandem vexillum publicum, quod antea duobus committi Valuassoribus, vel Banderesijs consueuerat, vni tantùm signifero, quem Confalonerium dixere, & apud quem summa rerum esset, commissum est, non ex officij natura, sed quòd è Fæsulanis monumentis currum illum marmoreum haberent celeberrimum, in quo vexillum constitutum præsidens custodiret, & ius diceret, & redderet Marchionis, vel Prætoris auctoritate, vnde inoleuit illud, quod cùm in aliquē lege agere Prætor iusserit publica insignia eminenti de loco explicet, & suspendat ad manifestam iustitiæ exequutionem campanæ sonitu congregato populo. In Cataneis verò plerique de nobilitate primaria reponendi sunt, vtpotè Bondelmontius, qui certam, vt diximus ditionem arripuerant, possidebantq; communitis ad placitum Vicis suis in castella, & oppida satis firma. Qui & apud Ciues suos & exteros Principes equestri dignitate emiterent. At in Valuassoribus recenseas, & primaria quidem de nobilitate Comites illos regulos, & equites, quibus in promouendo currum illum bellicum, carociumuè circumcirca pro Republica aderant delecta cum manu fortissimorum virorum: his enim publicum vexillum, & campana demandabatur, bellica & ea cœrimonia ad D. Petri in Scheragio celebrabatur pro eo, quem infra Fæsulas ad annulos æneos delecto in loco olim sisti consueuerat.

At de victus asperitate ne quid indiscussum relinquamus quasi calumnianti herbam porrigentes, illud dicimus ad simplicitatem nihil paratius, nihil commodius naturæ

magis. Ad lautitiam vero cœnam huiusmodi fine sanguine, vel de Villatica pastione cum sanguine si respexeris, Heroicam certè dixeris, & per condimenta lautissimam admireris, si modo, & tu Heroem sapias, & te extra ganeam agnoscas, nec inter cœnandum garrulitate obstrepas, neuè patinas absumpseris, eò quòd benè oleant benè sapiant, qui hilarè & libenter appositis vescare: hospes enim venerabilis conuiua, liberalis inter Florentinos, & Florentinus ad pareas. Floret enim humanus sanguis vegetus lautiori in parsimonia, & iucunda consuetudine, ingenium per bonas artes ad honorum adsurgit culmen in sæculi felicitatem.

CAPVT XIV.

CÆTERVM ne historiæ loco encomium scribere videamur, ad particularia descendimus: illud vtique profitemur sub Aistulfo inuersa omnia. Et quidem vtramque per Tusciam. Stetit tamen post Barbarorum casus Florentinæ vrbis murus, stetere & integræ ædificiorum fabricæ: vigebat & Populus, ingenio vti, & reluctari omnibus iudustriæ viribus oportuit: benè ingenio, benè industria vsus est, qui benè intelligeret Patrum consilio, ciuium obsequio constare vrbem, & Remp. Exterorum Principum amicitiam omnibus officijs colere, quàm vereri satius æstimabant: Barbarorum amicitiam muneribus conciliare, & ne censum ducentorum indicant, pecuniam præmittere, & numerare quadringentorum. Et quidem pecuniam prodigere, & libertatem seruare liberi hominis opus est. Et illud in primis consilia oportuniora, salubrioraque nisi perpetua in lustratione armorum motu corporis vitare, & exire ictus vigilantia, celeri: lapis indicus ex ære, quæ frictione

ne pertulerit præfert notis perpetuis. Sed nec semper eodem vti vento eisdemque verbis sapientis est nautæ. PERICVLOSVM semper eodem vti consiglio, & stolidum. Idenim ad seruitutem vergit: vulpes senior ignoras, & intentas non subintrat latebras, suspicionibus nulla nusquam vacua tempora: & ipsummet Imperium ex ciuibus ne dum ex alienigenis hostem prouocat, instruit. Extra vrbem itaque detinendus hostis, debellandusque, vel eludendus per huiusmodi turbines: Florentinus cogitabundus versare omnia, & singula, cunctabundus quasi aliena agere, & in rem suam incumbere, portum spectare, & per gyros appropinquare, obtinere, summa est. Naues qui fabricare norit, aeris serenitatem, maris tranquillitatem facere nescit: & tamen velis, remisque tempestates effugit, si quo pacto potest. Temporum malitiam æquabilitas emollit. Sed dices, & quæ huiusmodi portus obtenti signa? En Vrbis mœnia integra, Vrbs plena populo, non enim vna noctis vigilia constaret vrbs, ceù fungus epinguedine soli. Vrbium restitutio diuturnius, difficilius opus est, & sub oculis omnium quod fit, omnium item contestatione vegeta, atque valida historia est. Quæ libertatis? Ipsamet Respub. quæ post aduersa singula pomerium ampliat, ditionem propagat S.C. Populi scito, & tandem per circuitum stetere vrbis mœnia ad admirandam elata altitudinem, vt perpetuam dixeris turrim, nisi ipsammet Turribus coronatam contempleris, admiratus magis, proinde barbarorum proteruiam dilusam dicimus: item & Manfredi Regis aut Roberti amicissimi hominis diuturnius tolleratum regimen. Quæ pro rerum humanarum instabilitate, minus feliciter interdum cessit: Cæterùm discordias, quæ Senatum, & populum in diffidium traxerat, in concordiam immutata præluxit, cuius auspicio arma sumpsimus, depugnauimus, peruicimus. Nam & peiora tremen-

tem, & deprecantem satis putauimus excludere Athenarum Ducē, quo nihil tetrius, nihil deterius Respublica passa est. Nec quod sub huiusmodi mōstri regimine Rēp. adstruamus: proinde & destruimus, qui amico à Rege expetiuimus quos maximè probaret Prætores nobis daret annuos. Dedit, quos habuit pro Republica, sed interdum bonos, de cætero malos iudices, qui ex animo optasset optimos. At nos bonos quidem equestri dignitate Populari ornauimus, malos execrati exauthorauimus, eiecimus. Immo per hæc ipsa tempora militiam nostram expediuimus, insignia militi cuique priuata & peculiaria dedimus, in quibus litteris aureis vncialibus, *Libertatem*, quæ inprimis aurea est, inscripsimus: quo dato signo, ad libertatem Italiam propè omnem exciuimus. In rem itaque nostram, & nostra nos & aliorum opera vti quis improbet, si modò feliciter. Ecquæ seruitus liberis hominibus, & publicæ libertatis auctoribus obijcitur. Si quid enim Italia, Europavè boni haberet, boni regiminis cupidi, exquisiuimus, clariores fama viros euocauimus, honorificentissimè excepimus. SED RARO ad veritatis amussim experientia hominis famam comprobat. Itaque è Bononia Gaudentium illam societatem silentio, vultu, & habitu philosophantes, cætera ganeones, propè præ crapula stolidissimos hominū, reiecimus. Qui verò aliena ab historiæ veritate scribunt, ostendant obsecro expugnatæ Vrbis deploranda vestigia, aut populi internecionem, dispersionem, diuenditionem, in catenis traductionem, vel demolitas saltem turres, aut vrbem ipsam denudatam mœnibus, & quod in vtrisque signum certissimum agro mulctari, tributis atteri. Et quod ad Vrbis cōstantiā facit, de suo monstret per quemnam in integrum restituta sit: neque enim Osculana cum barbaris pugna, neque Longobardus, cuius Synthichiæ spatæ, vt Beatus adserit Gregorius, aut fœderū nouit oscula, pactionumvè firmitatem, cui neque captam vrbem diripere sa-

tis

tis sibi pusaret, nisi & incenderet ad internecionem, deleret populum immanissimus mortalium.

At quæ Florentini Senatus solertia, quantavè Populi libertas libera, vno edicemus exemplo. Oddo à Rodulpho Cæsare in Etruriam præmittitur, & iam ad Miniatum aduenerat vice sacra iudicans. Aduentus autem causa Ghibellinorum instantia, vt Cæsar iura sua à Ciuitatibus liberis repeteret, vnde ipsi ejecti exularunt: proinde fidelitatis iuramentum exigeret, aut extorqueret armatus. Ad quem Florentini, quorum primæ partes erant Ghibellinos detinere, oratores mittunt, & viros quidem industrios. Quo Guelforum omnium causam agerent, scrutarenturq; quid sibi vellet, quovè pacto eiusdem animi motus, aut compesceret, aut emolliret: & post pleraque vltrò, citroque habita in huiusmodi officijs præmitti consueta tamquam amicissimo cum homine agerent, ventum est ad Imperatoris iura, per quæ iuramentum sibi præstari iuberet etiam à Florentinis, nedum à cæteris. Negant Florentini quicquam iuris in Remp. habere Cæsarem, neque id post Caroli Magni sæcula auditum, neque per Carolum intentatũ quicquã, qui paterna benignitate in Rẽp. præstiterat omnia, cui adhuc gratias ageret gratissimus Populus: qui nusquam tributorũ exactor, aut publicanus exagitarit.

Audita ea vox, excepta cæteris à Rebuspublicis irritam fecit Oddonis legationem, & auctoritatem. Nihilominus tamen Florentini, qui huiusmodi iugum ab omnium humeris repellere, & rectè norunt, INGENVAE libertatis signum liberalitatem, ad partem adsumpto Oddone, hortantur, suadent, vt nihil innouaret: Sed pacata tamquam de Prouincia in Germaniam rediret, cui viatico viam expediunt, quam ipse festinus arripit: qui vires interim suas, & prouocandorum hostium intellexerat, pecuniam, & sapientiam animi neruos minis præualere.

CAPVT

CAPVT XV.

DIximus de historiarum lectione obseruata, dijudicata, memorata Florentinorum ab exordio colonatus perseuerantem Rempublicam: modo de euidentia eiusdē per signa communiora, quæ vel plebeius, vel idiota agnoscat, & comprobet, nedum qui historias callet: & inprimis quæ Principum propriæ, ac iurisdictionis potissimæ partes sunt, scilicet suo arbitrio leges statuere, quæ & Po. Ro. sibi accommoda putauit, expetierit, obseruauerit que, Senatum numerare, populum in ordinem distribuere, redigere. Auri, argenti, æris flandi, ferendi, feriundique loca, curatores vè constituere, & Prætorem. Et quidem non hæc ex Augusti alicuius concessione, sed auctoritate propria. Et vt Romanam agnoscas gentem aureis in florenis pro Quirino vrbis conditore, Io. Baptistam Protectorem Populi, & Tiberis loco non Arnum: sed florem, lilium inquam, quasi perpetuum Regem veris, cuius numerositate exhilarata Arno arridet ripa iucundissima, vnde & nomen Aureo Floreno, exquisita, & obrizata materie: forma verò adeo adfabrè sculpta, vt per orbem terrarum acceptissima, ac laudatissima valorem obtineat, & in thesauris Regum, quasi quid mirifici seruetur artificij monumenta vetustatis. Propriæ hæc vrbis insignia, & Florentinæ Reip. splendor. Constantinopolitanus autem Augustus sibi aureæ monetæ feriundæ ius seruet. Florentinus in rem suā obrizat, ferit. Neque tam primum cum florem huiusmodi cusi sunt: sed antiqua, & immemorabili de consuetudine, neq; vsquam aliena in his signa: sed semper propria. Quòd autem Lucius Papa impetrasse legitur à Federico Imperatore, ne Etrusci alia, quàm Lucensi vterentur moneta, id nostri de iure nihil intentat, qui nihil ad Lucensem Marchio-

chionatum pertinentes noſtra, ac propria auctoritate etiam auream & huiuſmodi publicatam receptam monetam ferimus. Siniſtra hæc quidem, non tamen hallucinata Friderici liberalitas, quæ & Pontifici alieno de pacto gratificata ſit, & Lucenſibus per Imperatorias id diuendit chartas maximi, quòd armato ab hoſte communi, quaſi Heſperidum poma de, conſtantis Herculis manu: qui poterunt rapiant. Præterea ex illo apparet Populi libertas, & Reſp. quod ditionem ſuam ipſi ſibi propagauerint, quòd proprio arbitrio vbi facta oportuit arma ſumpſerint, exercitus comparauerint, quòd Reſpublicas circumcirca ſibi ſubderint, quòd in libertatem Lucenſes vindicauerint, quod ſocios, & confœderatos armis iuuerint, quòd amicitiam ſummis cum Principibus per legatos contraxerint, quòd ſi quos eijcere ex vrbe oportuerit, non ſatis putarint ex ſuę ditionis limitibus eijcere: ſed quaſi in Inſulam proprij iuris relegare, hos Bononiam, illos Mediolanum, hos Romam, illos Neapolim. At ſi quod grauius admiſſum foret crimen in cauſa etiam vltra mare certum in locum exulare iuſſit, neque Princeps aliquando vllus, neque Reſpublica Florentinum aliquando vllum exulem reſpuit, etiam ſi non omnino cum Florentinorum Repub. ſentiret. In exulibus itaque excipiendis Italia omnis, & Europa populi Florentini iuſſa facere viſa eſt. Huc vſque de exulibus. Qui & illud addimus, quaſi de ſeminario populorum Europa, immo vterque orbis terrarum colonia facta eſt, quæ enim vrbs vbi non ciues, & nobiles ex Florentinis? Et quidem in rem propriam factum exiſtimabant, & in populi auctarium. Florentini enim perutiles in omnibus qui nullibi ocioſiores, nullibi deſides, vbique gentium cognitiſſimi, bonis artibus, militari peritia, nauigandiuè. In his ego vos Hybernos, & ad hæc appello extremos propè Septentrionalium, qui Gherardinos in vobis reges, memineritis laudatiſſimos Reges veſtros:

imo

imo & te quam prædiues omnibus gazis affluens, & mercimonijs, quàm latus es, inquam, nouus orbis terrarum te appello Americam de noſtri Americi Veſpucij nomine, cuius famam nemo non nouit quite norit. Sed hæc de nobilitate: cæterum de plebe quilibet lanificio, re ruſtica, hoſpitibus commodi vbique terrarum: vbi enim noſtra de plebe non artifices peritiſſimi, qui illius loci plebem eruditant, & ex otio, & egeſtate excitant, reuocent, prouocent, ad vberiora. Ex quibus victum & neceſſaria ſibi comparent manuum artificio, & ingenij perſpicacitate peruigiles. Proinde bono ex opere laudes, laudatis ad honores tranſitus facilis: ergo de plebeis nobiles euadunt, ingenio & diuitijs prævalida nomina.

Sed ne huiuſmodi per electiones crebrius, & diuturnius agitari conſuetus in perpetuum exagitaretur Florentinus, & ſeniores in conſulendo & quilibet in ſuo ordine Reip. vtilitatibus ſtuderent, pro virili, diuina iamdudum prouidentia Reſp. conſtituta apparuit clariſſima in Medicæorum gente, in qua Quartus iam delectus præſt, omnium votis Senatus Princeps, & Populi Dux Ferdinãdus: & eiuſdẽ fœcunda de ſobole Coſmus iunior Primogenitus Princeps Iuuentutis ad Patriæ, & Tuſcorum omnium ſecuritatem, per quos ſiue arma ingruant Equeſtris militia purpurato ex ſerico cruce ſignata, & Catafractorum equitum, & leuioris armaturæ, velitumuè numerus. Peditum verò exercitus benè numeratus euocatus aduenit, adeſt ad Principis nutum armatus, arma, tormenta bellica, naues omnigenæ, in promptu omnia. SED pax arridet aſſidua comes Prudentiæ. At non per hæc iuuentus, & militia ocioſa terra mariq; exercita, & ad diſciplinæ vnguem formata. Quamobrem omnia & ſingula in tuto. Adaucta igitur annonæ copia, & pacis otia, Auguſtiſſimi Principis prouidentia.

Et

Et quidem optimè constituta in Republica articulata, vegeta, spirantia Populus membra, rationalis optimis anima, præpotens, Princeps, mens est aurea. Itaque in re præsenti cor populi, Senatorum in consensu consilium concors, vnitatis concordia præpotens, in omnibus sapientissimus Princeps Ferdinandus, Florentissimum Mediceæ culmen gloriæ, cuius generosam exorditi genesim conteximus. Is Cosmi Magni filius, illius inquam Cosmi, qui Populorum Pater, Senenses in suam fidem recepit maximum ditionis auctarium, & primus posthominum memoriam Magnus Etruriæ Dux coronatus, & conclamatus est. At Ferdinandus paternarum virtutum in decursu ad metam æqualis adæquat, & titulos adaucta in corona egregiè condecorat. Qui & Reipub. Florentinæ & Senarum Dux, Magnus item Etruriæ Dux in æquitatis habena moderatur singula, regit omnia.

✠

ANTIQVITATVM ROMANARVM PAVLI MANVTII LIBER DE LEGIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLI MANVTII AD ILL.MVM PRINCIPEM, HIPPOLYTVM ESTENSEM, CARDINALEM, IN LIBRVM DE LEGIBVS PRAEFATIO.

OMNES artes, atque omnes res, HIPPOLYTE Princeps, & Cardinalis, modo augeri, modo minui, nec easdem perpetuo esse, satis inter omnes constat; patet hoc quidem oculis primum, deinde etiam mentibus. Oculis notamus euenta: mente, cur quidque eueniat, quo ve referenda sit cuiusque rei mutatio, intelligimus. Itaque lapides, & metalla, quæ omnium durissima sunt, quæ vis hominum frangere vix potest, hæc tamen consumit, & conficit vetustas. Quidquid enim ex partibus aliquando coïit, & concretum est; id easdem in partes aliquando dilabatur, ac dissipetur, necesse est. Habet hoc materia illa, vnde res omnes constant, vt formæ mutationem quærat; idq; quod sequitur, assecuta, migrat in alias naturas, quasi, quod appetijt, eo nunquam esse con-

contenta videatur. Neque vero hæc naturales tantùm ad res conditio pertinet, sed inuenta quoque hominum, operaq; attingit. Mores, consuetudines, loquendi ratio, quam linguam appellamus, leges ipsæ, quas ne quid vnquam ex hominum memoria deleat, in æs incidimus, omnia demum, quæ ab arte naturam imitante fluxerunt, quotidie mutantur, ac tolluntur, non modo ab externis causis contra voluntatem nostram, verum etiam à nobis ipsis, quia tempus ita postulet. Sed artes liberales, optimaq; studia, quæ nusquam magis, quàm in Italia, honor aluerat, atque auxerat, ætas nulla magis afflixit, quàm cum Romani Imperatores, imperij sede in Thraciam translata, Italiam barbaris nationibus diripiendam, ac deuastandam reliquerunt. Quòd nisi superioribus annis Principes, ac Pontifices aliquot, maxime vero Leonis X. egregia, propeq; diuina liberalitas huic malo subueniisset; quem Laurentij Medices, patris sui, clarissimi viri, exemplo commotum, etiam veræ laudis cupiditas impulit, vt iacentes ingenuas artes, magnis propositis præmijs, excitaret; barbara, credo, quod ad litteras attinet, magna ex parte esset Italia: dignitas omnis philosophiæ, splendor omnis obsoleuisset eloquentiæ. Sed neque ille huius præclari operis summam potuit absoluere, ereptus morte, disciplinis liberalibus nimis immatura; & interitum illius

tempora

tempora sunt eiusmodi consecuta, vt, quæ paululum iam luxerant honestarum scientiarum studia, ea perpetuis multorum annorũ tenebris, quasi nox quædam obscurauerit prorsus, atque extinxerit. Fatalis enim bellorum tempestas non exercitationem modo litterarum sustulit, verum, quæ sunt in excolenda virtute positæ laudes, eas labefactauit omnes, atque peruertit. Ac nunc quoque, cum pacis aliqua spes, longo sane interuallo, affulsisset, misera rursus eodem malo tentatur Italia, veteresq; calamitates aduersus bonis artibus nescio quis Genius inuehit. Nunc te, Hippolyte Cardinalis, cui summam iuuandi generis humani voluntatem, nec minimam cum voluntate facultatem Deus tribuit, eximiam ad laudem vocat occasio. Suscipe desertum pene ab omnibus litterarum patrocinium. Collige tu, quæ alij dissipant, omnium laudandarum doctrinarum studia, & restitue nobis illa, quæ vel hominum improbitas, vel, vt aliò culpa deriuetur, fortunæ vis eripuit. Hæc est actio digna Cardinali, digna Principe, Hippolyto vero & Cardinali, & Principe dignissima. Vidimus tuam præteritam vitam. Ab ea nihil humile, nihil obscurum, nihil vulgare, ampla omnia, præclara, inusitati exempli, noui generis expectantur. Quæ tu, ne à te ipso dissentias, nunc quidem magna ex parte præstabis, atque adeo iam præstas, bonis viris, & eruditis

bene-

beneficentia subleuandis. Quorum ex ingenijs non dubito, quin quotidie aliquid efflorescere tuo beneficio videas. Quod quia præclarum est, exemplum alij sequentur. Scribent omnes, quod quisque poterit, illecti gloria, & commodorum spe compulsi. Nam vt coniecturam de me ipso faciam; quem esse nihil in litteris fateor; sed, vt aliquid tamen essem, laboraui; ego olim (decennium, opinor, abijt, eoq; amplius) auctoribus duobus eximijs viris, Petro Bembo Cardinali, & Bernardino Maffeo, qui postea dignitatem eandem magnis in Ecclesiam Christi meritis est consecutus, dederam me ad res Romanas, illas veteres, obseruandas, & ex omnibus antiquorum monimentis omni studio colligendas: vt, cum illam remp. qua nulla fuit, nec erit vnquam illustrior, vniuersam animo, ac scientia comprehendissem, latinis eam litteris explicarem, egregiumq; bene, ac laudabiliter institutæ ciuitatis exemplum meis, quatenus quidem ipse possem, scriptis expressum, posteris relinquerem. Res erat præclara, meq; delectabat vehementer, & afficiebat ipsa tractatio. Itaque meam omnem industriam, omnem curam, omnes denique in hoc studio cogitationes fixeram, ac locaram. Sed accidit iniquo meo fato, vt horum vtrunque, Bembum primo iam senem, cuius in beneuolentia ornamenti mihi erat plurimum, deinde Maffeum non ætate minus, quàm

virtu-

virtute, florentem, in quo mei spes ocij sita omnis erat, à quo pendebam totus, importuna morte ereptum amiserim. Destitutus eo præsidio, quo meæ fortunæ nitebantur vno fractus animo, ac debilitatus institutum antiquitatum Romanarum opus omiseram, & ad alia me conuerteram. Postea vero quàm honorifica in primis conditione delata, magno sum à te tuo beneficio in tuorum familiarium ordinem inuitatus; quod ego summæ felicitatis loco duxi; erectus mente, atque animo, rursus, quod abieceram, suscepi, onusq; tantum, quantum priuatis opibus perferri vix, aut ne vix quidem potest, te vno fretus egregiè sustineo, & vt ex parte totum iudicare posses, de decem, quos exorsus sum, libris hunc de legibus potissimum, quem ad te mitterem, delegi: non quòd ita postularet ordo: (sextum enim in antiquitatum volumine locum obtinet) sed, quòd, cum omnium librorum materies non modo coacta iam in vnum à me esset vniuersa, verum etiam satis diligenter in partes distributa; casu accidit, vt hic minus, quàm cæteri, rudis, minus esset Impolitus. Præterea feci libenter, tuis actionibus admonitus. Leges enim hic liber complectitur. Porro leges nihil aliud, quàm rationem, nihil, præter ordinem, docent. ratio autem, & ordo, si vsquam, in tuis moribus elucet. Quippe nihil agis non moderatum, nihil non æquabile, nihil, quod non cum ea,

quam sustines, persona, id est cum religione vere Christiana, ac sedis Apostolicæ dignitate consentiat Quare cum omnia mea tua sunt; quandoquidem ego me tibi, quidquid sum, & quantus esse possum, totum addixi; tum vero hic de legibus Romanis liber vere tibi debetur, tibiq; est à me iure optimo inscriptus. Quo in libro bene positam à nobis operam si duxeris; de cæteris quin idem sentias, haud equidem verebor. Pergo enim studio pari, voluntate etiam, vt mihi videor, acriore. Vnum modo exoptandum est; vt, quando nos ab hoc studio nulla vtilitas, nulla voluptas, ne valetudinis quidem satis imbecillæ ratio potest auellere, nostris laboribus tua beneuolentia quasi propitium numen adsit. Sic enim fiet, ne qua prorsus in difficultate, ne quo vnquam in scopulo nostra hæreat industria; & in eum, quò spectat animus, portum secundo cursu, tuæ benignitatis aura prosequente, facile peruehemur.

ANTIQVITATVM ROMANARVM PAVLI MANVTII

LIBER DE LEGIBVS.

PTIMA omnium, atque æquiſſima naturæ lex eſt; quæ tum nihil cuiquam deeſſe, tum ea, quæ quiſque habet, æterna iubet eſſe, nam, quemadmodum illæ, quæ cœleſtibus corporibus præſunt, beatæ mentes, iuſtiſſimæ ſunt, & ſuum quæque corpus iuſtiſſimè regit: ſic ipſa natura, quæ de ſuperioribus illis mentibus deriuata, & in vnum collecta vis eſt, æquiſſimum in agendo ordinem ſeruauit; eaq; quæ egit, patere omnibus, nec vnquam non eſſe vult. itaque, & eam partem aeris, quæ ſublimior, eoq; purior eſt, oculis traijcientes, aſpectu cœli iucundiſſimo omnes fruimur; & inferiorem, mixtam, ſpiritu haurimus; & ſuſtinemur, atque alimur terra, & aqua ad ea, quæ cuique commoda ac neceſſaria ſunt, vtimur. Nam, etſi horum ſingula vni animantium generi tributa ad vſum, ac victum præcipuè videntur: tamen ita vni generi proprium vnumquodque eſt, vt diuerſi generis animantibus nihil denegetur. Alitibus aer, mare piſcibus, quadrupedibus terra, certa cuique animanti ſedes, ac naturale domicilium eſt: omnia tamen omnibus communia ſunt; neque alieni alimenti vſu animal vllum perpetuo caret. Hæc ſua lege natura, communis omnium mater, ita

constituit, ac tanxit. Cuius ad similitudinem quo propius accedunt humanæ leges, eo certior ac laudabilior ea vitæ ratio est, quam hominum generi præscribunt. Neque ad aliud exemplum spectarunt homines illi, quos antiqui scriptores diuinis laudibus extollunt, quia suas ciuitates optimis institutis, ac saluberrimis legibus temperarunt. Celebrantur præter cæteras Lacedæmoniorum leges, à Lycurgo latæ, Athenienſium, à Solone. Commemorantur, & illæ, quas Locrenſibus Zaleucus, Thurijs Charondas, Getis Zamolxis, Pythagoræ discipulus, dedit. Laudat etiam Cretenſium leges Plato, Carthaginienſium Iſocrates. Romanas vero Polybius anteponere omnibus non dubitat. Hæ cum abijs, qui cæteris hominibus ingenio, ac ſapientia præſtiterunt, ſummopere laudatæ prædicataeq; ſint: quid aliud, niſi præclaras fuiſſe, credendum eſt? at diſſimiles inter ſe, & ſi diſſimiles, quo modo omnes præclaræ? quia nimirum ad eundem finem, eandemq; quaſi metam, non eadem tamen via, omnes tendunt. Ius naturæ, in quo nihil inæquale deprehenditur, primi conditores legum ante oculos habuerunt. Eius imaginem in ſuas quiſque leges, quantum imitatione licuit, tranſtulerunt. Qui cum ad iuſtitiam pariter intenderent, eandem tamen in tradendo iure rationem ideo ſecuti nõ ſunt, quia nõ eiuſdẽ loci, nõ eiuſdẽ cœli nõ eiuſdẽ hominibus ingenij leges ferebant. Hęc illi cum animo circumſpicerent, attenteq; cogitarent: modo perficere poſſent, quod agebant; qua ratione perficerent, laborandum non eſſe iudicarunt. neque enim ipſarum legum vitio factum eſt, vt aut Athenienſes minus diu, quàm Lacedæmonij, aut Lacedæmonij minus, quàm Romani, floruerint; ſed quod Athenæ citius, quàm Sparta, & Sparta citius, quam Roma, de recti maiorum conſuetudine deflectens, legum imperium maieſtatemq; neglexit. Quare prudenter iudicat Polybius, quòd, duabus potentiſ-

ſimis

simis ciuitatibus, Carthagine, & Roma, multorum annorum bello de imperio decertantibus, ad extremum succubuisse Carthaginem, & victam conditiones accepisse, ob eam maxime causam putat, quod, quo tempore inter eas incidit contentio, tum, & Carthagine multo, quàm antea, negligentius, & Romæ multo, quàm vnquam, diligentius leges colebantur. Nihil enim sine iure perpetuum est. Ius autem ipsum nihil aliud est, quàm bene viuendi norma, legimus tradita, atque præscripta, quam qui tenent, soli duas maximas res, maximeq; optabiles adipiscuntur, primum, ipsi quotidie magis in sua ciuitate cari sunt, atque honorati, inter ignotos clari, inter homines viri, inter viros heroes: deinde, id quod velle bonitatis est, perficere virtutis, facile consequuntur, vt eorum patria ciuibus frequens, pace tuta, opibus beata sit. ex hoc genere fuisse legimus Thebis Epaminondam, Spartæ Agesilaum, Athenis Aristidem, Romæ Camillum, Fabios, Decios, Scipiones Catones, innumerabiles alios, nulla enim ex omnium seculorum memoria magis ad omnem laudem ciuitas excelluit, ex hoc etiam numero multos in patria mea fuisse, apud maiores nostros Carolum Zenum, Franciscum Barbarum, patrum ætate Bernardum Iustinianum, Hermolaum Barbarum, Franciſci nepotem. Hieronymum Donatum, Andream Naugerium accepimus, ipsi vidimus, & quod in magna felicitatis parte ponimus, allocuti sæpe sumus Gasparem Contarenum; cui quidem ex ijs, quos nominaui, prudentia, bonitate, amore in patriam, pietate in Deum anteferri nemo, doctrina ne conferri quidem potest, fuit enim ille vir, non modo Venetijs, quandiu gerendis magistratibus operam reip. nauauit, verum & Romæ, & vbicunque fuit, postea quàm absens pene contra voluntatem, præter opinionem certe Cardinalis factus est, fuit, inquam, ille vir, cuius mihi nunc scribenti vultus, & os illud, regia

quadam

quadam maiestate decorum, ante oculos obuersatur, in omni genere vitæ inter omnes homines admirabilis, & eximius, qui cum esset habitu naturæ excellenti, ac prope diuino; domestica etiam disciplina, præter rectum, & honestum, nihil agnosceret, nihil vellet; tamen, assiduo philosophiæ studio, ita voluntatem auxerat, ita naturam expolierat, vt cum nemo magis virtutem diligeret, tum nemo diligendam magis iudicaret, hunc ego mihi cum à prima adolescentia, tanquam vnicum exemplum, & in moribus, & in litteris ad imitandum proposuissem; nunc in vtroque à perfecta illa facultate, quæ in illo fuit, quàm longe absim, quamq; id, quod imitari statueram, consequi difficile sit, re tentata, & cognita perspicio, de Equitem, in litteris, neque tempori, quantum rei familiaris occupatio permittit, neque labori, quantum mea non admodum firma valetudo fert, hactenus peperci: seduloq; sum conatus, vt quemadmodum ille suorum studiorum rationem extare voluit; itaque multa litteris ab illo præclarissime tradita leguntur; itidem ego facerem, & pro mea tenui facultate, meis scriptis hominum studiosorum vtilitati, commodisq; consulerem, par in vtroque voluntas fortasse fuit: nos inferiores ingenio, scientia vero impares maxime sumus, ille Venetam remp. hoc est eam, quæ inter omnes nostri temporis resp. plurimum excellit; nos Romanam, hoc est eam, quam omnium præstantissimam antiquitas habuit, ad scribendum delegimus, ille, quod voluit, perfecit: nos, euentu dubio, perficiendi tamen spe conamur, nam, etsi quanta in re, uersamur, intelligimus: tamen, quia superioribus quinque libris primo de vrbe, altero de ciuitate, tertio de religione, quarto de senatu, quinto de comitijs, operam à nobis non omnino male positam existimamus; incepti nondum pœnitet; animoq; satis alacri pergemus ad ea, quæ restant. Sextus hic erit de legibus liber, in quo cum diligentiæ, tum ingenij,

Digitized by Google

genij, addo etiam prudentiæ, grauissimæ sunt partes, nam ex ijs legibus, quæ Romæ latæ sint, nullam prætermittere, diligentiæ est: quo in genere negligentes certe non fuimus, quid autem in ferenda lege quisque cogitauerit, & vtrum id, quod cogitauit, vtile reip. fuerit: hæc vero neque sine ingenio, eoque peracuto, quisquam viderit, neque sine prudentia iudicauerit, quare cum eam partem quæ tota studij ac laboris est, & à voluntate pendet, absoluerimus; (nihil enim in hoc, quantum quidem in nobis erit, desiderari patiemur) eam, quæ ad ingenium, & prudentiam pertinet, quæ nobis satis parce natura tribuit, si minus pro rei susceptæ magnitudine, ac dignitate præstabimus, iniquus erit lector, si quis infirmitatem pro crimine posuerit, meamq; causam potius condemnauerit, quia, quod debui, non potuerim, quàm probauerit, quia, quod potui, certe voluerim.

Quinque partes erunt huius libri, primo loco, quibus nominibus appellatæ leges sint, quis cuiusque lator, quæ cuiusque sententia fuerit, ostendemus, hac parte absoluta, quæ erit omnium maxima, tum illa quatuor, quæ ad rationem ferendæ legis pertinent, ordine curabimus; vt, à quo genere hominum, quibus in locis, quibus temporibus, quibus de causis latæ leges sint, explicemus.

IVS omne aut à natura est, aut à consuetudine, aut à legibus, ius naturæ ipsum per se, siue consuetudine, & legibus, ad optimam vitæ conditionem satis erat, satis enim beatè viueremus, si naturam ducem sequeremur, sed quia, quod iustum, & laudabile est, multi, vel quia sunt hebetes, non intelligunt, vel quia sunt improbi, dissimulant; idcirco, ne peccantibus daretur excusandi locus, scripta lex est, quæ, quid agendum, fugiendumue esset, perpetuis litterarum notis testatum, atque expressum ante oculos poneret: est igitur lex tanquam præco, qui, suggerente natura, iustitiam ciuibus enunciat: cuius vo-

cem

cem qui volentes auribus percipiunt, eamq; fideliter animo custodiunt; ita viuunt, vt virtutem à vitio facile distinguant & ab altero, tanquam à pestifero angue, refugiant, alteram amplexentur, & amabilem præ ceteris rebus existiment. Verum, quia publica res ita cum priuata cohæret, vt altera alterius commodo nitatur, nec fere, nisi vtrique recte sit, diu vigere & stare ciuitas vlla possit; propterea, quæ vtriquæ consulerent, leges, aliæ pro statu reip. aliæ pro singulorum vtilitate, diuersis temporibus latæ sunt, fuit igitur & ius publicũ, & ius priuatum. Rursus, quia publica sunt infirma, si separentur à diuinis; publici iuris facta diuisio est, vt altera pars ad religionem, altera ad res humanas pertineret. Ius priuatum ne ipsum quidem simplex est, sed leges quidem omnes de rebus humanis, alias tamen de iure ciuili, alias de criminibus continet. Primum igitur nobis agendum est de iure publico, deinceps de priuato; & primum de publico diuino, deinde de humano: item de priuato, primum eo, quod ad ius ciuile pertinet, secundo loco de eo, quod crimina persequitur.

ROMANAE leges aut à regibus latæ sunt, aut ab ijs magistratibus, quos, regno sublato, alios alijs temporibus creatos, ciuitas habuit, ipsas leges magna ex parte alicunde sumptas facile crediderim, non enim dubitandum est, quin, cum ea tempestate in Italia & Albani, & Sabini, & præter ceteros Etrusci floruerint; cumq; Albæ Romulus, in Sabinis Numa, Priscus etiam matre Etrusca, patre in Etruria orto natus esset; ad suam quisque patriam respexerit, & ea, quæ in ijs populis probabiliora videbantur instituta, delegerit, Romæq; legibus sanxerit, à Lacedæmonijs etiam non nulla, ab Athenienſibus multa ad ius constituendum video deriuata, nam fere, quæcunque in XII. tab. decemuiri scripserunt, de Solonis legibus translata sunt. Nec vero, ab ingenio pauca, atque à prudentia

tia esse deprompta, credendum est, præsertim in rep. cum in magnis opibus imperij, pro vario rerum euentu, noua iura temporum necessitas exprimeret. Regum ætate non multas in vrbe leges fuisse existimauerim: non solum quia regum iussa pro legibus erant: ad eos grauissima quæque deferebantur; eorum omnes dicto annuere, imperio parere cogebantur: verum etiam, quia ciuitas, neque dum populo satis frequens, neque opibus locuples, legum multitudinem non desiderabat, inter paucos, & assiduis bellis exercitos, nondum licentia, nondum plane vis emerserat: non luxuries, non illa, quæ fere opes consequitur, malarum artium lues in vrbem inuaserat, regibus exactis, simul cum publicis opibus & nata noua vitia sunt, & ea, quæ fuerant, aucta, tunc, vt ad varios morbos diuersa medicamenta inuestigata, inuentaq; sunt, sic ad ea mala, quæ manare cœperant in ciuitate, comprimenda, atque sananda, varia legum genera peperit necessitas, neque tamen Reges ipsi leges neglexerunt, poterant omnino, quidquid vellent: sed voluit nemo, nisi quod liceret, quin, vt ait Liuius, ab ipso statim vrbis primordio Romulus, rebus diuinis rite perpetratis, vocata ad concionem multitudine, quæ coalescere in populi vnius corpus nulla re, præterquam legibus, poterat, iura dedit, quem Numa subsecutus, multo etiam magis ciuitatem legibus excoluit, & ab armis ad religionem, bonosq; mores totam traduxit, omnesq; deinceps, præter Superbum, ita regnarunt, vt, quod idem Liuius alio loco tradit, Brutus idem, qui tantum gloriæ, Superbo exacto, meruit, malo publico vel maximo id facturus fuerit, si libertatis immaturæ cupidine, priorum regum alicui regnum extorsisset, quare, cum ipsos moderati ingenij, optimiq; exempli fuisse constat, tum leges habuisse, quarum ad præscriptum vniuersos ciues viuere voluerint, quibus de legibus, deq; ijs, quæ postea latæ sunt, ita summatim agemus, nihil tamen

vt patiamur desiderari, ac primum de publicis, & inter has primum de ijs, quæ ad religionem pertinent, agendum est.

LEGES publicæ de sacris & de religione iam inde à primis Regibus, Romulo, & Numa, non sane paucæ institutæ sunt, sed ante omnia, Romulus videtur, ne quis vnquam suas leges, aut sua facta posset infirmare, legem illam, quam Regiam Vlpianus vocat, de suo imperio tulisse; cum populus, ab eo rogatus, omne suum ei, & in eum imperium, omnemq; potestatem contulit. Hoc facto ad inducendam religionem animum adiecit, & cum religione securitatem simul ciuium spectauit, de ipsa enim vrbe id primum statuit, ne quis, nisi per portas ingrederetur, egrederetur ve; mœnia sacrosancta essent, quam legem videtur Cicero significasse in II. de natura deorum, cum ait, muros à pontificibus habitos esse sanctos, quos violare nefas esset. Ita, cum & suam Romulus, & publicam salutem religione munijsset, sanxit deinde, idq: semper seruauit, ne quid publicè inaugurato fieret, vidit enim, reliquas leges, quas ferre de rebus humanis cogitabat, haud paulo plus in nouo, varièq; multis ex locis confluente populo habituras esse ponderis, si cum quadam erga deos pietate coniungerentur: quando quidem id esse quasi frænum videretur ad impetus animorum reprimendos, hominesq; in officio, rectaq; ratione continendos. Atque hac quidem de lege ita loquitur Cicero in 3. lib. de natura deorum, vt ab ea fluxisse Romani imperij magnitudinem significet. Romulum, inquit, mihi persuadeo, auspicijs constitutis, iecisse fundamenta nostræ ciuitatis. Tum, sacris rebus ac ritibus esse principes ciuitatis, hoc est, patricios, lege iussit; qui, diuina tractari à plebeis hominibus, neque pium, neque decorum iudicaret; siquidem ea, quæ vim habet necessitatis, inopia faceret, vt eorum non modo manus labe rerum vilissima-

rum

rum fœdarentur, verum animi quoque tum cogitandis, tum etiam patrandis sceleribus inquinarentur. Addidit aliam legem, ne in templo nocturnæ vigiliæ haberentur; optimo sane consiglio, primum, ne quid per noctem minus castè, minusve pudicè, sacrorũ specie committeretur; quod fieri plerunq; contigit; deinde, ne qua fieri coitio, ne quid iniri aduersus ipsum, publicamve rem occulti consilij, ne quid insidiarum tendi posset. Ad quam legem Cicero spectauit, cum in suis legibus illa scripsit: Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, præter illa, quæ pro populo rite fiant. Et quoniam opinio fabularum, quibus antiquitas deos admiscere solita est, familiaritatem quandam inter homines & deos videtur inducere; vnde manat primum contemptus, & in moribus licentia, deinde ad omne facinus audacia: vinculum hoc quoque incolumitatis publicæ firmissimum sapientissimus Rex futurum putauit, si pœnam ijs lege indiceret, qui fabulosa de Dijs figmenta credidissent. Quid illud? vbi diuersa religio est, tollitur societas, & consuetudo, ex eo facile odia, & ex odijs seditiones existunt, quo sæpe malo ciuitates intereunt, prouidit hoc Romulus, cauitq;, lege lata, ne Deos peregrinos, præter Faunum, colerent, ne ve sacrificia externa facerent. Has leges, & eas, de quibus infra suo loco agemus, videtur comitijs curiatis tulisse, qua de re Pomponij iurisconsulti verba recitabo. Romulus, inquit, populo in XXX. partes diuiso, quas curias appellauit, quòd tunc reip. curam per sententias earum partium expediebat, leges quasdam curiatas ad populum tulit: tulerunt & sequentes reges: quæ omnes conscriptæ extant in libro Sex. Papirij; qui fuit illis temporibus, quibus Superbus, Demarathi Corinthij filius, isq; liber appellatur ius ciuile Papirianum. Hæc Pomponius. Verum in Romulo temperatum fuit ingenium, quale scilicet nascentis vrbis initia postulabant, tum ad rem bellicam, tum ad religionem accommodatum. Numa totus

in re diuina fuit: itaque ad eos sacerdotes, quos Romulus instituit, qui sexaginta fuerunt, ipse alios præterea adiecit, flaminem Dialem, Martialem, Quirinalem, virgines Vestales quatuor, salios Marti Gradiuo duodecim, Pontificem maximum ex patricijs, cui omnia sacra tum publica, tum priuata commisit, hæc, non dubito, quin ad perpetuitatem legibus sancita sint, sicuti alia multa, quæ religionis causa tum ab alijs regibus, tum à magistratibus in Rep. constituta sunt. Regibus eiectis, lege tribunicia omnes leges exoleuerunt; [ponam enim eiusdem Pomponij verba] iterumq; cœpit populus R. incerto magis iure, & consuetudine aliqua vti, quàm perlata lege: idq; prope XX. annis, postea placuit, publica auctoritate X constitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, vt ciuitas fundaretur legibus: quas in tabulis X. æneis perscriptas, pro Rostris proposuerunt, vt possent apertius perspici: datumq; est eis ius eo anno in ciuitate summum, vt leges corrigerent, & si opus esset, interprætarentur, neque prouocatio ab eis, sicut à reliquis magistratibus, fieret qui & ipsi animaduerterunt aliquid deesse primis X. legibus: ideoq; sequenti anno alias duas eisdem tabulis adiecerunt. In his legibus, quas centuriatis comitijs X viri tulerunt, multa propriè de iure diuino sancita esse, necesse est: siquidem ita diligenter, & ita copiosè scriptæ sunt, inspectis prius & sapientissimi Solonis legibus, & aliarum Græciæ ciuitatum institutis, ac moribus, vt vel ætate sua Liuius, in immenso aliarum super alias aceruatarum legum numero, fontem tamen omnis publici priuatiq; iuris XII tab. esse dicat, sed de sacris ritibus pleraque, vetustate obliterata, euanuerunt: nonnulla de legibus ad creandos sacerdotes pertinentibus, veterum historiarum, ac monimentorum ope, quasi scalmus è naufragio, seruata sunt. Atque hoc de genere (vt à primis temporibus ordiar: vnde veluti per gradus ad postrema descendam) leges inuenio

uenio Romiliam primum; qua cautum est, ne alij, præter patres, & magistratus, sacra inirent, peragerentve; deinde tribuniciam, Sextiam Liciniam, vt X viri sacrorum, non, vt antea, omnes patricij, sed ex parte dimidia de plebe crearentur: item aliam tribuniciam, Ogulniam, vt, cum quatuor pontifices essent, placeretq; sacerdotum numerum augeri, quatuor præterea pontifices, quinque augures, de plebe omnes, ellegerentur: vt omnino octo pontificum, nouem augurum numerus fieret, iam enim inter plebem, & senatum, hoc est inter inopes, & diuites, peculiare malum in liberis ciuitatibus erumpere discordia cœperat; seq; plebs, quasi profanam, a sacris amoueri querebatur, ideoq; tribuni pl. aduersante senatu, ad extremum, latis rogationibus, obtinuerunt, vt sacerdotia communicarentur. Fuere præterea de cooptandorum sacerdotum iure partim pro plebe, partim pro collegijs latæ tribunicia Cn. Domitij, consularis L. Cornelij Syllæ dictatoris, tribunicia T. Atij Labieni, consularis L. C. Cæsaris, consularis deinceps & M. Antonij, cumenim, veteri lege, ac more, augures ab auguribus, pontifices à pontificibus, reliqui sacerdotes à suis quique collegijs crearentur, vnus Pontifex maximus à populo; quod omnium pene historicorum, Liuij maxime testimonio constat; Cn. Domitius tribunus pl. Neronis imperatoris atauus, pontificibus offensior, quòd alium, quam se, sui patris in locum cooptassent, lege lata, ius sacerdotum subrogandorum à collegijs ad populum transtulit, eo anno, quo C. Marius tertium consul fuit, nec multo post ipse pontifex maximus populi suffragio creatus est, opinor in locum Q. Seruilij Cæpionis; vt ex Valerij libro VI. licet conijcere, huius legis in 11. in Rullum agraria oratione Cicero meminit his verbis. Hoc idem de cæteris sacerdotijs Cn. Domitius tribunus pl. vir clarissimus, tulit; quòd populus per religionem sacerdotia mandare nõ poterat, vt minor pars populi vocaretur; ab ea parte qui el-

sset

set factus, is à collegio cooptaretur, sunt etiam hæc in oratione pro C. Cornelio. Quid? auunculus tuus, clarissimus vir, clarissimo patre, auo, maioribus, credo silentio, fauente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo R. dedit, & potentissimorum hominum collegijs eripuit cooptandorum sacerdotum potestatem. Existimo autem hac lege permissum, vt absentes etiam possent petere sacerdotia, nam eam, vt opinor, significat Cicero, cum ad M. Brutum ita scribit. Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo, existimo omnino absentium rationem haberi sacerdotum comitijs posse, nam etiam factum est antea. Caius enim Marius, cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quo minus id postea liceret, vlla lex sanxit. Postea L. Sylla, rerum potitus, cum alia multa contra populum, qui Marianas partes fouerat, tum hoc sanxit, vt rursus sacerdotes à collegijs crearentur, de quo sic Pedianus in diuinationis commentario. His X. annis, victore Sylla, bellis ciuilibus, spoliatus est populus R. potestate tribunicia, iudicandi iure, arbitrio creandorum sacerdotum. Sed quæmadmodum legem Domitiam abrogauit sua lege Sylla: sic legem Syllę, aliquot post annis, T. Atius Labienus tribunus pl. abrogauit, Domitiamq; restituit, fecit autem hoc auctore C. Cæsare: qui, si populus in mandando sacerdotio suffragium ferret, se, qui popularis admodum erat, pontificem maximum, in demortui Metelli Pij locum, creatum iri, non sine causa putabat, quod re comprobatum est, nam, P. Seruilio Isaurico, & Q. Lutatio Catulo, consularibus viris, & prouecta iam ætate, delectis, ipse nondum prætorius, in amplissimi sacerdotij gradum ascendit. Tulit & ipse legem, non quæ à Labieni lege discreparet (fuit enim vterque popularis) sed quæ nouum aliquod ius adscriberet. Domitiam quidem legem in eo capite confirmauit, vt absentibus petere sacerdotia liceret, scripsit enim hæc in sua lege: Qui petit, cuiusve ratio habe-

habebitur, quorum verborum ſententiam Cicero exponens in epiſtola ad M. Brutum, aperte, inquit, indicat, poſſe rationem haberi etiam non præſentis. Rurſus à populo ad collegia, lege Labieni abrogata, ius cooptandorum ſacerdotum retulit poſt obitum Cæſaris M. Antonius conſul, eo conſilio, vt facilius ac certius M. Aemilius Lepidus, cuius filio filiam ſuam collocauerat, pontifex maximus in Cæſaris locum ſubrogaretur, ita, quod hiſtoria demonſtrat, ius creandi ſacerdotes quater immutatum eſt, à Domitio, Sylla, Labieno, Antonio, mihi tamen & de quinta mutatione oritur opinio, vt puto, ſatis certa, primum ex epiſtola ad M. Brutum; in qua ita ſcriptum eſt. Panſa viuo celeriora omnia putabamus, ſtatim enim collegiam ſibi ſubrogaſſet, deinde ante prætorum, ſacerdotum comitia fuiſſent, cum enim, quo tempore hæc epiſtola ſcripta eſt, tum non à collegijs, ſed à populo ſubrogari ſolitos eſſe ſacerdotes, manifeſtum ſit, quia comitia de populo dici nemo neſcit; hæc autem epiſtola eo anno ſcripta ſit, quo Hirtius & Panſa cos. fuerunt, id eſt eo, qui Antonij conſulatum primus conſecutus eſt: liquet, Antonij legem non eſſe ſeruatam, ſed eam, quam Domitius tulerat, iterum eſſe reſtitutam, nitor etiam Dionis teſtimonio; qui libro XLVI. leges Antonij à Panſa conſule abrogatas eſſe narrat, quod etiam fecit Lentulus ille, qui ſcripſit his verbis ad Ciceronem: Primus ego leges Antonianas fregi, vt eius potius exemplum Panſa, quàm ipſe Panſæ, ſecutus eſſe videatur, eſt etiam ex ipſo Cicerone minime dubium de abrogatis Antonij legibus argumentum. Acta, inquit oratione XIII. in ipſum, Antonij reſcidiſtis: leges refixiſtis: per vim, & contra auſpicia latas decreuiſtis, præterea patet hoc eo clarius, quòd in ea, de qua proximè memini, ad Brutum epiſtola proximam legem de ſacerdotijs Cicero Iuliam appellat; quæ petendi ſacerdotij poteſtatem abſentibus permittebat, quòd ſi poſt Antonij conſulatum, in quo legem tulit

de

de iure cooptandi, proxima dicitur C. Cæsaris lex: nimirum sublata iam erat Antonia, & mos ille renouatus cooptandorum sacerdotum populi comitijs, quem sua lege primus Domitius induxerat, quanquam non id primus esset aggressus, nam aliquot annis ante C. Licinius Crassus eadem sententia legem promulgauit, nec tamen pertulit, sic enim in libro de amicitia loquitur C. Lælius, is, qui cum Africano minore coniunctissimè vixit. Quàm popularis lex de sacerdotijs C. Licinij Crassi videbatur, cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur, tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat, atque id actum est prætore me, quinquennio ante, quàm consul sum factus, itaque re magis, quàm auctoritate, causa illa defensa est. Hic, quando veterum testimonia, quæ sunt de legibus ad sacerdotum creationem pertinentibus, recitaui; adiungam dubitationis nescio quid, quod explicare, non cuiuis, vt opinor, facillimum est, non enim minus libenter meas dubitationes, quàm expositiones, profero: neque ego me eum esse profiteor, cui omnia pateant, contra, si quis est, qui se multa nescire fateatur, &, qui libenter in legendo dubitet, is ego sum. Quæro igitur, vtrum Cn. Domitij lex etiam ad ipsius pontificis maximi creationem pertinuerit, an verò ad sacerdotes, pontifice excepto, nam si Domitius legem tulit non de pontifice maximo, sed de cæteris sacerdotibus à populo creandis; quia de pontifice ferri non opus esse iudicaret, cum is iam ante à populo crearetur: cur dixit Dio libro 37. legem Domitiam de cooptatione sacerdotum à Labieno tribuno pl. esse renouatam, vt pontifex maximus in locum Metelli C. Cæsar à populo crearetur? quòd si quis Domitium & de pontifice maximo tulisse dixerit: huic ego opponam Ciceronis, & Liuij auctoritatem: qui, quod Domitius tulit, vt in sacerdotibus fieret, id iam ante in pontifice maximo esse factum signi-

significat, vt scilicet à parte populi crearetur. Ciceronis verba sunt hæc in II. in Rullum oratione. Item, inquit, eodemq; modo, capite altero, vt comitijs pontificis maximi, ne hoc quidem vidit: maiores nostros tam fuisse populares, vt, quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotij voluerint populo supplicari, atque hoc idem de cæteris sacerdotijs Cn. Domitius tribunus pl. vir clarissimus, tulit; quòd populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, vt minor pars populi vocaretur; ab ea parte qui esset factus, is à collegio cooptaretur, satis aperte significat, ante Domitij legem à parte populi pontificem esse factum, sed Liuius paulo clarius etiam hoc idem libro 25. exponit: ait enim. Comitia inde Pontifici maximo creando sunt habita, ea comitia nouus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit, comitia pontificis maximi nominat, plurimis ante Domitij ætatem annis. Quænam igitur est huius explicandæ quæstionis ratio? hæc fortasse. Concedo, ante Domitij legem populi comitijs Pontificem maximum esse factum: sed Domitium existimo, cum reliquorum sacerdotum, id est Pontificum, augurum, XV. virorum, VII. virorum, flaminum, aliorumq; omnium, qui iure sacerdotij sacris rebus præessent, eandem esse conditionem vellet, vt, quemadmodum pontifex maximus item ipsi à parte populi crearentur, de sacerdotibus omnibus, generatim tulisse, vt etiam pontificem ipsum maximum comprehendere videretur, ita, quod de iure subrogandorum sacerdotum Domitius tulit, non illud quidem in pontifice maximo nouum fuit, sed, cum generalibus verbis esset perscriptum, non minus ad eum, quàm ad reliquos sacerdotes, pertinuit, quam ob causam, cum L. Sylla Domitiam legem abrogauit, abrogatum simul & de pontifice maximo, & de sacerdotibus reliquis dicemus: non, quòd nominatim Domitius de pontifice maximo tulisset: (iam

enim, neque hoc esse factum, neque fieri oportuisse, diximus) sed quòd, cum de sacerdotibus omnibus tulisset, legis sententia etiam ad pontificem maximum, qui & ipse sacerdos esset, pertineret, itaque lege abrogata, omnium sacerdotum, quorum in numero pontifex maximus erat, ad collegia rursus translata cooptatio est, eademq; lege à Labieno renouata, pontificis maximi & reliquorum sacerdotum par conditio fuit, vt omnes à parte populi crearentur, quod enim communiter omnibus de sacerdotibus sancitum à Domitio fuerat, eo pontificem maximum excludi ius non fuit. Vetus etiam de religione lex illa fuit, quam Q. Papirius tribunus pl. tulit; quæ vetabat iniussu populi quidquam consecrari, neque aut hominem, aut locum, aut rem excipiebat vllam, quod ex oratione pro domo conijci videtur posse. Item illæ de ritu capiundæ virginis Vestalis, Papia primum, deinde Popillia, qua de re apud Gellium scripta sunt hæc. De more rituq; capiundæ virginis, litteræ quidem antiquiores non extant, nisi quòd capta fuisse fertur, quæ capta prima est à Numa Rege, sed Papiam legem inuenimus: qua cauetur, vt pontificis maximi arbitratu virgines è populo viginti legantur, sortitioq; in concione ex eo numero fiat, sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet, nam, si quis honesto loco natus adeat pontificem maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cuius duntaxat, saluis religionum obseruationibus, ratio haberi possit; gratia Popilliæ legis per se ratum fit, capi autem virgo propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu præhensa, ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducitur, in libro Fabij pictoris, quæ verba pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capit, scriptum est, ea huiusmodi sunt. Sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ ius sciat sacerdotem Vestalem facere pro populo R. Quiritibus, vti quod optima lege fiat; ita te Amata capio. Amata autem

inter

inter capiendum à pontifice maximo appellatur, quoniam, quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est. Legum de religione vltima erit, & quasi agmen coget ea, quæ sacerdotes militiæ vocationem, præterquam Gallico bello, habere iussit; non, quòd ijs bello prorsus interdiceret: sed hoc tribuit, vt, si minus ire ad militiam vellent, cogi ne possent, nam sponte multos augures, multos pontifices ad bellum exijsse, historiæ narrant, qui tamen extra Italiam primus pontifex maximus P. Licinius Crassus Mucianus contra Aristonicum, qui Asiam occupauerat, profectus est, is in prœlio interfectus, neglectæ religionis pœnas dedit, hanc legem significat Plutarchus in Fabij Maximi vita, cum ait: Crassum, quòd erat pontifex maximus, diuina quædam lex domi tenuit, eodemq; & Liuius libro 8. spectauit. Nominatæ, inquit, consulibus prouinciæ sunt; Scipioni Sicilia extra sortem, concedente collega, quia sacrorum cura pontificem maximum in Italia retinebat; Brutij Crasso, sed hic Crassus multis annis ante illum fuit, qui ab Aristonico est interfectus: vt ex obseruatione temporum facile est intelligere. Sequuntur proximè leges de ludis; quas cum ijs, quæ ad religionem pertinent, coniunctionem, & quasi affinitatem quandam habere, satis ex eo constat, quòd nulli fine sacrificijs ludi fuerunt, & sacrificia religionis pars est, ideo & M. Varro, cum de rebus diuinis libros quinque componeret, vnum de ludis, vt de re diuina, fecit, qua ratione adducti sumus, vt post leges de sacerdotijs eas, quæ sunt de ludis, exponeremus. Ac prima inter has Licinia nominatur, de ludis Apollinaribus: qui cum in vnum annum vouerentur, incertoq; die fierent; senatus P. Licinium Varum, prætorem vrb. ferre ad populum iussit, vt in perpetuum in statum diem vouerētur, hi ludi, cum Annibal esset in Italia, victoriæ causa Q. Fulvio Flacco tertium, Ap. Claudio cos. ex Martij, clari vatis carmine primum instituti sunt: cuius in libris hæc in-

uenta Liuius recitat lib. v. eademq; fere & Macrobius lib. Saturn. I. Hostes, Romani, si expellere vultis, vomicamq;, quæ gentium venit longe; Apollini vouendos censeo ludos, qui quot annis comiter Apollini fiant: cum populus dederit ex publico partem, priuati vti conferant pro se, suisq; ijs ludis faciendis præerit prætor is, qui ius populo, plebiq; dabit summum, X. viri Græco ritu sacra faciant, hæc si feciſtis, gaudebitis semper, fietq; res vestra melior, nam is dius extinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascit placide, hoc inuento carmine, censuerunt patres Apollini ludos vouendos, faciendosq;; vouerì autem, & fieri à prætore vrbano; quòd is esse videretur, qui ius populo, plebiq; summum daret, cum facti essent, duodecim millia æris prætori ad rem diuinam, & duas hostias maiores dandas: & vt X. viri sacra ritu Græco facerent, hisq; hostijs, Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ boue fœmina aurata. Ludos prætor cum facturus esset, edixit, vt populus per eos ludos stipem Apollini, quanta commodum esset, conferret, populus eos coronatus spectauit, matronæ supplicauere: vulgoq; apertis ianuis in propatulo epulati sunt: celeberq; dies omni cæremoniarum genere fuit. Anno proximo, referente Calpurnio prætore, decreuit senatus, vt ij ludi in perpetuum vouerentur, triennio post, vt in perpetuum in statum diem vouerentur. P. Varus, vt diximus, prætor vrbanus, à senatu iussus, legem tulit; & ex ea lege ipse primus vouit, fecitq; ante diem II. nonas Quinct. cumq; diem solemnem deinde seruatum esse Liuius tradidit, ego tamen M. Bruti, qui Cæsarem interfecit, prætoris vrbani, absentis nomine, neque vno die tantum, neque II. nonas Quinct. factos inuenio, sed cum nonis Quinct. essent commissi, vsque ad III. idus datos fuisse, quod ex duobus locis libri epistolarum ad Atticum XVI. colligitur, quod ipsum, de pluribus ludorum Apollina-

linarium diebus, confirmat, vt opinor, Liuius lib. 37. his verbis: Ludis Apollinaribus ad V. idus Quinct. cœlo sereno, interdiu obscurata lux est. Alios præterea ludos Romæ fuisse, notum est, de quibus agetur in alio libro separatim, nunc leges ostendamus: id quod propositum nobis est. Liciniam Fannia sequitur: de qua Gellius hæc. Ludis Megalensibus principes ciuitatis mutua inter sese conuiuia agitabant: qui vetere S. C. quod factum est C. Fannio & M Valerio cos. iurare cogebantur, conceptis verbis, apud consules, non amplius in singulas cenas sumptus esse facturos, quàm centenos, vicenosq; æris, præter olus, & far, & vinum, neque vino alienigena, sed patrio vsuros, neque argenti in conuiuium plus pondo, quàm libras centum, illaturos, sed post illud S. C. lex Fannia lata est, quæ ludis Romanis, item plebeis, & Saturnalibus, & alijs quibusdam diebus in singulos dies centenos æris insumi concessit, decemq; alijs diebus in singulis mensibus tricenos, cæteris autem omnibus denos. Et quoniam spectandi locum senatores in imis gradibus ante omnes habuerunt, quod instituere curules ædiles, censorum iussu, Atilius Serranus, & L. Scribonius Libo: fecit sua lege L. Roscius Otho, Ciceronis ætate, alteram in populo distinctionem, tulit enim, vt equester ordo seorsum à plebe in XIV. gradibus sederet, ijstamen equitibus exceptis, qui siue suo, siue fortunæ vitio decoxissent, cui generi certum locum assignauit, pœna irrogata, si in XIV. sedissent, hinc illud in Antonium, oratione II. Tenes ne memoria, te prætextatum decoxisse? patris, inquies ista culpa est, concedo: illud tamen audaciæ tuæ, quòd sedisti in XIV. cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus; quamuis quis fortunæ vitio, non suo, decoxisset.

Primum igitur senatores in sedilibus circo proximis considebant; secundo loco proxime sedisse equites putabam,

bam, cum, exceptis senatoribus, & magistratibus, dignitate anteirent: sed à Cornelio Tacito monitus opinionem mutaui, is enim, sedisse quidem in XIV. ordinibus equites, narrat, non tamen ante plebem, sed confusè, tantùm vt XIV. ordines haberent. Nero, inquit libro XV. equitum Romanorum loca sedilibus plebis antepositi apud circum, nam ad eam diem indiscreti ibant: quia lex Roscia nihil, nisi de XIV. ordinibus, sanxit. Hic legis Titiæ & Corneliæ, à duobus fortasse tribunis pl. latæ, (nam & plebeij Cornelij fuerunt) subiungenda mentio est; quæ sanxit, ne quis in pecuniam luderet, sponsionemq; eius rei ergo faceret, nisi si certaretur disco, pilove iaciendo, currendo, saliendo, ludendo, pugnando: quæ virtutis causa fiebant. Hanc legem vtrum reip. an imperatorum temporibus latam existimem, compertum non habeo, mentionem video fieri apud iurisconsultos. Nec omittendum illud, quod pertinere videtur ad ludos; histrionum licentiam repressam esse lege, qua de re, is, qui libros rethoricorum scripsit ad Herennium, atque etiam Suetonius meminit. Non est, opinor, à legibus de religione lex illa seiungenda; quam vetustam fuisse Liuius asserit, priscis litteris, verbisq; scriptam, vt, qui prætor maximus esset, idibus Sept. clauum pangeret, cuius religionis seruandæ gratia creatum esse dictatorem, idem Liuius ait, L. Manlium Imperiosum, ab eoq; clauum esse fixum dextro lateri ædis Iouis optimi maximi, ea parte, qua Mineruæ templum fuit: & addit, eum clauum, quia raræ primis vrbis temporibus erant litteræ, notam numeri annorum fuisse credi; eoq; Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentum esset: eam autem cæremoniam, cum per aliquot annos fuisset intermissa, ideo esse renouatam, vt pestilentia, sedaretur, quod antea factum, prosperèq; rem successisse, seniores prædicabant. Post res diuinas humanæ sequuntur, & inter humanas primum dignitatis locum obti-

obtinent magistratus, itaque ordo postulat, vt quæ leges de ijs latæ sunt, eas hic exponamus. Prima fuit, vt opinor, hæc, vt de senatu, id est de patritijs familijs, omnes magistratus crearentur: idq; à Romulo institutum, reliqui deinde reges obseruauerunt, hanc autem legem, vix putauerim, comitijs curiatis, vt reliquas, à Romulo esse latas, quippe quæ aduersus plebis voluntatem res esset, eam rem cur ipsius plebis iudicio, potestatiq; committeret? sanxit igitur hoc regio iure, publiciq; tabulis consignauit, & obseruari pro lege voluit, quod perspicuè demonstrat Dionysius lib. 2. cum ait. Romulum de muneribus patriciorum & plebeiorum lege sanxisse, vt patricij sacra curarent, magistratus gererent, ius dicerent; plebeij, quia rudes inopesq; essent, agros colerent, quæstuarijsq; artibus operam darent. Temperamentum illud tamen, quo ciuitatum concordia, id est salus ipsa, custoditur, maximè quæsiuit, nam, ne nimis in ordinem patricium videretur esse propensus, datum aliquid populo voluit, & vt is suis suffragijs magistratus crearet, leges sciscceret, bella decerneret, curiatis comitijs tulit. Duumuiros quoque, qui perduellionem iudicarent, ita creari iussit, vt ad populum prouocatio esset, qua ipsa de lege & infra mentio fiet inter eas, quæ ad crimina capitalia pertinent, nec tamen hic, cum ad Duumuiros, hoc est ad magistratum pertineat, omittendam putauimus. Eiusdem lege creauit populus tribunũ Celerum, qui equitibus præerat, & veluti secundũ locũ vt ait Pomponius iurisconsultus, a regibus obtinebat, quo in numero fuit L. Iunius Brutus, ille reges eijciendi, & inducendæ libertatis auctor.

Creatos etiam, regnante Romulo, quæstores, Vlpianus prodidit à Iunio Gracchano traditum in ijs libris, quos de potestatibus inscripsit, idem tamen hæc subiungit: Sicuti dubium est, an Romulo & Numa regnantibus, quæstor fuerit, ita, Tullo Hostilio rege, quæstores fuisse certum est,

est, & sane crebrior opinio est, Tullum Hostilium primum in remp. quæstores induxisse. Legem aliam præterea in regno Romano de magistratibus non video nominari. Regibus pulsis, prima de magistratibus lex fuit, quam L. Iunius Brutus tulit, vt singulis annis bini consules, regia potestatate crearentur, ijsque primum creandis centuriata comitia ab interrege, vt ait Dionysius, haberentur: quæ tamen à præfecto vrbis esse habita, Liuius tradit, sic enim lib. 1. scripsit, in extremo: Duo consules inde comitijs centuriatis à præfecto vrbis ex commentarijs Ser. Tullij creati sunt, in quo videtur illi esse cum Dionysio controuersia: quæ tamen nulla est, nam & ab interrege, & à præfecto simul vrbis habita sunt ea comitia, quibus primi consules creati sunt, cum ijs præfuerit Sp. Lucretius Tricipitinus, Lucretiæ pater: qui erat idem interrex, idem vrbis præfectus, interrex, quòd eum senatus habendis consularibus comitijs, Bruto referente, creasset, præfectus, quòd ei Tarquinius, ad bellum proficiscens, curam vrbis mandauerat, vtrunque enim scriptum est apud Dionysium, aut igitur à præfecto vrbis Lucretio creati consules sunt, vt ab interrege, non vt ab vrbis præfecto, aut etiam quòd, qui interrex esset, idem & præfectus vrbis vocari posset, vrbis enim curam gerebat interrex, quia tunc, vrbanas res qui curaret, magistratus omnino nullus esset. Post hanc legem duæ sequuntur proximæ, a P. Valerio consule, Bruti collega, latæ, quibus plebis potestas aucta, senatus & magistratuum imminuta est, primum, vt magistratum nemo caperet, nisi qui a populo imperium accepisset: si quis aliter fecisset, capitali pœna puniretur, qui eum occidisset, ei impune esset: deinde, vt aduersus magistratum prouocatio ad populum esset, neue quis magistratus ciuem Romanum aduersus prouocationem verberare, aut necare vellet, quam legem centuriatis comitijs esse latam, Valerius tradidit lib. 4.

Pro

Pro patricijs ea fuit, quæ vt opinor T. Lartio Flauo II. Q. Cloelio coſ. lata eſt, de dictatore ſine prouocatione creando, & vt de conſularibus legeretur, fuit autem hæc lex ideo pro patricijs, quia, cum creari dictatorem de conſularibus iuberet, ſequebatur, vt de patricijs crearetur, conſules enim tunc, & per annos deinde multos, patricij fuerunt: nec prius de patricijs legi dictator deſijt, quàm creari duo conſules patricij deſierunt, non enim conſul patricius dictatorem quenquam de plebe dixiſſet, itaque qui primus de plebe dictator fuit, C. Martius Rutilus, is à M. Popillio Lænate conſule plebeio dictus eſt: cum ita caſus tuliſſet, vt aduerſus Etruſci belli terrorem dictator dicendus eſſet, nec niſi à conſule plebeio dici poſſet: quia conſul alter patricius M. Fabius Ambuſtus bello retineretur, ita communicata plebei dictatura, anno ab vrbe condita CCCIC. idq; contra veterem conſuetudinem, non tamen contra legem factum eſt, non enim lex dictatorem de plebe fieri vetuerat, ſed de conſularibus iuſſerat, at C. Martius conſularis, ſatisfecit igitur legi Popillius, cum conſularem hominem dictatorem dixit, patricijs non ſatisfecit, quia conſularem de plebe dixit; cum omnes antea de patricijs dicere conſueuiſſent. Eadem fortaſſe lege ſancitum eſt, (legem certe, quæ hoc ſanxerit, nominat Plutarchus in Fabio) ne dictator equo poſſet vti, idq; vel ob eam cauſam, quòd cum plus ineſſe roboris in pedeſtribus copijs putaretur, propterea in legione permanere, nec locum deſerere deberet imperator, vel quòd, cum ad alia omnia dictatoris eſſet ſingularis poteſtas, in hoc vno voluerunt eum populo inferiorem videri, ſenatus tamen petenti Fabio Maximo Verrucoſo contra veterem legem conceſſit, vt equo vehi poſſet: datumq; id hominis virtuti, ac tempori, cum, cæſis ad Cannas Romanis, in vno Fabio, dictatore creato, melioris fortunæ ſpes repoſita videretur. Illa pro plebe aduerſus patricios fuit, quæ in Sacro

monte lata est, & Sacratæ nomen accepit, vt plebi sui magistratus essent, ijq; sacrosancti, quibus auxilij latio aduersus consules esset, ne ve cui patrum capere eum magistratum liceret, qua lege tribuni pl. quinque primi creati sunt: nec tamen, vtrum vna tantum lex, an plures in Sacro monte latæ sint, satis constat. Liuius, & Dionysius, vbi rem ipsam narrat, vnam nominant, sed Liuius alibi non semel, Sacratæ leges, dixit. Cicero quoque de prouincijs consularibus, Si patricius, inquit tribunus pl. fuerit, contra leges Sacratas esse, & pro domo sua: Vetant leges Sacratæ priuatis hominibus leges irrogari, & in ea, quæ integra non extat, pro C. Cornelio. Tanta in illis virtus fuit, vt anno post reges exactos XVI. propter nimiam dominationem potentium, secederent, leges Sacratas ipsi sibi constituerent, quibus locis non de vna lege, sed de pluribus accipiendum videtur, quòd si vnam omnino legem velimus fuisse, & recte tamen dictum vtroque numero, defendere, rationem afferemus hanc, vnam legem dici, quia re vera vna sit; plures, quia pluribus partibus, eodem tamen spectantibus, constet: quo modo XII. tab. & legem, & leges appellari videmus. Sequitur lex à Publilio, & Lætorio tribunis pl. lata, vt plebeij magistratus tributis comitijs fierent, qui curiatis antea fieri solebant. Tum illa lex, qua, vt X. tribuni pl. crearentur, bini è singulis classibus, anno à primis tribunis pl. 36. cautum est. Alia lex fuit, qua Dionysio teste, cauebatur, ne quis, tribuno apud populum concionante, aliquid contra diceret, vel dicentem interpellaret; si quis fecisset, vades tribunis daret, pœnamq; à tribunis impositam solueret; qui vades non dedisset, morte puniretur; bona eius sacra essent, de pœnis autem ipsis populus iudicaret. Et quoniam Atinij plebisciti, quod ad tribunatum pl. pertinuit, mentionem à Gellio fieri video; quænam eius fuerit sententia, quærendum videtur. Ego sic existimo; tribunos

pl.

pl. ante Atinium plebiscitum partim senatores fuisse, alios non fuisse: quod scilicet liberum esset populo R. tribunatum pl. mandare cui vellet. Atinius, quo modo quidem mihi videtur, nec ademit hanc libertatem plebi Romanæ, & auxit potestatis tribuniciæ dignitatem, tulit enim, non ne quis, nisi iam senator, tribunus fieri posset, (plebis enim libertatem huiusmodi rogatione minuisset; neque id plebs vllo modo sciuisset) verum, vt quem tribunum pl. creasset, is hoc ipso in posterum senator esset, atque hanc esse Gellij verborum sententiam crediderim, cum ait libro 14. tribunis pl. senatus habendi ius fuisse, quamquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum, hoc etiam è quodam Suetonij loco suspicamur, nam in Augusto, Comitijs, inquit, tribunicijs, si candidati senatores deessent, ex equitibus R. creauit, ex quo sequitur, non licuisse antea equitibus R. tribunatum petere, multo igitur minus tertio ordini, ijs qui de plebe dicebantur, qui nec equites, nec senatores erant, quin primis temporibus, tantum abest, vt ex senatu tribuni pl. crearentur, vt ob eam ipsam causam instituti sint, ne senatus aduersus plebem crudelius, aut arrogantius ageret: ideoq; ex ipsa plebe per annos multos creati sunt, postea cœpere equites quoque Romani, ac senatores tribunatum pl. petere. Nec multo post X. viri, sine prouocatione creati, XII. tab. leges condidere, comitijsq; centuriatis pertulere, quibus in legibus cum alia multa prudenter ad temperandam ciuitatem, tum de magistratibus multa sancita esse, credibile est.

X. Virorum imperio finito, cum tribuni pl. creati essent quos X. viri simul cum prouocatione sustulerant, quæ firmissima plebi auxilia, & tanquam duæ tuendæ libertatis arces fuerant, tribunatu inito, sine vlla mora M. Duilius de consulibus cum prouocatione creandis rogationem pertulit; quam ipsam multo ante P. Valerius cōsul. vt diximus

tulerat, sed intermissam, & quasi sublatam X. virorum magistratu, Duilius renouauit, auctam opinor, aliqua re, & grauiori iure confirmatam: sicuti & aliæ leges multæ diuersis temporibus plures latores habuere, cum vetus lex noua lege vel corrigeretur, vel vt tempus, moresq; ferebant, alijs cautionibus adiectis, augeretur, hinc de communi omnium Quiritium iure leges, primum Valeria & Horatia, deinde Publilia, postremo Hortensia, prima duorum consulum, reliquæ duæ dictatorum: hinc sumptuariæ, vel vt Cato censorius appellabat, cibariæ, Orchia Fannia, Didia, Licinia, Aemilia, Antia: hinc de ambitu Petilia, Cornelia & Bæbia, Calpurnia, Tullia, Iulia, quæ non ideo alia post aliam latæ sunt, vt priorem legem posterior abrogaret, sed, vt dixi, vel vt corigeretur aliquid, vel vt nouum ius vtile ciuitati ascisceretur, vel vt moribus ad deteriora quotidie magis inclinãtibus, pœna grauior irrogaretur, quod lib. 2. de officijs Cicero significat his verbis. Nondum centum, & decem anni sunt, cum de pecunijs repetundis à L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset at vero postea tot leges, & proximæ quæque duriores, causam porro iuris eadem de reconstituendi hanc video fuisse, vt antiquæ legi, iam vetustate senescenti, noua subueniret, quod in lege Licinia de sumptibus, quæ fere idem, quod Fannia, sanxit, quæsitum esse in Macrobio legimus, Sat. lib. 3. atque hoc ipsum de XII. tab. euenisse, idem tradit, quarum vbi contemni cœpit antiquitas; eadem illa, quæ illis legibus cauebantur, in alia latorum nomina transierunt. Retulit igitur Duilius, quod ante latum erat, & quod Duilius retulit, id eodem anno lege lata L. Valerius & M. Horatius cos. non confirmarunt modo sed auxerunt etiam nouo iure adscripto, cum ille de prouocatione à consulibus tantùm, hi de prouocatione ab omni magistratu, quicunque crearetur, lege sanxerint. Qui & aliam legem, qua veterem illam Sacratam confir-

ma-

marunt, tulerunt, vt sacrosancta essent tribunorum pl. corpora, cuius rei prope iam extincta memoria erat, religione etiam ad legem adiecta, cæremonijs quibusdam ex magno interuallo relatis, eademq; lege cautum est, vt qui ædilibus, iudicibus, X. viris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset. Sed horum consulum prima lex ea fuit, quæ tribunorum pl. potestatem quammaxime auxit, quam tulere centuriatis comitijs, vt quod tribuni pl. iussissent, populum teneret: quod ante veluti in controuerso iure fuisse, & Liuius ait, & Dionysius confirmat, cur autem controuersum fuerit, Liuius non exponit, sed Dionysius subobscurè significat, quia, cum lege centuriatis comitijs lata populus omnis teneretur, tributis vero comitijs latam plebeij tantùm seruarent, plebs eandem esse conditionem in vtrisque legibus volebat, vt quemadmodum centuriatis comitijs, vbi plus patricij possent, latas leges plebeij obseruauerant, item eo iure, quod tributis comitijs sancitum esset, in quibus plebeij patricijs suffragio præstabant, patricij tenerentur. Eodem anno idem Duilius plebem rogauit, plebesq; sciuit, qui plebem sine tribunis pl. reliquissent, quiq; magistratum sine prouocatione creassent, tergo ac capite punirentur: qualem & consules Valerius & Horatius tulerant. Anno proximo L. Trebonius tribunus pl. rogationem tulit, vt qui plebem Romanam tribunus pl. rogaret, is vsque eò rogaret, dum X. tribunos pl. faceret, nam Duilia lex de tribunis nusquam numerum præfinierat: tantum, vt relinquerentur, sanciebat, & ab ijs, qui creati essent, cooptari collegas iubebat, sustulit igitur Trebonia lex cooptationem, nam cum iusserit, ab eo, qui comitia tribunis creandis haberet, omnes plane tribunosq; qui X. omnino erant, creari; nimirum partem tribunorum creari, reliquos autem ab ijs, qui creati essent, cooptari vetuit, quod cum M. Duilius tribunus pl. fecisset; rectèq; factum neque contra legem ab ipso latam

tam commissum, defenderet: anno insequenti Trebonius tribunus pl. ne in posterum fieret, lege cauit, nec aliam legem intelligit Liuius lib. 4. cum ait: Ante omnia refellit falsum imaginis titulum, paucis ante annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret, hæc enim verba nihil aliud significant, nisi id, quod idem lib. 3. scripsit, vt qui plebem Romanam tribunos pl. rogaret, is vsque eo rogaret, dum X. tribunos pl. faceret. Secuta lex est de tribunis mil. consulari potestate promiscue ex patribus ac plebe creandis: qui tame per annos IIII. & XL. patricij omnes creati sunt. Huic proxima successit de censoribus quinquenni imperio è gente patricia creandis, Geganio Macrino II. Quinctio Capitolio V. cos. quã ipsã legem sexennio post Mam. Æmilius dictator correxit, lege lata ne plus quã annua ac semestris censura esset, grauis enim omnis diuturna potestas in libera ciuitate. Biennio post lata lex est à tribuno pl. tollendæ ambitionis causa, ne cui album vestimentum addere petitionis causa liceret, cuius deinde vim auctoritatemq; fuisse nullam, innumera de candidatis exempla declarant. Legem etiam nominat in Coriolani vita Plutarchus, Marcio Censorino suadente latam, ne cui bis eundem magistratum petere liceret, quam postea constat esse abrogatam: cum multi iterum, ac sæpius consules fuerint. De duplicando quæstorum numero lata lex est, vt, præter duos vrbanos, quorum fuisse originem antiquissimam iam ostendimus, duo, qui consulibus ad ministeria belli præsto essent, crearentur, ijq; promiscue de plebe ac patribus, libero populi suffragio. Plebis autem opes maxime omnium auxerunt L. Sextius, & C. Licinius Stolo; qui tribuni pl. duas leges tulerunt, vnam, vt X. viri sacrorum ex dimidia parte de plebe crearentur; alteram, vt alter vtique consul plebeius esset, quam Liuius Liciniam, non Sextiam, vocat, opinor ob eam causam, quòd Licinius tulerit, subscripserit Sextius. Leges deinde aliæ de consulatu latæ sunt,

omnes

omnes è rep. quæ tamen haud omnino sunt obseruatæ, quid enim vtilius reip. quàm ne quis iterum consul fieret? quod quidem omnium ciuium iura exæquare videbatur, & male cogitantibus viam obstruebat ad potentiam singularem, hoc igitur lege sancitum est: item illud, ne quis ante XLII. ætatis annum consulatum petere posset, temeritas enim florentis ætatis, prudentia maxime senectutis, aut eius ætatis, quæ ad senectutem accedit. Absentes etiam à consulatu lege summoti sunt, æquum enim fuit adesse, & populo supplicari in eo magistratu, quem populus ipse mādabat. Duas tulit L. Sylla, vtranque præclaram, vnam, ne quis intra X. annos consul iterum fieret; alteram, ne ædilitas, & prætura omitteretur, quæ valuerunt ambæ ad extrema reip. tempora, eam quidem de magistratibus curulibus non omittendis Cicero significat oratione XI. in Antonium: Xopiscus, inquit, ex ædilitate consulatum petit, soluatur legibus. Sed, quo anno lex Licinia de altero consule plebeio rogata est, eodem M. Furius Camillus è S. C. tulit, vt ædiles ex patribus duo crearentur, qui curuli sella, vt consul, censor, & dictator, sederent. Ab eodem latum existimo, vt prætor vnus, qui ius in vrbe diceret, quod ante consulum munus fuerat, patricius crearetur, quæ lex neque à quo magistratu, neque quibus comitijs lata sit, Liuius explicat, ego tamen, cum patricij prætorem postulassent, ijsq; vt de gente patricia crearetur, à tribunis pl. concessum esset; non dubito, quin legem, qua patricijs honor accederet, patricius magistratus tulerit, quod si ita est; latam à dictatore Camillo, qui controuersias inter patres plebemq; sedauit, facile crediderim; præsertim cum & legem de curulibus ædilibus è gente patricia creandis ab eodem dictatore eodem anno esse latam, Liuius narret, comitijs autem vtranque legem non ijsdem latam puto, sed tributis de ædilibus curulibus, quia minor esset magistratus, centuriatis autem de prætore, qui maiores inter magistra-

gistratus fuit, cum enim minores magistratus tributis comitijs, maiores centuriatis crearentur; leges quoque, quibus creati sunt, ijsdem comitijs latas esse, rationi consentaneum est, non enim, quia lex de ædilibus & è S. C. & à dictatore, ideſt à summo magistratu, lata sit, propterea comitijs centuriatis latam esse dicendum est: cum, & alias leges tum è S. C. tum à maiore magistratu tributis tamen comitijs latas esse, constet, vt quam Piso consul de incestu P. Clodij è S. C. rogauit: quam in foro latam esse, vbi non centuriata, sed tributa comitia habebantur, patet ex epistola, Vereor, lib. 1. ad Atticum. Illud additum videtur aut tunc, aut postea, in lege de prætore vrb. ne plus quàm X. dies ab vrbe abesset, hanc ego facio coniecturam ex ijs verbis in Philippica II. Cur. M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab vrbe plus, quàm X. dies abfuisset? erat enim prætor vrb. eo anno M. Brutus. Quod autem hic magistratus, consulibus absentibus, consulare munus in vrbe sustinebat; factum id non lege, sed more maiorum: qui tamen fere pro lege solebat esse, itaque Vlpianus, Diuturna, inquit, consuetudo pro iure, & lege in ijs, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet, eiusq; rei causam egregiè tradidit Iulianus: qui, cum hæc scripsisset; Quibus de causis scriptis legibus non vtimur, id custoditi oportet, quod moribus & consuetudine introductum est; subiunxit: Nam, cum ipsæ leges nulla ex alia causa nos teneant, quàm quòd iudicio populi receptæ sunt; merito & ea, quæ sine vllo scripto populus probauit, tenebunt omnes, quid enim interest, suffragio populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis, & factis, quare rectissime etiam illud receptum est, vt leges non solo suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. Anno proximo, cum, pro vno consule plebeio tres patricios prætextatos esse, vnum prætorem, & duos ædiles, tribuni pl. in concione quererentur;

con-

concordiæ causa concessum primo est, vt ædiles cur, alternis annis ex plebe fierent, postea promiscuum fuit, libero in omnibus ædilium cur, comitijs populi suffragio.

Cautum etiam plebiscitis nonnulli scripsere, ne quis eundem magistratum intra X. annos caperet; neu duos magistratus vno anno gereret; vtiq; liceret consules ambos plebeios creari, sed, legem de magistratuum interuallo neque in consulibus, neque in prætoribus seruatam inuenio; credo, quia, quod populus postremum comitijs iuberet, id ius ratumq; esse in XII. tab. sancitum erat, iussum autem populi & suffragia esse interpretabantur, qua ratione & duos consules patritios contra legem Liciniam creatos, Liuius lib. 7. scriptum reliquit. Graue etiam eo anno patritij damnum accepere, quo Q. Publilius Philo dictator legem nouam tulit, vt alter vtique ex plebe censor crearetur; veterem confirmauit, vt plebiscita omnes Quirites tenerent. Nullus iam erat magistratus præter præturam, in quo patribus plebs inuidere posset, promiscua erat curulis ædilitas: communis consulatus, atque adeo plebis potius, quàm patrum; cum duos consules patricios fieri lege non liceret, duos autem plebeios nulla lex vetaret: ad dictaturam, ad censuram æque plebeis hominibus, & patricijs aditus patebat: de prætura, quæ patricijs tantùm hominibus deferebatur, nulla tamen adhuc querela, nulla plebis vox exaudiebatur: credo ob eam causam, quia, cum vnus prætor crearetur, cum ipsum locum appetere, impudentiæ videretur, itaque, cum auctus deinde prætorum numerus est, tum, ne cuius magistratus particeps plebs non esset, prætura plebeis etiam hominibus impertita. Eodem anno M. Valerius consul de prouocatione legem tulit, diligentius sanctam, eamq; tertio tum post Regis exactos latam esse, semper à Valeria familia, lib. 10. scribit Liuius, causam autem sæpius renouandæ haud aliam putat fuisse, quam quòd plus paucorum opes cum possent, quàm liber-

tas plebis, prouocationis auxilio aduersus magistratuum iniurias haud fere quisquam vtebatur, quod autem eam legem ait tertio tum ab eadem familia esse latam; neque præterea latores ipsos nominat; significat, primum eam, quam P. Valerius Poplicola consul, anno post reges exactos, de prouocatione aduersus magistratus ad populum primus tulit; de qua lib. 2. mentionem fecit; deinde eam, quam consul L. Valerius tulit, ne quis vllum magistratum sine prouocatione crearet: de qua idem Liuius lib. 3. scriptum reliquit, in tertia ita sanctum: eum, qui prouocasset, virgis cædi securiq; necari non licere: si quis aduersus ea fecisset, eum improbe fecisse, pœnam autem in eum, qui contra fecisset, Valerius in sua lege nullam nominauit: &, quæ tum probitas erat, pœnam in ipso improbitatis nomine satis grauem duxit. At multis post annis, cum audacia magis emineret, neque satis à facinore deterreret infamia; graui pœna, si quis verberasset, necassetue ciuem Romanum, M. Porcius Cato sanxit, has leges, de prouocatione à tribus consulibus Valeriæ gentis latas, ad populi libertatem potestatemq; pertinuisse, manifestum est: easq; significat Cicero Academicorum II. cum ait: Commemorant reliquos, qui leges populares de prouocationibus tulerint, cum consules essent, tres enim consules Valerios intelligit. Postea secuta est illa, quam M. Fuluio Pæto, T. Manlio Torquato cos. M. Curius Dentatus tribunus pl. tulit, vt ante comitia patres auctores fierent, hoc est, vt probare se diceret eos magistratus, quos populus creasset, quam legem, Cicero in libro de claris oratoribus, Ap. Claudio Cæco interrege comitia habente, Liuius autem, P. Sulpicio, latam esse tradunt, de quo tantùm illud dicam; ab eo, qui primus interrex esset proditus, comitia non haberi solita esse, quare, si duo interreges prodi ti sunt, à posteriore habita esse comitia necesse est, priorem esse proditum Appium Liuius asserit, Cicero Sulpicium videtur existimasse,

se, itaque ille Sulpicium, hic Appium comitia habuisse dicit. Lex autem Menia, quæ ipsa quoque de magistratibus fuit, quam in Bruto simul cum lege Curia Cicero nominat, quo anno lata sit, quidque planè sanxerit, adhuc quæro. De communi omnium ciuium Romanorum iure, vt, quod à plebe scitum esset, eo Quirites omnes tenerentur, legem tulit Q. Hortensius dictator, bis antea latam, à Valerio Potito, Horatio Barbato cos. & à Publilio dictatore. Illa fuit pro dignitate magistratuum præclara lex, quæ, si cuius pater in hostium potestate esset, ab eo magistratum capi vetuit, videlicet hoc iudicarunt sapientissimi viri, hominis non liberi filium remp. administrare, nimis indecorum esse, itaque Liuius lib. 27. Seruilium, inquit, negabant, iure aut tribunum pl. fuisse, aut ædilem esse, quòd patrem eius, quem III. virum agrarium occisum à Boijs circa Mutinam esse, opinio per X. annos fuerat, viuere, atque in hostium potestate esse, satis constabat, & lib. 30. de eodem: Latum ad populum est, ne Cn. Seruilio fraudi esset, quòd patre, qui curuli sella sedisset, viuo cum id ignoraret, tribunus pl. atque ædilis pl. fuisset, contra quàm legibus sancitum erat. Legem etiam fuisse, qua is, qui comitijs præesset, sui rationem in petendo magistratu habere vetaretur, Liuius lib. X. significat. Tulit & L. Villius tribunus pl. rogationem, quot annos nati quique magistratum peterent, caperentq; vnde & ipsi, & posteris cognomen inditum, vt Annales Villij dicerentur. Et quoniam, quis plane cuique magistratui petendo legitimus annus esset, nominatim hac lege expressum non inuenio; quid ipse legendo obseruauerim, breuiter subijciam, Omitto quæsturam, tribunatum pl. ædilitatem pl. quia curules tantùm magistratus in lege Villia nominatos existimo, nam si quæsturæ certum annum Villius sua lege statuisset, vnde postea tam incerta ratio? gesserunt enim quæsturam duo Gracchi, Tiberius,

& Caius, anno ætatis XXVII. M. Cicero anno XXXI. C. Cæsar XXXIII. M. Cato Vticensis XXIX. quòd si quis dixerit, liberam fuisse, quo quis anno vellet, quæsturæ petitionem, modo peteretur post annum XXVI, qui esset ad petendum legitimus, ideo mirum videri non debere, si Cicero, Cæsar, & Cato, non eodem omnes anno, petierint; quandoquidem satis duxerint leges obseruare, quæ petendæ quæsturæ annum definiebant XXVI. gerendæ XXVII: hoc si quis obiecerit, ad coniecturam, idest ad rationem ipsam, confugiam. Quid enim? simile ne veri est, C. Cæsarem (omitto Ciceronem: cui tamen, cum homo nouus esset, laborandum maxime fuit de dignitate, nec quæ prima daretur, occasio negligenda) sed C. Cæsarem, quo nemo magis honores appetiuit, nemo potestatis & imperij fuit auidior, eum ne verisimile est petitionem quæsturæ ab anno XXVI. si is legitimus esset, in annum XXXII. distulisse? verum habeo, quo nitar, aliud paulo firmius argumentum, video enim, Pompeium Magnum, cum annum ageret XXXV. consulatum gessisse, solutum videlicet legibus, meritorum ingentium in remp. eximiæq; virtutis ergo, at eo anno magistratum nullum per leges capere licuisse, Cicero demonstrat, quo modo igitur & Cicero ipse, & Cæsar, & Cato quæsturam ante annum 35. ceperunt? num obscurum est, leges loqui de curulibus tantùm honoribus, ædilitate, prætura, consulatu; quæsturæ autem, ædilitatis pl. tribunatus pl. rationem habuisse nullam? sed recitentur verba Ciceronis. Quid, inquit in oratione pro lege Manilia, tam singulare, quàm vt, ex S.C. legibus solutus, consul ante fieret, quam vllum alium magistratum per leges capere licuisset? dicit, Vllum alium magistratum, quod si de quæstura leges locutæ sunt, falsum est: cum, vt ostendi, quæsturam multi gesserint ante annum 35. quo anno gestum esse primum à Pompeio consulatum, quem Cicero significat, tum ex Appiano constat

stat, tum ex Velleij historia, in qua scriptum est, perijsse Pompeium Cæsare & Seruilio cos. anno ætatis suæ LVIII. à quo anno si retrorsum numeres; cadet primus eius consulatus in annum eius ætatis 35. vt tamen ita supputes; non simul cum anno ætatis Pompeij finijsse consulatum, sed cum ille iam annum esset ingressus 36. ita cum fastis Capitolinis, & cum Appiano Velleij congruet historia, nam, quod ait Plutarchus anno LIX. interijsse Pompeium, id quoque potest esse verum, hoc modo, vt primum eius ætatis annum capiamus C. Atilio Q. Seruilio cos. quo anno Pompeium esse natum, Velleius affirmat, tametsi, cum ait ipse Pompeium perijsse anno LVIII. non incipit numerare ab eo anno, sed à proximo sequenti; quòd scilicet non ita multo ante exitum consulatus Atilij & Seruilij natus esset Pompeius, & exiguum illud spatium in annorum numero videretur omittendum Constat igitur, legem Villiam nihil de ijs honoribus sanxisse, qui caperentur ante eum annum, quo Pompeius primum consul fuit, siue eum velis esse 35. siue malis 36. nam ædilitatis curulis annus erat 37. cuius rei argumentum est, quòd eam petijt Scipio Aemilianus 36. & solutus legibus, consul factus est. Annum porro fuisse eius ætatis 36. Velleius demonstrat his verbis. Decessit M. Aquillio C. Sempronio cos. anno ferme LVI. de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum eius, in quem creatus est anno 36. ita dubitare desinet, vt omittam, quòd cum ædilitas præturam biennio antecedat, & prætura item biennio consulatum, consulatus autem geratur anno XLIII. quod paulo post ostendemus, necesse est, vt gerendæ ædilitati legitimus annus sit 37. Nunc agamus, quando satis de ædilitate dictum est de anno præturæ, at hoc, si de ædilitate conceditur, in dubium vocari non potest, geritur enim ædilitas anno 37. sequitur post biennium prætura, quod indicant & multorum exempla, & illa maxime verba Ciceronis in epistola

ad

ad Furnium: Si ædilis fuisses, post biennium tuus annus esset, ergo geritur prætura anno XL. Nec de consulatu difficilis probatio est, percurrantur fasti: neminem inuenies, nisi prætura biennio saltem ante gesta, consulem fuisse, est igitur annus consulatus XLIII. accedit Ciceronis testimonium in oratione V. in Antonium: in qua sunt hæc: Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, non ne tertio & trigesimo anno mortem obijt? quæ est ætas nostris legibus X. annis minor, quàm consularis. Hanc, opinor, legem Dio significauit, cum ait lib. 39. Consules in senatu sententiam dixerunt, vt ei prætura daretur; licet nondum per leges liceret, quò spectauit & Plutarchus, cum dixit: Decreuit senatus, vt Catoni prætura extra ordinem daretur, & Valerius lib III. cum inquit: Cato Cypriacam pecuniam maximam cum diligentia, & sanctitate in vrbem deportauerat, cuius ministerij gratia senatus relationem interponi iubebat, vt prætorijs comitijs extra ordinem ratio eius haberetur, sed ipse id fieri passus non est, iniquum esse affirmans, quod nulli alij tribueretur sibi decerni, quanquam est quiddam, hac in re cur magnopere dubitem, nam cum eo sit anno decretum, quo Marcellinus, & Philippus consulatum gesserunt, certe per ætatem potuit Cato petere prætoram, tribunus enim pl. ante annos quinque Silano & Murena cos. fuerat, prætura vero quadriennio tantum à tribunatu distat, eoq; magis liquet, potuisse Catonem Marcellino & Philippo cos. petere prætoram, quòd anno sequenti, Pompeio & Crasso cos. petijt, non vt designaretur, sed vt creatus magistratum statim iniret, quòd anno proximo superiore habita comitia nulla fuerant: ideoq; consules Pompeius & Crassus ex interregno facti sunt, qui deinde prætores crearunt, quòd igitur ob domesticas discordias Marcellino & Philippo cos. producta in annum sequentem comitia sunt; propterea Cato non petijt eo

anno

anno, petijt autem sequenti, consulibus, vt dixi, Pompeio & Crasso creatis, quare, etiam si Plutarchus dixerit, licet nondum per leges liceret: videndum tamen est, an senatus potius decreuerit, vt omnino Cato prætor crearetur, neque à populi suffragijs penderet, quorum dubius esset euentus, quam sententiam illa quoque videntur confirmare Valerij verba; Campestrem experiri temeritatem quàm curiæ beneficio vti, satius esse duxit. Fuit & lex, vt duo prætores crearentur; mox alia, vt tres; deinde Bæbia, vt quatuor: & quia leges ad temporum rationem accomodantur; propterea, simul cum vrbis opibus, & ciuium frequentia, prætorum quoque numerus ita deinde auctus est, vt quo anno C. Cæsar cum M. Antonio consul fuit, XVI. prætores Romæ esse cœperint, cum ante Syllæ dictaturam VI. vt ait Velleius, post VIII. deinde X. fuissent, quos deinde ab Augusto rursus X. esse factos, apud Dionem in historia scriptum est, Legimus etiam apud Censorinum de prætore vrb. plebiscitum à Pletorio tribuno pl. latum, his verbis: Prætor vrb. qui nunc est, quiq; posthac fuerit, duos lictores apud se habeto, isq; supremam ad solis occasum ius inter ciues dicito.

Referam in hunc numerum & eam legem, quam ad imminuendam tribuniciam potestatem, dictator Sylla tulit, primum, ne tribunis pl. alios magistratus capere liceret; deinde, ne ad eos prouocatio esset; tum ne leges ferre possent; postremo, ne ijs concionari liceret, hanc Sylla iratus plebi tulit, quia pro Marianis partibus contra ipsum steterat, sed eo mortuo, C. Aurelius Cotta consul primum legis caput abrogauit, tulit enim, vt alios magistratus tribunis pl. capere liceret, alterum caput abrogauit Pompeius Magnus in primo consulatu, lege lata, vt ad tribunos pl. esset prouocatio, omniaq; omnino, quæ tribunis pl. ademerat Sylla, illis esse restituta, exemplis intelligitur, ius autem intercedendi lege nunquam

ami-

amiserunt: quod illis initio belli ciuilis iniquè ereptum, queritur Cæsar his verbis lib. I. de bello ciuili: Aguntur omnia raptim, atque turbatè: neque docendi Cæsaris propinquis eius spatium datur: nec tribunis pl. sui periculi deprecandi, neque etiam extremi iuris intercessionem retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur; sed de sua salute septimo die cogitare coguntur, quod illi turbulentissimi superioris temporis tribuni pl. octauo denique mense suarum actionum respicere, ac timere consuecuerant, & in eodem libro, paulo post: Nouum in rep. introductum exemplum queritur, vt tribunicia intercessio armis notaretur, atque opprimeretur, quæ superioribus annis armis esset restituta; Syllam, nudata omnibus rebus tribunitia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse; Pompeium, qui amissam restituere videatur, bona etiam, quæ ante habuerat, ademisse. Vetuit etiam lex tribunos pl. integrum diem ab vrbe abesse: de qua, vt opinor, significant illa verba Gellij lib. 3. cap. 2. Tribuni pl. quos nullam diem abesse Roma licet, cum post mediam noctem proficiscuntur, & post primam facem ante mediam sequentem reuertuntur, non dicuntur abfuisse vnum diem; quando, ante horam noctis sextam regressi, partem aliquam illius in vrbe sunt. Nam, quod in Liuio lib. 9. legitur, duos tribunos pl. L. Liuium, & Q. Melium, cum de ijs, qui pacem Caudinam fecerant, dedendis in senatu ageretur, ita locutos; Neque exolui religione populum deditione sua, nisi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuissent, restituerentur; neque se pro eo, quòd, spondendo pacem, seruasset exercitum populi Romani, pœnam vllam meritos esse; neque ad extremum, cum sacrosancti essent, dedi hostibus, violariue posse: tribunos quidem plebis esse, cum hæc dicerent, Liuium, & Melium, constat; non tamen simul illud, eosdem fuisse tribunos pl. cum pacem ad Caudium spoponderunt,

derunt, non enim hoc anno, quo de sponsoribus pacis populo Samnitum dedendis actum est, sed proximo superiore pax illa per sponsionem facta fuerat; in qua non affuisse tribunos pl. indicant hæc, quæ subscribam, eiusdem Liuij verba. Spoponderunt consules, præfecti, legati, quæstores, tribuni mil. nominaq; omnium, qui spoponderunt, extant, itemq; illa, haud ita multo post, in eodem libro. Samnitibus non fuit satis, consules spondere; sed legatos, quæstores, tribunos mil. spondere coegerunt, tribunos pl. non nominat, ergo nulli affuerunt. Liuius autem, & Melius eo tempore tribuni mil. vt opinor, in castris fuerant, vnus, quod meminerim, aut etiam, quod omnino legerim, Q. Metellus Nepos, cum tribunatum pl. gereret, contra leges in Syriam ad Cn. Pompeium sua sponte, nulla vi cogente, profectus est, quo facto subijt ignominiam, nulla tamen affectus est insigni pœna, consul etiam aliquot post annis cum Lentulo Spinthere creatus est; siue quòd hominis vitia familiæ dignitas tegeret; siue quòd eum non tam ipsius facta deprimerent, quàm Pompeij, & aliorum, qui plurimum in rep. poterant, amicitia subleuaret. Redeo ad institutum. De iure magistratuum, ne quis peteret absens, legem tulit Pompeius Magnus in tertio consulatu: in qua cum neminem excepisset, mox soceri sui C. Cæsaris recordatus, lege iam in æs incisa, & in ærarium condita, correxit errorem, vno Cæsare excepto. Tulit aduersus censoriam potestatem P. Clodius in tribunatu, ne quem censores in senatu legendo præterirent, ne ve qua ignominia afficerent, nisi qui vtriusque censoris sententia damnatus esset, qua de lege sic in Pisonem Cicero: Ab eodem homine vetus illa magistra pudoris, & modestiæ, censoria seueritas sublata est. Tullia fuit de legationibus liberis, lata à M. Cicerone consule, ne, sicut antea, infinitum, sed annuum tempus earum esset. Alias quoque de magistratibus, atque huiusmodi de genere non dubito fuis-

se, præsertim tribunicias, vt potestas patriciorum magistratuum minueretur, semper enim tribuni pl. id egerunt, vt iura magistratuum, ac senatus ad vniuersum populum omnia transferrent, quare longum esset omnes enumerare: neque tamen de omnibus mentio reperitur, insignes autem præter cæteras hæ sunt, quas nominauimus. De comitijs omnes fere populares leges fuerunt. Tulit cum Volerone Publilio Lætorius, id quod iam dictum est, vt tributis comitijs plebeij magistratus fierent, quo primum tempore tributa comitia Romæ esse instituta, facile suspicor, neque enim ante hanc legem vsquam ea video nominari: &, opinor, curiatis comitijs plebeij magistratus, centuriatis patricij creabantur, plebeij autem dicebantur, qui plebis causa, & ex ipsa plebe, patricij vero, qui patriciorum causa, & ex patricijs familijs primum erant instituti, postea plebi quoque ius petendi patricios magistratus concessum est: plebeios magistratus, saluis legibus, patricius nemo petijt, sed legem Voleronis, quam à nonnullis video Voleroniam imperitè vocari, cum leges à prænominibus nominari mos non esset, Publiliam appellauerim: siquidem Publiliæ gentis Volero prænomen fuit.

Tulerunt deinde L. Valerius, & M. Horatius cos. vt, quod tributis comitijs lex sanxisset, eo Quirites omnes æque tenerentur, ac si centuriatis comitijs per lata lex esset, ita centuriatis comitijs tributa sunt æquata, &, quod ait Liuius, tribunicijs rogationibus acerrimum telum hac lege datum est: cum, quidquid tribuni pl. ferrent, id deinde ab omnibus ciuibus seruari necesse esset. Etiam illa Publilij dictatoris contra senatum pro populo fuit, qua cautum est, vt omnium legum, quæ comitijs centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent: ne scilicet roboris haberet minus, si quid populare patribus inuitis latum esset. Item illa C. Cassij tribunicia, vt ordinem senatorium amitteret is, quem populus damnasset,

cuius

tuive imperium abrogaſſet. Quoniam autem poteſtatem ſoluendi legibus ſenatus habebat; C. Cornelius eam poteſtatem lege paululum imminuit: tulit enim, ne quis in ſenatu, niſi CC. ſenatores affuiſſent, legibus ſolueretur; neve quis, cum ſolutus eſſet, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur, quæ duo capita neque omnino è ſenatus, neque è populi voluntate vtraque fuerunt, ſed primum pro populo, alterum pro ſenatu, inuitis tamen optimatibus, vt Pedianus ait, lata lex eſt; qui vel pauci gratificari ſolebant. De iure, & tempore comitiorum lex Aelia & Fuſia contra populum pro ſenatu fuerunt; cum tamen à tribunis pl. latæ ſint: id quod ſignificat Cicero in oratione in Piſonem his verbis: Centum prope annos legem Aeliam & Fuſiam tenueramus, intra centum enim annos ante Piſonis & Gabinij conſulatum non modo conſules eodem anno non fuerunt Aelius, & Fuſius, ſed nemo omnino ex Aelia gente conſulatum geſſit, quare, cum eodem anno lata lex videatur; nimirum, à duobus tribunis pl. latam eſſe, iure putabitur. Quod autem Vlricus Zaſius in eo libro, in quem antiquas leges coniecit, legem Aeliam & Fuſiam tradit poſt interfectos Gracchos, & ante Punicum bellum tertium eſſe latam; aperte loquitur pugnantia, nam ſi poſt interfectos Gracchos; quo modo ante Punicum bellum tertium? cum Ti. Gracchum Scæuola, & Piſone cos. annis poſt euerſam Carthaginem, & Scipionis triumphum, XIII. occiſum eſſe, non ſolum hiſtoriæ, verum & faſti declarent; quos Paulo III. Pontifice, felici quodam litterarum fato, Romæ repertos, multis locis iniuria temporum mutilos, & imperfectos, reſtituit, atque abſoluit magnæ doctrinæ vir, & ingenio præditus eximio, Carolus Sigonius. Accedit teſtimonium Ciceronis: qui contra Vatinium, Leges, inquit, Aelia, & Fuſia in Gracchorum ferocitate vixerunt. Opinor, etiam, contra quam idem Zaſius videtur exiſtimaſſe, non vnam legem,

sed duas, Aeliam & Fusiam fuisse, nam etsi sæpe Cicero ita loquitur, vt dicat legem Aeliam & Fusiam; aliquando tamen eas separat, vt duas leges agnoscere videatur, in oratione pro Sextio, ijsdem, inquit, consulibus sedentibus, atque inspectantibus, lata lex est, vt lex Aelia, lex Fusia ne valeret, & in Vatinium: Num quem ex omnibus tribunis pl. tam audacem audieris fuisse, vt vnquam contra legem Aeliam, aut Fusiam concilium conuocaret? & ibidem, paulo post, aliquanto apertius: Sanctissimas leges, Aeliam, & Fusiam dico, quæ in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluuione Drusi, & in contentione Sulpicij, & in cruore Cinnano, & inter Syllana arma vixerunt, satis ne perspicuè demonstrat, duas leges fuisse, cum & sanctissimas appellat, & verbum subijcit numero multitudinis? præterea in ea de prouincijs consularibus, in extremo, idem declarat, cum ait: Aut vobis statuendum est legem Aeliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam, & post reditum in senatu: Vt lex Aelia, & Fusia ne valerent, quibus ex locis, duas fuisse leges, non obscure patet. Sed videamus, quæ fuerit vtriusque sententia: quod etiam, vt puto, de numero erit argumentum, sententiam vero non aliunde, quàm ex ipso Cicerone, possumus colligere, quare loca ipsa proponemus: vt, non modo quid in ijs sancitum sit, verum etiam, quid inter vtranque differat, intelligatur, ac primum, quod ait in ea pro Sextio: ijsdem consulibus sedentibus, atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet, vt omnibus fastis diebus legem ferri liceret, vt lex Aelia, lex Fusia ne valeret: dicendum est, quatuor illas partes, de auspicijs, de obnunciatione, de intercessione, de fastis diebus, omnes duabus legibus, quæ subijciuntur, Aelia, & Fusia, compræhendi, sed tres priores Aelia, posteriorem autem Fusia: rursus; è tribus prioribus, eiusdem generis, & quasi

naturæ

naturæ duas esse; tertiam separatam, & tanquam alienam, nam auspicia ideo erant, vt esset obnunciatio, cum enim de cœlo seruatum esset, tum ferentibus legem obnunciabatur, itaque auspiciorum quasi partus quidam erat obnunciatio: nec vnquam seruatum est de cœlo, quin obnunciatum sit, siue prospera, siue aduersa signa visa essent; cum prospera confirmarent id, quod cum populo ageretur, aduersa impedirent, propterea sublatam esse à Clodio morem de cœlo seruandi, scripsit Dio lib. 38. cum tamen antea ita diligenter auspicia seruata essent, vt M. Drusi legibus, quia contra auspicia latæ iudicarentur, senatus decreuerit populum non teneri, quod Cicero lib. II. de legibus, & Pedianus in commentario Corneliianæ tradidit, ergo cum hoc auspiciorum genere quasi cognatione quadam cohæret obnunciatio, at intercessio nihil habet commune cum auspicijs, auspicia enim ad religionem referebantur, quòd à cœlo, id est, à deorum numine pendere viderentur, intercessio autem humanæ potestatis erat, & cum à voluntate semper, nulla religionis obseruatione, manabat, tum ab ea voluntate non nunquam, quæ ab omni religione dissentiret, & cum ipsa quasi deorum voluntate pugnaret, præterea, seruare de cœlo, augurum, atque omnium plane magistratuum fuit; quod & supra notauimus; intercedere vero, duntaxat ad tribunos pl. tum veteri Sacratarum legum iure, tum vt ego existimo legis Aeliæ iussu pertinuit, loquor autem de intercessione ad populum, cum lex ferretur, nam in senatu, cum S.C. fieret, non tribunos pl. tantùm, sed omnes, qui eadem potestate, qua ij qui S.C. facerent, maiore vt essent, intercedendi facultatem habuisse, diximus in libro de senatu, atque etiam, quod in eo libro non diximus, forensis, vt ita dicam, erat intercessio, cum prætori de priuata controuersia decernenti prætor intercedebat, cuius generis idoneus locus erit in libro de iudicijs, nunc persequamur

in stit

institutum. Dixi, legis Aeliæ fuisse tria illa membra, de auspicijs, de obnunciatione, de intercessione; quæ Clodius sua lege sustulit: quartum de fastis diebus Fusia lege sancitum, itaque in oratione de prouincijs consularibus, in extremo, paulo distinctius locutus est Cicero, cum caput illud, de fastis diebus separatim a reliquis posuit, reliqua vero tria separatim quidem, & ipsa ab eo capite, sed ipsa tamen inter se coniuncta, vt dubitandum minime sit, quin hæc in vna lege simul fuerit, sicuti simul sunt à Cicerone pronunciata, quòd si in vna lege: ne illud quidem dubitandum de duabus legibus. Aelia scilicet, & Fusia, vtram intelligamus, nam si de tribus coniunctis vnum aliquod in Aelia lege fuisse docuero; Aeliæ legi & reliqua duo tribui debere, concedendum, vt opinor, erit, docebo autem Pediani verbis obnunciationem Aeliæ legis fuisse, nam illud in Pisonem, A P. Clodio, fatali portento prodigioq; reip. lex Aelia, & Fusia euersa est, ipse sic interpretatur; Legem tulit P. Clodius tribunus pl. ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo seruaret, propter quam rogationem, ait, legem Fusiam, & Aeliam propugnacula, & muros tranquilitatis, atque otij, euersam esse, obnunciatio enim, qua pernicioſis legibus resistebatur, quam Aelia lex confirmauerat, erat sublata, miror autem, cur eo loco nihil de sententia Fusiæ legis addiderit. Pedianus cum tamen ipsam legem simul cum Aelia nominarit, non enim tantum tulit Clodius, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo seruaret quod contra lex Aelia iubebat, sed etiam, vt omnibus fastis legem ferri liceret: vt aperte demonstrant illa, quæ sunt à nobis ex oratione pro Sextio recitata, & hæc in ea de prouincijs: Aut statuendum vobis est, legem Aeliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere, cum lex feratur, de cœlo seruari, obnunciari, intercedi licere. Verum, vt fortasse mutilus

Pe-

Pedianus, quia prætermiserit id, quod Fusia lege scitum Clodius abrogauit, non item mendosus in eo quod de lege Aelia posuimus, satis enim plane loquitur, atque ita, vt cur de mendo suspicemur, causam esse nullam videam, quare habemus quod volumus, obnunciationem ad legem Aeliam pertinere, quòd si hoc, ergo & illud, auspicia quoque, à quibus obnunciatio deriuatur, & intercessionem ad eandem legem pertinere, & si hæc tria ad legem Aeliam, vnum illud, quod reliquum est, de fastis diebus, ad Fusiam pertineat, necesse erit. Eandem vtriusque legis sententiam, nisi fallor, attigit in epistola, Quæris, lib. I. ad Atticum, cum ait: Lucro autem tribunus pl. qui magistratum simul cum lege Aelia inijt, solutus est & Aelia, & Fusia, vt legem de ambitu ferret, innibant enim vereres Romani magistratum auspicato: neque omnino quidquã publicè, nec domi, nec militiæ, sine auspicijs gerebatur, quod autem in tribunatu pl. Lurconi mandando factum erat, vt auspicia seruarentur; id vt ipse in lege de ambitu ferenda ne seruaret, neque auspiciorum vllam omnino rationem haberet, decretum est à senatu, neque hoc solum, sed illud simul, vt omnibus fastis legem ferre posset, quod lex Fusia vetabat, ideo enim soluit eum senatus & Aelia lege, & Fusia, vt neque auspiciorum religio, neque dierum ratio impedimento esset, quo minus primo quoque tempore perferri lex de ambitu posset. Has ipsas leges & in oratione pro Sextio lege Clodia significat abrogatas, cum ait: Mitto eam legem, quæ omnia iura religionum, auspiciorum, potestatum, omnes leges, quæ sunt de iure, & de tempore legum rogandarum, vna rogatione sustulit, nam etsi non nominat; legem tamen Aeliam significari certum est, cum ait, Quæ sunt de iure; Fusiam autem, cum subijcit, Et de tempore, ius enim intelligit auspicandi, obnunciandi, intercedendi, quæ sanxerat Aelia lex; tempus autem, quo legem perferri non liceret,

fastos

fastos videlicet dies, de quibus cauerat Fusia lex, nec dubito, quin, cum dixit, Omnia iura religionum auspiciorum, potestatum, ad sententiam potius Aeliæ legis, quàm Fusiæ, spectauerit, nihil enim horum video, quod ad Fusiam referri possit, nam ego quidem in verbo, Potestatum, obnunciationem, & intercessionem significari puto, quæ legis Aeliæ fuisse, iam diximus, & quanquam, Auspiciorum potestatum, dixit, ad interpretationem antecedentis verbi Religionum, quod sæpe facit, & in dictione, Potestatum & obnunciatio, & intercessio simul includuntur: solam tamen obnunciationem ad religionem refero, nam intercessioni cum religione nihil erat; quod paulo ante demonstraui. Verum sic aliquis argumentabitur, si cum dixit, Cicero, Religionum, auspiciorum, potestatum, Aeliam legem tantùm significauit, Fusiæ rationem nullam habuit: cur proxime ipse se exponens intulit, Omnes leges, quæ sunt de iure, & de tempore legum rogandarum? nam si proxima superiora exponit, quod nemo dubitat, proxima vero ad solam Aeliam legem referentur; cur non subiecit, vnam, potius, legem, quàm, omnes leges? Est omnino hæc specie probabilis argumentatio, re vero falsa nam, quid attinet argumentari de sententia Ciceronis, cum ipse semet ipsum patefaciat, atque exponat? videbat maioris esse momenti, legem Aeliam tolli, quàm Fusiam, nam Aelia lex pernicioſarum legum lationem impediebat obnunciatione, & intercessione. Fusia vero, non, vt omnino ferri ne posset lex efficiebat, sed tantum, vt ne fastis diebus posset: comitialibus autem vt posset, non vetabat, itaque, quo plus intereat reip. nunquam ferri malas leges, quàm sero ferri; eo erat vtilior ciuitati Aelia lex quæ malum prohibebat, quã Fusia, quæ tantùm differebat, potius igitur legis Aeliæ sententiam ostendit Cicero, quàm Fusiæ quòd, id in quo grauius peccauerat Clodius, commemorare, plus ad concitandam inuidiam posse intelligebat, nec

tamen

tamen ideo legis Fusiæ sententiam omisit, vt eius abrogationem Clodio condonaret, nam subiecit deinde, vt legem vtranque significaret; Omnes leges, quæ sunt de iure, & de tempore: quorum alterum ad Aeliam, alterum ad Fusiam spectare, iam diximus. Quòd si quis paulo obstinatior repugnat adhuc, nec facile manus dat: cedat saltem ipsi Ciceroni; cuius in consuetudine notanda nisi plurimus fuissem, nunquam hæc, quæ sum aggressus, vlla ex parte præstare mihi licuisset; si modo, vt præstare possim, is, cui accepta omnia refero, concesserit Deus, ipse igitur Cicero cum Vatinio sæpe obijciat, eum contra legem Aeliam & Fusiam feciſſe, tamen in ea pro Sextio, cum de eodem Vatinio loquatur, vnam Aeliam nominat, ait enim sic: Qui ita se in populari ratione iactarat, vt auspicia, legem Aeliam, senatus auctoritatem, consulem, collegas, bonorum iudicium nihil putaret, & in ea post reditum in senatu, cum eiusdem Aeliæ vim & significationem exponat, de Fusia nihil afferat, proxime tamen vtranque nominat: Legem, inquit, tribunus pl. tulit, ne auspicijs obtemperaretur; ne obnunciare consilio, aut comitijs, ne legi intercedere liceret: vt lex Aelia, & Fusia ne valerent, & in Vatinium: Audire à te cupio, quare, cum ego legem de ambitu ex S.C. tulerim, sine vi tulerim, saluis auspicijs tulerim, salua lege Aelia, & Fusia, tu eam esse legem non putes.

Rursus dubitabitur in ea pro Sextio primum, cur eas leges significauit potius, quàm nominauit: deinde, si significandas duxit, cur, cum de duabus tantùm legibus intelligeret, Omnes, dixit: quasi & de iure, & de tempore legum rogandarum plures leges essent, placet in his dubitationibus immorari, nam vt ex lapidum conflictu ignis, sic ex rationibus vtrinque collatis veritas elicitur. Significauit potius, quàm nominauit, non solum, quia nominauerat antea, cum dixit: Iisdem consulibus sedentibus,

atque inſpectantibus, lata lex eſt, vt lex Aelia lex Fufia ne valeret: vt, cum de re iam nominata, & ſua ſponte ſatis nota loqueretur, obſcura non poſſet eſſe ſignificatio: verum etiam, quia vehementior & grauior ſæpe fit oratio, cũ id, quod obijcitur ſignificatur potius, quàm nominatur, quo potiſſimũ genere abundant ij, qui inter cæteros excellunt, Demoſthenes, & Cicero. Omnes autem potius dixit, quàm duas, vel quia re vera præter Aeliam, & Fufiam de iure, aut de tempore legum rogandarum lex erat nulla: vt qui Aeliam, & Fufiam, is omnes plane ſignificaret, vel quia, cum eſſent aliæ quoque leges & de iure, & de tempore, quas vltimæ Aelia & Fufia, in eandem ſententiam ſcriptæ confirmarunt; qui tolleret duas vltimas, ſuperiores quoque omnes tolleret, nam quemadmodum magis nobili ſublato, vt apud philoſophos eſt, minus quoque nobile ſimul tollitur, vt ſublato corpore, ſimul ea tolluntur, quæ in corpore adhæreſcunt: ſic qui Aeliam & Fufiam rogatione tollebat, quas & diligentius, & grauius, quàm ſuperiores omnes, eſſe conſcriptas verisimile eſt, eum omnes ſimul leges eadem rogatione ſuſtuliſſe certum eſt, quod ſi quis, vtrum, ante Aeliam, & Fufiam & de iure, & de tempore aliæ leges fuerint, dubitat, neque credit, niſi vel ratione admodum firma, vel graui teſte probatur: ego, vt in vtroque ſatisfaciam, rationem, vt opinor, afferam non imbecillam: teſtem autem eum producam, quem leuiſſimum appellare nemo poſſit, primum igitur pro ratione illud opponam: cum in oratione in Piſonem ita loquatur Cicero: Centum prope annos legem Aeliam, & Fufiam tenueramus: credibile non eſſe, ſupra centum annorum ſpatium vrbem Romam ſine vlla lege de auſpicijs, & de faſtis diebus fuiſſe; præſertim cum idem in illa in Vatinium acerbiſſima interrogatione auſpiciorum vetuſtatem his verbis oſtendat: Qui tantus furor, vt auſpicia, quibus hæc vrbs condita eſt, quibus omnis Reſpub. atque imperium

rium tenetur, contempseris? quod ipsum in III. de natura Deorum confirmauit: scripsit enim sic. Mihi ita persuasi, Romulum, auspicijs, Numam, sacris constitutis, fundamenta iecisse nostræ ciuitatis, accedit Pediani testimonium in commentario Pisonianæ. Obnunciatio, inquit, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Aelia lex confirmauerat, erat sublata, verbum enim, Confirmauerat, legem Aeliam obnunciandi ius non sanxisse primam significat, sed quod alia lex sanxerat, confirmasse. Vt omittam, quod supra commemoraui, vetustissimum fuisse ius intercedendi, datum tribunis pl. iam ab illo tempore, cum in Sacro monte institutus magistratus est, qui plebem tueretur, quod cum ita sancitum esset: intercessio tamen tribunitia Aelia lege confirmata est. Verum de lege Aelia & Fusia satis multa, pergam ad reliquas leges, quæ ad comitia pertinent. Lex fuit, quam Gellius memorat, vt quo die auspicia capta essent, eodem ea de re, cuius rei causa auspicatum esset, comitia absoluerentur, alioqui infirmum & inane populi iussum erat. Leges quoque tabellariæ hoc de genere videntur; sunt enim de suffragijs ferendis: cum porro suffragium populus fert, comitia dicuntur, hæ quatuor fuerunt, omnes, vt puto, tribuniciæ, Gabinia, Cassia, Papiria, Cœlia. Gabinia sanxit, vt populus in magistratibus mandandis suffragium non vt antea voce, sed per tabellam ferret. Cassia biennio post idem iussit, in omnibus iudicijs populi, perduellione excepto. Papiria & ipsa populo tabellam dedit, in iubendis, ac vetandis legibus. Cœlia, quo vno in genere vocis suffragium reliquum erat, hoc est, in perduellione, quod lex Cassia exceperat, in eo genere tabellam dedit, ita quatuor tribunorum pl. rogationibus factum est, vt populus liberè, quod sentiret, in omnibus comitijs, nullo inimicitiarum metu posset ostendere, ideo tabellam vindicem tacitæ libertatis appellat Cicero in agraria II. & lib.

III. de legibus; in oratione autem pro C. Cornelio, principium iustissimæ libertatis Cassiam legem, quæ tabellam in iudicijs populo dedit, magis enim intererat populi tabella, voluntatem in iudicijs tegere, cum ageretur de capite fortunisq; ciuium, quàm aut in magistratibus, quod lex Gabinia sanxerat, aut in legibus, quod postea Papiria. Hæc de sententia legum tabellariarum: nunc de latoribus, & quo quæque anno lata sit. Gabinium rogauit homo ignotus, & sordidus: quod lib. III. de legibus Cicero tradit, & cum biennio ante Cassiam rogata sit, quod idem in loco demonstrat; Cassiam vero Lepido & Mancino cos. esse latam, ex libro de claris oratoribus constet: necesse est, Pisone & Lænate cos. rogatam, existimare. Cassiam Lepido & Mancino cos. auctore Scipione Africano posteriore, tulit L. Cassius Q. F. Longinus Rauilia, pater illius L. Cassij, qui in omnibus causis quærere solebat, cui bono; & C. Cassij, eius, quem C. Mario C. Flauio cos. leges multas ad minuendam nobilitatis potentiam tulisse, in quibus hanc, vt quem populus damnasset, cui ve imperium abrogasset, in senatu non esset, Pedianus tradidit. Papiriã tulit C. Carbo, ille eloquẽtissimus; tulit autem, vt opinor, P. Popillio & P. Rupilio cos. nam eo anno tribunũ pl. fuisse, quo Scipio Aemilianus de Numantinis triumphauit, omnes historiæ declarant: quem à porta ad cõcionem productum, quod de Ti. Gracchi morte sentiret, seditiose interrogauit. Cœlia, non facile est conijcere, à quo sit rogata; sed rogatam Q. Metello T. Flaminino cos. crediderim, ex ijs verbis, quæ sunt apud Ciceronem lib. III. de legibus: Vt opprimeret Cœlius Popillium, nam, id de P. Popillio dictum esse, quem C. Gracchus Metello, & Flaminino cos. tribunus pl. in exilium eiecit, videtur intelligendum, vt eius iudicij causa, quo Popillius, tribuno pl. Graccho, est oppressus, Cœlius sua lege tabellam dederit, sed hoc, quia non plane firmis nititur coniecturis, inter

dubia

dubia referatur. Etiam in eo consultum est reipublicæ, quòd aduersus ambitionem lata lex, ne quis candidatus nomenclatore in magistratus petitione vteretur, cò tamen, vt fere fit, progressa pedetentium licentia est, vt, Ciceronis ætate, suus cuique candidato nomenclator, cum prensaret, petereteve, adesset, atque inter laudes M Catonis, qui Vticensis postea dictus est, hanc enumerat Plutarchus, quòd in petitione tribunatus legem, quæ candidato nomenclatorem adesse vetat, solus seruauit.

Lex Maria ipsa quoque præclara: quam Plutarchus à C. Mario, qui septies consul fuit, tribuno pl. esse latam significat, eius legis hæc sententia fuit, vt pontes, quibus suffragiorum cistæ imponebantur, essent angustiores; ne scilicet multis locus esset, nam in turba fraudem aliquam committere, difficilis negotij non est, propterea, quod hac lege sancitum est, id ambitiosis oppositum fuisse, & plane Cicero dicit in III. de legibus, & Plutarchus ipse significat in Marij vita, cum ait; in tribunatu legem de suffragijs tulisse, qua potentium opes tum in ferendis suffragijs, tum in creandis magistratibus imminuit. Tulit & P. Sulpicius tribunus pl. L. Sylla, Q. Pompeio cos. vt in omnibus tribubus libertini suffragium ferre possent; cum in quatuor tantùm vrbanis tribubus antea ferre consueuissent, hanc legem puto à victore Sylla, Sulpicij inimico, esse abrogatam, puto autem ob eam causam, quia C. Manilius tribunus pl. aliquot post annos eandem legem ferre conatus est: idemq; postea & P. Clodius cogitauit, testis Cicero in duabus orationibus, pro C. Cornelio, pro Milone. Sancitum & legibus illud existimo, quod apud Ciceronem lib. 2. de legibus scriptum est; vt augurum arbitratu comitiatus & concilia vel instituta dirimerentur, vel habita rescinderentur. Quod autem in eorundem augurum commentarijs traditum erat, Ioue fulgente tonante comitia haberi nefas esse; & illud sinistrum fulmen aduersum infaustumq; comi-

tijs

tijs esse signum; item illud, dimittenda esse comitia, cum quis eo morbo, qui inputatur, corruisset, ex quo comitialis morbus dictus est: hæc omnia & in augurum libris notata, &, vt seruarentur, legibus cautum esse, non dubito. Atque hæc, quæ ad impedienda comitia pertinent, non tam religionis causa homines sapientissimi legibus constitui voluerunt, quàm vt, si quando pernicioſa reip. rogatio ferretur, obsisti per aliquem augurem facile posset. quam totam rationem C. Cæsar, qui nihil, nisi potentiæ suæ causa, fecit, in consulatu neglexit; Bibulumq; collegam obnunciantem armis foro expulit. Pertinere & illud ad vim comitiorum videtur, quod in XII. tab. cautum inuenio, vt, quod postremum populus iussisset, id ius ratum esset. Item lex illa, qua cautum est, ne priuilegia, nisi centuriatis comitijs irrogarentur, cuius meminit Cicero in oratione pro domo, & in ea pro Sextio, & libro 3. de legibus.

Nec excluditur ab hoc genere illa lex, quam renouare multis post annis C. Cornelius tribunus pl. quem Cicero defendit, conatus est; ne quis, nisi per populum legibus solueretur, itaque in omnibus S. C. quibus tum aliquem legibus solui placebat, adijci erat solitum, vt de ea re ad populum ferretur: sed paulatim ferri desitum est: resq; in eam consuetudinem venit, vt postremo ne adijceretur quidem in S.C. de rogatione ad populum ferenda: eaq; ipsa S. C. per pauculos admodũ fiebant, quam ob causam, ferente legem Cornelio, vt antiquum ius renouaret, inductus à Senatu P. Seruilius Globulus tribunus pl. intercessit. Firmauit etiam populi iudicia, quæ comitiorum nomine continentur, Cassia lex, C. Mario C. Flauio cos. à C. Cassio tribuno pl. L. Cassij Rauiliæ filio, de quo proximè meminimus, rogata; vt, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu ne esset. Migremus nunc paulisper ex vrbe in prouincias. Tulit primo de prouincijs C. Grac-

Gracchus tribunus pl. Tiberij frater, vt consulares prouinciæ per senatum quot annis decernerentur. Postea C. Cæsar, qui dictator fuit, ne prætoriæ prouinciæ plus, quàm annum, neu plus, quàm biennium, consulares obtinerentur, tulit autem hanc legem victo Pompeio: cum ipse iam per nouem annos Galliam contra C. Gracchi legem obtinuisset, consecutus id, quod nemo antea, & S. C. & lege. Hic quando legum causa de prouincijs incidit mentio non alienum est, & quot omnino in ditione populi R. & a quibus, quo ve anno captæ, tum quæ consulares, quæq; prætoriæ fuerint, subijcere. Quo anno M. Cicero Ciliciam pro consule administrauit, qui fuit ab vrbe condita DCCII. M. Marcello Ser. Sulpicio cos. prouinciæ XV. fuerunt in ditione populi R. Sardinia Corsica, Sicilia, duæ Hispaniæ, citerior, vlterior; Asia, Aetolia, Macedonia, Illyrium, Dalmatia, Africa, Achaia, Galliæ duæ, Cisalpina, Transalpina: Cilicia, Bithynia, Pontus, Creta, Syria, Cyprus, quibus ex omnibus prouincijs vectigal capiebat annuum Resp. vt à Plutarcho proditum est, octuagies quinquies decies centena millia.

Sardiniam cepit, inter primum & secundum Punicum bellum, consul. T. Manlius Torquatus; de qua triumphauit; eaq; prima, anno vrbis DXVIII. prouincia populi R. facta est, missis ad eam componendam X. legatis: quod in faciendis prouincijs seruatum est. Corsicam vicit, ac prouinciam fecit C. Papirius Maso consul, & à senatu triumpho non impetrato, ipse de sua sententia in monte Albano primus triumphauit, anno DXXII. & hanc vna cum Sardinia semper vnus rexit magistratus Romanus. Siciliam primus vicit, magnaq: ex parte prouinciam fecit Q. Catulus primo Punico bello: post aliquot annos, captis Syracusis, vniuersam in prouinciæ formam redegit M. Marcellus bello Punico, secundo, aut certe, qui ei successit M. Læuinus, nam de Marcello Velleius tradit: debellatum

vero

vero in Sicilia à Læuino potius prætore, quàm à Marcello consule, & Cicero in Verrem, & Liuius significant. Marcellus quidem, secutus exemplum Papirij Masonis, in Albano monte triumphum egit, vrbemq; ouans est ingressus. Hispaniæ tum à Scipione Africano maiore, secundo Punico bello, tum, aliquot post annis, M. Catonis Censorij virtute, multis victorijs domitæ: & in eas magistratus Romani modo pro consulibus, modo pro prætoribus ierunt, variè tamen possessæ, & vt ait Velleius, sæpe partibus amissæ, certa ac stabilis esse populi R. possessio, stipendiumq; pendere non prius, quàm Augusto principe; cœperunt. Asiam cis Taurum montem bello Antiocheno L. Scipio, maioris Africani frater, profectus in eam consul, ad imperium adiunxit, annoq; post consulatum proximo triumphauit, ab vrbe condita DLXIIII. post eam possedere beneficio senatus populiq; R. reges Attali, donec M. Perperna consul Aristonicum, qui eam, Attalo rege mortuo, occupauerat, deuicit, ac cepit; eam tamen in prouinciæ formam non Perperna, sed, qui ei successit, M. Aquillius consul redegit: qui etiam de Aristonico triumphauit, anno DCXXIIII. Aetoliam M. Fuluius Nobilior subegit, bellum gerere cœpit consul, pro consule confecit, & triumphauit biennio post anno vrbis DLXVI. Macedoniam XL. diebus deuicit consul iterum L. Aemilius Paulus anno DXXCVI. neque tamen prouinciam fecit, sed de sententia X. legatorum, quos ad componendam Macedoniam, atque Illyricum senatus de more misit, Macedonas omnes liberos esse iussit, & vt suis legibus viuerent, suas vrbes, & agros haberent magistratus annuos crearent, permisit, veteris etiam stipendij, quod regibus pependerant, dimidia parte releuauit: anno proximo Perse rege inter captiuos Romam ducto, triumphauit, prouinciam vero Macedoniam fecit anno vrbis DCVII. Q. Metellus, is, qui ex ea pro prætore triumphauit, & Macedonici

nici cognomen est adeptus, hanc prouinciam postea cum Achaia coniunxit, eq; duabus vnam fecit, rogatione perlata, P. Clodius tribunus pl. & vtranque L. Pisoni, quasi præmium, quòd in Cicerone eiciendo consensisset, dedit administrandam. Illyrium & Dalmatiam eodem anno, quo Macedoniam Paulus, L. Anicius prætor debellauit, & vnam prouinciam fecit, triumphauitq; post Paulum aliquot diebus, rege Illyriorum Gentio cum fratre, coniuge, & liberis ante currum ducto. Carthaginem, & Numantiam, illam Africæ, hanc Achaiæ caput, exciderunt eodem anno, & triumpharunt, Scipio Aemilianus, & L. Mummius, tulitq; inde Scipio cognomen Africani, Mummius Achaici, factæ sunt prouinciæ duæ, Africa, & Achaia. Africam autem intelligo regionem vniuersam, quam Carthaginenses possederant, nam Numidia, & ipsa pars Africæ, Massanisæ regnum fuit, Syphace superato, paruitq; regibus, & à C. Cæsare demum, post Scipionem, & Iubam, Mauritaniæ regem, deuictos, in formam prouinciæ redacta. Mauritaniam vero, & ipsam in Africa, multis post annis, Calligula imperator in duas prouincias diuisit. Galliam cisalpinam puto prouinciam esse factam eo tempore, cum M. Marcellus, is qui consul quinquies fuit, primusq; Annibalem acie vicit, Virdumarum, Gallorum regem, singulari certamine occidit, decq; Gallis Insubribus triumphauit, anno DXXXI. patet enim prouinciam esse factam, qua coloniæ plures annis sequentibus eò deductæ, transalpinam vero Galliam, quæ Narbonensis quoque dicta est, Q. Fabius, L. Pauli nepos, deuictis Allobrogibus, vnde cognomen sumpsit, in prouinciæ formam redegit, anno DCXXXII. Ciliciam perdomuit P. Seruilius proconsule; qui, quòd Isauron, Ciliciæ arcem, euertit, Isauricus est dictus, triũphauitq; anno DCLXXIX. ex eo tempore Cilicia prouincia fuit. Bithyniam populo R. rex Nicomedes, vt antea rex Attalus Asiam, testamen-

to reliquit: eaq; simul cum Ponto, in quo Mithridates regnauit, vna prouincia fuit, Bithyniæq; nomine appellata, vtranque vero prouinciam fecit, Mithridate victo, Pompeius Magnus pro consule, triumphauitq; anno DCXCII. eiusdem Pompei lex à Plinio iuniore in epistolis memoratur, Bithynis, & Ponticis data: ne quis annis XXX. minor magistratum caperet, neve in Senatu esset: qui vero magistratum cepisset, ei liceret in Senatu esse: ne decuriones, in curiam à censoribus lecti, pecuniam pro introitu darent, sed id obseruatum semper non est, nam, vt apud eundem Plinium legimus, quandoque bina millia soluerunt, quæ vocabantur sportulæ, item vt senatores certis de causis à censoribus ordine mouerentur: vt Bithynicis ciuitatibus adscribere sibi, quos vellent, ciues liceret dum ne ciuitatis essent alienæ, sed earum quisque ciuitatum, quæ essent in Bithynia, atque hæc a Pompeio sunt ad exemplum Romanæ ciuitatis instituta. Cretam debellauit Q. Metellus pro consule, & triumphauit anno DCXCI. Creticusq; postea nominatus. Syria Pompei Magni singulari virtute, vltimo bello Mithridatico victa, leges accepit, prouinciarumq; populi R. numerum auxit, triumphauit ex ea Pompeius pro consule, item ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, Creta, Basternis, præterea de regibus Mithridate, & Tigrane anno DCXCII. Cyprus vltima, stante Rep. in prouinciæ formam redacta, missio in eam M. Catone quæstore cum iure prætorio, lege P. Clodij tribuni pl. Pisone & Gabinio cos. anno DCXCV. sed primum ea simul cum Cilicia, tanquam vna prouincia S.C. tradita est P. Lentulo pro consule, quod illa verba Ciceronis in epistola ad Lentulum significant: Te posse perspicere, qui Ciliciam, Cyprumq; teneas, quid efficere & quid consequi possis, postea quæstores in eam missi, quod ab eodem Cicerone didicimus, qui ad C. Sextilium Rufum

Rufum in quadam epistola ita scribit: Tuæ laudi conducere arbitror, cum primus in eam insulam quæstor veneris, ea instituere, quæ sequantur alij.

Tertia pars superest, quæ prouinciæ consulares, quæ ve prætoriæ dicerentur. Ne quis erret, neutrum perpetuum fuit, non enim hæc, vel illa prouincia semper aut consularis, aut prætoria, sed ita nomen mutabant, vt variè modo à consularibus, modo à prætorijs administrabantur, quam potestatem senatus habebat, vt quos vellet, in quas vellet mitteret, administratione annua: quod lege Sempronia C. Gracchi tribuni pl. sancitũ erat. Cæsari tamen Gallię in quinquennium, contra legem Gracchi, & lege Vatinia tribunicia, & S. C. mandatæ sunt, posteaq; in alterum quinquennium lege Trebonia item tribunicia, Pompeio Magno & Crasso II. cos. confirmatæ, qua de re sic ad Lentulum Cicero: Stipendium Cæsari decretum, & ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est. Decerni autem solitas lege Gracchi, non à populo, sed à senatu prouincias, idem in oratione pro domo, in P. Clodium inuehens, plane demonstrat. Ita ne vero? inquit, tu prouincias consulares, quas C. Gracchus, qui vnus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab senatu, sed etiam vt necesse esset quotannis constitui per Senatum, lege sanxit, eas lege Sempronia per Senatum decretas, rescidisti? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed Reip. pestibus? Erat igitur eadem prouincia, ex voluntate Senatus, modo consularis, modo prætoria, itaque Macedoniam (vt hæc exempli causa nominetur) Cn. Dolabella, C. Curio, M. Lucullus, L. Torquatus, C. Antonius, omnes consulares, administrarunt: tum, Cn. Octauius prætorius, pater Augusti naturalis, rursus consularis L. Piso, & Pisone reuocato Q. Ancharius prætorius, idemq; patet in cęteris. Quo autem anno S. C. illud Cœlius in epistola sua ad Ciceronem mi-

fit; in quo S. C. hæc sunt, senatui placere, in Ciliciam prouinciam, inq; VIII. reliquas prætorias mitti: regebantur VIII. prouinciæ, quæ in eo S. C. prætoriæ vocantur, à magistratibus VIII. prætorijs, Cypro excepta, quam quæstor, vt proxime ostendi, cum iure, vt opinor, prætorio administrabat: quia, lege Clodia missum esse in eam M. Catonem cum iure prætorio, adiecto etiam quæstore, Velleius prodidit, propterea Cyprum inter prætorias esse memoratam, facile credo, reliquæ septem fuere, Sicilia, Sardinia, Asia, Macedonia, Bithynia, Creta, Africa, & cum Sardinia Corsicam simul fuisse, cum Bithynia Pontum, paulo ante dictum est. Sed quæratur fortasse, quot fuerint, & quæ fuerint, & à quibus administratæ eo anno prouinciæ consulares. Septem fuerunt, hæ duæ Galliæ, Illyricum & Dalmatia, quas vnus C. Cæsar tres regebat; duæ Hispaniæ, quas Cn. Pompeius per legatos absens administrabat, Syria, cui M. Bibulus, Cilicia, cui M. Cicero præerat, ita fuerunt hoc anno XV. prouinciæ, consulares VII. prætoriæ VIII. & in vnam consularem Ciliciam, in prætorias autem omnes eo S. C. successores mitti placere, decretum est. Neque vero miretur quisquam, si Aetoliam, Græciam, Achaiam, Thessaliam, Bœotiam, Pamphyliam, Phrygiam, Lycaoniam, Lydiam, Ioniam, Cariam, Mysiam, Gallogræciam, siue Galatiam, Pisidiam Lyciam Cappadociam, Armeniam non nominauerim, nam Aetolia Græciæ pars fuit: Græcia vero cum Achaia, Thessalia, Bœotia ad iurisdictionem Macedoniæ pertinuit; omnesq: simul ab vno regebantur, id seruatum est post consulatum Pisonis, & Gabinij, nam eo anno legem tulit P. Clodius, vt omnes illæ prouinciæ ab eo, qui Macedoniæ præesset, regerentur, non enim tulit, vt à Pisone nominatim regerentur (nam fuisset priuilegium, non lex) sed, vt ab eo, cui Macedonia daretur, is autem fuit eo anno L. Piso: cuius causa lata lex est. Pamphyliam vero,

Phry-

Digitized by Google

Phrygiam, Lycaoniam, qui Ciliciam, idem administrabat, at Lydiæ, Ioniæ, Cariæ, Myſiæ, etiam Phrygiæ parti præerat idem qui Aſiæ, nec mirum eſt, Phrygiam in duas iuriſdictiones diſpertitam fuiſſe, vt vna pars Ciliciæ, altera tribueretur Aſiæ, nam etiam ipſius Aſiæ tres diœceſis ad Ciliciam attinuiſſe, Cicero ipſe, alijq; prodiderunt. Galaciam regebat Deiotarus Rex, ſocius fidelisſimus populi R. Piſidæ, & Lycij inter ſocios erant, ſuiſq; legibus, ſine magiſtratu Romano vtebantur, itaque Cicero eas gentes appellat auxilia in Epiſtola ad Atticum. Exercitum inquit infirmum habebam, auxilia ſane bona, ſed ea Galatarum, Piſidarum, Lyciorum, hæc enim ſunt noſtra robora. Cappadociæ rex erat Ariobarzanes, ipſe quoque ſocius populi R. nam Pompeius reges multos à Mithridate pulſos, in regnum reſtituit, & fœdere ac ſocietate Reip. obſtrinxit: Armeniam Tigrani regi, qui Mithridatem armis iuuerat, venia data, conceſſit: nationes quaſdam prouincias fecit populi R. alijs, vt ſui iuris eſſent, ſuiſq; legibus viuerent, permiſit. Hæc eſt Romanæ ditionis ab Hiſpania vlteriore, vltima ad occidentem prouincia, ad Euphratem, qui terminus ad orientem imperij fuit, deſcriptio quædam breuiter à nobis informata, nec enim vagari longius licuit in ea tractatione, quæ noſtri argumenti propria non eſt: quia tamen diſiuncta non videtur, hæc attigimus. In prouincias ibant vel conſulares cum XII. faſcibus, vel prætorij cum ſex, totidem vtrique, quot in vrbe habebant, interdum etiam prætorios cum iure conſulari, & XII. faſcibus, Senatus in pouincias mittebat vt Q. Ciceronem in Aſiam: de quo Suetonius, Extant, inquit, M. Ciceronis Epiſtolæ, quibus Quinctium fratrem, parum ſecunda fama proconſulatum Aſiæ adminiſtrantem, hortatur, & monet, imitetur in promerendis ſocijs vicinum ſuum Octauium, proconſulatum vocat hominis prætorij adminiſtrationem, eadem ratione titulus eſt, Q. Metello

tello Celeri pro cos. in duabus epistolis, quæ lib. V. fam. primæ leguntur: qui tamen consulatum non gesserat, sed ex prætura in Galliam cisalpinam profectus erat, & in oratione pro Flacco notauimus hæc: Cum prouinciam Asiam proconsulari imperio obtineres: cum tamen prætorio de homine loquatur. Primis temporibus cum prouinciæ tuendæ armis essent, & in discrimine versarentur, exibant in eas, inito statim magistratu, consules, & prætores, vel vt quæque cuique sorte obtigerat, vel etiam quandoque consulibus inter ipsos comparantibus, sic enim loquebantur, cum inter eos de duabus consularibus prouincijs conueniisset, nam comparandi consuetudinem apud prætores non video fuisse, quod si bellum produceretur; imperium in ijsdem prouincijs pro consulibus, aut pro prætoribus à senatu prorogabatur, postea L. Sylla legem cauit, ne quis plus anno prouinciæ præesset, qui viderit, opinor, in Rep. diuturnis imperijs assuescere, tutum non esse, itaque Galliarum illa per decennium Cæsaris administratio libertatis exitium fuit; hac de lege Cicero in Epistola ad Appium his verbis: Eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, vt opinor, Cornelia constituti essent, & in eadem: Vt habere rationem possis, quo loco me salua lege Cornelia conuenias in prouinciam veni pridie kal. Sext. Nunc de legibus agamus, quæ rectoribus prouinciarum imperium dabant, eæ duæ fuerunt, curiata, vetus admodum lex, & Cornelia, quam tulit L. Syla dictator, curiata dabat imperium populus, vt Liuius indicat lib. IX. Cornelia senatus, nam, cum S. C. esset factum, vt prouincias magistratus sortirentur, aut compararent inter se; tum, si ij, vel sine lege curiata, in prouincias proficiscerentur, imperium habere dicebantur, donec in vrbem reuertissent, ideo, quod in epistola Ciceronis ad Lentulum scriptum est, Ap. Claudius, frater P. Clodij

Clodij, cupidus prouinciæ, dicitabat, sese, si licitum esset, legem curiatã ferre, sortiturum esse cum collega prouinciam; si curiata lex non esset, comparaturum cum collega, Lentuloq; Spintheri, Ciliciam pro consule administranti, successurum: legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse: se, quoniam ex S. C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in vrbem introijsset. Quod autem in agraria II. scriptum est, Rem militarem sine curiata lege attingere non licet; propterea dictum, quia sumptu publico ibant in prouincias, quorum de imperio lata curiata lex esset, poterant igitur publica pecunia milites alere, & bellum gerere, at sine curiata lege poterat quidem aliquis priuato sumptu in prouinciam ire: exercitum vero habere, bellumq; de suo gerere, cui tantæ opes erant, vt liceret? non igitur sine curiata lege, quæ pecuniam dabat, rem militarem attingere cuiquam licebat, nam, cum ad Atticum Cicero ita scribit: Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat: non intelligit de pecunia in stipendia militum eroganda, (nec enim sustinere sumptum potuisset) sed, opinor, de suo cohortisq; viatico, ipse enim Cicero, viaticum dari solitum comitibus eorum, qui irent in prouincias, significat in epistola ad Cassium his verbis: Cætera cuiusmodi sint, ex hoc iudica, quòd legato tuo viaticum eripuerunt.

Curiata porro lex, non, vt primis temporibus, vniuersi populi suffragijs, curiatim in forum conuenientis, ferebatur, sed tantùm à XXX. lictoribus, XXX. veteres curias repræsentantibus, itaque Cicero in oratione II. in Rullum, cum loquatur de curiatis comitijs, ideſt de lege curiata, qua X. viris imperium dari Rullus volebat, illis, inquit, comitijs, ad speciem, atque ad vsurpationem vetustatis, per XXX. lictores auspiciorum causa adumbratis.

Ferri

Ferri autem ſolitam à conſulibus regem curiatam, idem Cicero in eadem oratione ſignificat his verbis: Conſulibus, legem curiatam ferentibus, à tribunis pl. ſæpe eſt interceſſum, idemq; confirmant illa verba in epiſtola ad Lentulum: Legem curiatam conſuli ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe. Nam, quod in ſua lege Rullus poſuerat, vt à prætore ferretur: extra ordinem fuit: quia videbat adduci conſules minime poſſe, vt eam ferrent, vtpote qui nullum X. viris imperium dari vellent: itaque Ciceronis extant orationes legem Rulli de X. viris. Has duas leges de imperio, Corneliam, inquam, & curiatam, Cicero ſignificat lib. 7. ad Atticum his verbis: Nec ſenatus decreuit, nec populus iuſſit, me imperium in Sicilia habere. In prouincias populi R. coloniæ ducebantur; propterea, quando de prouincijs proxime dictum eſt, ſubſcribemus hic legem illam, quam Cn. Pompeius Strabo conſul, Cn. Pompei Magni pater, tulit; vt tranſpadanis colonijs idem ius, quod reliquis colonijs, eſſet; ideſt, vt, petendi magiſtratus gratia, ciuitatem Romanam adipiſcerentur, & hæreditates à popolo R. capere, reliquoq; iure ciuium R. vti poſſent, hoc iure poſtea Latinas omnes eſſe priuatas, in eo Suetonius oſtendit, cum ait, Cæſarem colonias Latinas de petenda ciuitate agitantes, adijſſe, & aliquid vtique effecturum fuiſſe, niſi conſules conſcriptas in Ciliciam legiones ob id ipſum retinuiſſent. Sequitur militia: de qua legem veterem video fuiſſe, vt, qui ciuem ab hoſte ſeruaſſet, is ab imperatore quercea corona donaretur: quam Cn. Marcio Coriolano datam eſſe, Plutarchus memoriæ tradidit. Fuit & illa, ne dolo malo, neve aliena iniquitate, ſed iure & propria virtute bellum gereretur, quam Camillus, is, qui vrbem Romam à Gallis Senonibus liberauit, ita diligenter coluit; vt, cum Falerios, Faliſcorum vrbem obſideret, eamq; illi tradere publicus litterarum magiſter, deductis in caſtra nobilibus pueris, tentaſſet, iniuſtum

ſtum beneficium recuſarit, magiſtrumq; vinctum Falerios cum pueris remiſerit. Lex etiam lata eſt, quam Sacratam Liuius appellat, ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente, deleretur: & ne quis, vbi tribunus mil. fuiſſet, poſtea ordinum ductor eſset.

Duas aliquot poſt annos tribuni pl. eodem anno rogarunt, vnam L. Attilius, & C. Marcius, vt tribuni mil. ſenideni in quatuor legiones à populo crearentur; quæ antea, perquam paucis ſuffragio populi relictis locis, dictatorum & conſulum ferme fuerant beneficia: alteram M. Decius, vt 2. viros nauales, claſſis ornandæ reficiendæq; cauſa, populus iuberet. Leges duas C. Gracchus tribunus pl. tulit, vnam de veſtibus militi publicè dandis, ſtipendio non imminuto; alteram, ne quis infra XVII. ætatis annum ad militiam cogeretur, ex quo patet, interdum ad militiam ante coactos fuiſſe, qui nondum annum ætatis 17. agerent, quod puto difficillimis reip. temporibus, exhauſta cladibus ciuitate, vt ſecundo Punico bello, extra ordinem eſſe factum.

Legibus de militia recte ſubijcientur leges de triumpho, non eſt enim triumphus ſine militia. Antiquiſſima fuit, quæ nunquam ſeruata non eſt; vt qui ob rem in bello bene geſtam triumphum ducturi eſſent, ante triumphum vrbem ne ingrederentur; triumphabant enim cum imperio: & imperium deponere, vrbem intrantibus neceſſe erat, triumphum autem ſenatus decernebat, ſed imperium in vrbe, quo die triumphum duceretur, populus dabat, rogatione ab aliquo tribuno pl. lata id apertè demonſtrant illa apud Liuium, lib. XLV. Tribus his omnibus triumphus ab ſenatu decretus: mandatumq; Q. Caſſio prætori, cum tribunis pl. ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, vt ijs, quo die vrbem triumphantes ingrederentur, imperium eſſet. Et erant impediendi triumphi rationes multæ, primum, cum tribuni pl. imperatori

qui triumphum peteret, aliqua de causa infensi, de rogatione ferenda omnes recusarent; deinde, cum rogationem quidem tribunus aliquis ferret, sed eam populus suffragijs antiquaret; tertio, vbi tribuno rogationem ferente, vnus, pluresve de collegio intercederent, postremo, cum tribunus imperatori ob res in bello gestas diem diceret, sicuti C. Memmius L. Lucullo, qui duobus potentissimis regibus, Mithridate, & Tigrane, deuictis, tamen non nisi triennio post trumphare potuit, ad extremum, accusationem Memmio remittente, Cicerone consule triumphum duxit, vnde illa: Nos enim currum clarissimi viri nostra manu in vrbem duximus, hanc legem de imperio vnius dici intra vrbem Cicero significat his verbis lib. IIII. ad Att. Pontinius vult ad III. non Nou. triumphare, huic obuiam Cato, & Seruilius prætores apertè, & Q. Mucius tribunus pl. negant enim latum de imperio, & est latum, Hercule, insulse, latum insulse dicit, quia legem de imperio Pontinij Ser. Galba prætor clamante lucem tulerat, quod à Dione traditum est, & agi quidquam cum populo ante horam primam, leges vetabant. Paulo post secuta est altera, (si modo primis temporibus lege potius, quàm more triumphabant) vt, qui hostes acie vicissent, triumphantes vrbem inirent, idq; factum etiam cum intra VII. lapidem vrbis Romanæ fines includerentur, apud Valerium notauimus. Post, vt imperatorum ambitioni, qui leuibus prœlijs prosperè factis, triumphum petebant, obuiam iretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi qui & V. millia hostium vna acie cecidisset, & de suo exercitu multo pauciores amisisset, quo in vtroque ne falsus senatui numerus ederetur, altera lex à L. Mario M. Catone tribunis pl. lata est, vt punirentur ij, qui aut hostium occisorum, aut ciuium amissorum in numero mentiti essent. Sancitum, & illud est, vt pro aucto imperio, non pro recuperatis quæ populi R. fuissent, triumphus decerneretur, quam

quam ob causam neque Q. Fuluio, qui Capuam receperat, neque L. Opimio, qui Fregellas, permisit senatus vt triumpharent. Eademq. fuit eorum conditio, qui ad res gerendas sine magistratu missi erant, qui etsi res triumpho dignas gessissent, triumphare tamen lege vetebantur, itaque nec P. Scipioni, qui postea Annibalem vicit, ob recuperatas Hispanias, nec M. Marcello ob captas Syracusas triumphum senatus decreuit. Pompeius tamen, qui Magni cognomento est vsus, Sylla dictatore concedente, contra legem, eques Romanus adhuc triumphauit. Illud etiam fortasse lege datum, vt qui triumphans vrbem ingressus esset, ei laurea corona in spectaculis vti liceret, id ex eo conijcio, quòd Valerius, cui Plinius lib. naturalis historiæ XV. subscribere videtur, C. Papirium Masonem tradit, cum triumpho à senatu non impetrato, in Albano monte triumphasset, myrtea corona pro laurea in spectaculis vsum esse.

Inter publicas leges illa quoque referenda, quam quo anno Cn. Manlius cum C. Marcio consul fuit, tribuni pl. tulerunt, ne quis populum seuocaret; nam cum Manlius ad Satrium in castris, nouo exemplo, tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, legem tulisset; eiusq; legis, quia publicum vectigal haud parum augeretur, patres auctores fuissent; tribuni pl. non tam lege, quam exemplo, moti, ne quis postea populum ab vrbe auocaret, capite sanxerunt: nihil enim non per milites iuratos in consulis verba, quamuis perniciosum populo, si id liceret, fieri posse.

Leges agrariæ num sunt de iure publico? sunt omnino, quia pertinent ad populi commodum. Primus omnium promulgauit Sp. Cassius Viscellinus in III. consulatu, perferre tamen non potuit, Virginio collega, omniq; senatu resistente, hic anno proximo, quasi de regno cogitasset, à patre, vt Valerius, & Plinius Secundus affirmant, à po-

pulo, vt ab alijs traditum Liuius ait, damnatus nefarij consilij pœnas morte persoluit, in quo fœdissimum in Valerio erratum deprehendi, nam libro II. vbi de parentum seueritate aduersus liberos agit, ita scribit: Cassius filium qui tribunus pl. agrariam legem primus tulerat, adhibito propinquorum & amicorum consilio affectati regni crimine damnauit, verberibusq; affectum necari iussit; ac peculium eius Cereri consecrauit, tribunum pl.ait fuisse Cassium, qui agrariam legem promulgauit; quod apertè falsum esse, Liuius, & Dionysius demonstrant, tulit enim de agro Hernicorum diuidendo in III. consulatu: quo tempore Cassij erant patricij, (consules enim fiebant) & patricio tribunatum pl.dari leges vetebant, inde plebis concitandæ agrorum diuisio seditiosis tribunis pl.occasio semper fuit, itaque de ferendis legibus non sine magno ciuili motu sæpe actum. Primus pertulit Sex. Licinius Stolo tribunus pl.is, qui etiam, vt alter consul de plebe crearetur legem rogauit, eius lege nemini vltra D agri iugera, neque pecoris maioris vltra C, minoris vltra D capita licuit habere, his adiungebantur capita seruorum, ac ingenuorum, quæ quis ad custodiam agri, pecorisq; certo numero haberet.

Et vt appareat leges à tribunis pl.odio nobilium potius, quàm studio publici commodi, esse latas, paucos post annos hic ipse Stolo, accusante M. Popillio Lænate, primus, vt ait Valerius, sua lege damnatus est, quòd M Iugerum agri cum filio possideret, emancipandoq; filium fraudem legi feciſſet, rationem postea locupletes inierunt, vt plus D iugeribus possiderent nec tamen Licinia lege damnari possent, alijs enim ad emendum agrum summissis, ipsi possidebant, huic malo mederi primus voluit C. Lælius, (de minore loquor: nam ita duo Lælij, vt duo Africani fuere) Africani Scipionis amicitia non minus, quàm sua virtute, clarus: sed aduersante locupletum magno numero, cum

exci-

excitari ciuilem discordiam & contentionem videret, ocio ac tranquillitati ciuium consulens, susceptam rem abiecit: ex quo Sapientis cognomen est consecutus.

Liciniam secuta est Quinctia, à C. Quinctio Flaminino tribuno pl. lata, quam, nonnullis ante II. bellum Punicum annis, tulit ad populum, inuito senatu de agro Gallico & Piceno viritim diuidendo. Post captam autem Carthaginem de agris in Africa diuidendis Rubria lex lata est, Liuia vero de X. viris, qui diuiderent, quarum legum in tabula ænea mentionem inuenimus. Ti. Gracchus tribunus pl. aliquot post annos legem pertulit, cuius sententia hæc erat: si quis filium emancipatum haberet, ei dimidiam partem D iugerum attribuere posset: III. viri agris diuidendis plebi crearentur: ne quis agrum à III. viris acceptum venderet, hæc lex vtrum seruata sit, an occiso Tiberio, neglecta, parum constat, seruatam ait Plutarchus idq; senatum voluisse, vt plebis dolor, Tiberij morte susceptus, leniretur: neglectam, videtur Liuius tradidisse, cum in epitome, renouatam à Caio, Tiberij fratre, scriptum sit, res ita conueniet, si & seruatam, leniendæ plebis causa, primis post Tiberij interitum annis, & postea ita neglectam credamus, vt eandem Caius referre necessarium duxerit, quod & alijs non paucis in legibus esse factum animaduerti.

Tulit & Sp. Thorius legem, qua agrum publicum vectigali leuauit: quam vitiosam & inutilem Cicero appellat in Bruto, quia nocuit ærario. Sequuntur eodem de genere tribuniciæ duæ, Titia, Marcia; Titia, M. Antonio oratore, A. Postumio Albino cos. à Sex. Titio lata; Marcia, quibus consulibus incertum, à L. Marcio Philippo. Est etiam agrariæ Plotiæ, & Flauiæ mentio apud Ciceronem lib. I. ad Atticum: quam vtranque fuisse tribuniciam constat, vtraque autem videtur hoc sanxisse, vt vel agri, quos à senatu locupletes emissent, reddita possessoribus pecunia

plebi

plebi distribuerentur, vel si neminem vetere possessione moueri senatus vellet, alij agri ea pecunia, quæ ex nouis vectigalibus per quinquennium reciperetur, emerentur, & plebi, quæ agros non haberet, partirentur, hoc certè videtur in Flauia scriptum fuisse, vt ex epistola ad Atticum lib. I. licet conijcere, in alia vero, quæ ante hanc proxima est epistola, Flauiam eandem fere, quæ fuit Plotia, Cicero scribit esse, ex quo, non dissimilem vtriusque sententiam fuisse, facile cognoscitur, sed Flauiam, quæ Q. Metello Celere & L. Afranio cos. promulgata est, cur existimem esse perlatam, nihil habeo. Dictator quoque Sylla, lege lata, multos agros in Etruria militibus suis diuisit. Scriboniam tribuniciam C. Curionis filij nominat, eamq; viariam appellat, nec dissimilem agrariæ Rulli, M. Cœlius epist. fam. lib. VIII.

Vltimus agrariam legem pertulit C. Cæsar in primo consulatu: qua Stellatem campum, maioribus consecratum, vt ait Suetonius, & agrum Campanum, ad subsidia Reip. vectigalem relictum, diuisit extra sortem XX. millitibus ciuium, quibus terni pluresq; liberi essent. Postremo loco duas P. Clodij tribuni pl. leges constituemus, quæ ad ius publicum videntur pertinere; vnam vt frumentum populo, quod antea semis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur: quam legem & L. Saturninus in tribunatu ferre conatus erat, altera fuit de collegijs restituendis, quæ nouem ante annis Cæcilio & Marcio cos. sublata fuerant: quibus alia quoq; quæ antea non fuerant, Clodius adiunxit, quod ei Cicero sæpe in orationibus exprobrat. Supersunt leges de iure priuato: quarum duo genera esse diximus, vnum earum, quæ ad ius ciuile, alterum, quæ ad crimina pertinent. De iure ciuili, quod, vt ait iurisconsultus, de iure gentium quædam detrahit, quædam assumit, lex erat de adoptionibus; quæ vt curiata lege fierent, cautum erat: licebat

bat autem non patricio plebeium, sed plebeio patricium adoptare, atque hoc in genere tria lex iubebat obseruari: primum, vt is adoptaret, qui neque procreare iam liberos posset, &, cum potuisset, expertus esset: alterum, vt tum generum ac dignitatis, tum sacrorum ratio haberetur, id est, vt ita fieret adoptio, vt ne quid aut de dignitate generum, aut de sacrorum religione minueretur: tertium, ne qua omnino calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhiberetur: quæ si seruarentur omnia; tum adoptionem rectè fieri, nihil tamen horum in adoptione P. Clodij seruatum esse, arguit Cicero in oratione pro domo sua: neque solùm ob hanc causam ait esse infirmam irritamq; illam adoptionem, verum etiam, quòd, cum curiata lex ferretur, tum seruatum de cœlo sit: quod cum fieret, neque legem ferri, neque omnino quidquam agi cum populo licebat, primum enim adoptandi causas esse oportuit, de quibus pontifices iudices erant: deinde, si causæ probarentur, curiata lex ferebatur: quam qui ferret, is omnia seruare debebat, quæ in cæteris legibus, cum ferrentur, seruari mos fuit, quod vtrunque significat Cicero in ea oratione, cum ait: Vt is adopter, qui, quod natura iam assequi non potest, legitimo & pontificio iure quærat, itaque quod est apud Cornelium Tacitum lib. 17. Lege curiata apud pontifices adoptio fiebat; id ita est intelligendum, vt, nisi & lex ferretur, & adoptandi causas pontifices probassent, adoptio fieri non posset, vtrunque vero separatim agebatur; cum de causis pontifices cognoscerent, legem vero magistratus ferret. Adoptantis autem ætatem 18. annis maiorem, quàm eius, qui adoptaretur, esse oportere, à Modestino scriptum est his verbis: Non tantùm cum quis adoptat, sed & cum arrogat, maior esse debet eo, quem sibi per adoptionem, vel per arrogationem filium facit; sed vtiq; plena pubertate, ideſt 18. annis, eum præcedere debet. De testamentis leges multæ fuere; quarum nominantur

Voco-

Voconia, Furia, Falcidia, Cornelia, Iunia, Velleia. Voconia, de mulierum hæreditatibus inter ſecundum & poſtremum Carthaginienſe bellum à Q. Voconio Saxa Aricino tribuno pl. ſuadente M. Catone cenſorio lata, ſanxit hoc, ne quis hæredem relinqueret filiam ſupra H-S XXV. M. nam Dio lib. LVI. ita ſcriptum reliquit. Auguſtus quibuſdam fœminis tribuit, vt ſupra XXV. M. hæredes eſſe poſſent: licet hoc lex Voconia vetaret. Etiam hoc eadem lege cautum eſt, vt à Theophilo, in tit. inſtit. de lege Falcidia, didicimus, ne plus legatarius, quàm hæres, haberet, quo de genere Trebellianum quoque S. C. extat, ne bona vltra dodrantem vniuerſali fidei commiſſo ab hærede relinqui poſſint. Voconia, & Furia, Falcidia, Iunia, Velleia, tribuniciæ fuere, Cornelia conſularis, L. Syllæ, de Voconia diximus, Furia cauebatur, vt à Theophilo ſcriptum legimus, ne cui plus, quàm M. nummum, legaretur; quod amplius legatum eſſet, quadruplum reſtitueretur. Falcidia cauebatur, ne cui plus liceret legare, quàm dodrantem ex tota hæreditate, ideſt, vt, ſiue vnus hæres inſtitutus eſſet, ſiue plures, apud ipſum, eosve quarta pars tantùm remaneret, meminit huius legis Celſus, lib. 22. digeſtorum, his verbis: Cum de lege Falcidia quæritur, hæredis probatio eſt, locum habere legem Falcidiam, quod, dum probare non poteſt, merito condemnabitur. In Iunia Velleia hoc erat, vt, qui teſtamentum faceret, omnes eos virilis ſexus neceſſario inſtitueret hæredes, qui, cum naſcerentur, ei hæredes ſui futuri eſſent; eorumq; in locum liberi ſuccederent: qui niſi inſtituti eſſent, aut ſi exhæredati ad exemplum poſtumorum eſſent, teſtamentum ne valeret, atque in hac lege duplex caput fuit, primum, vt mortuo filio, nepotes nondum nati poſſint inſtitui: item, vt, viuente filio, naſcituri nepotes poſſint inſtitui, ſi auo viuente, & mortuo filio, naſcantur; ne facti ſui, cum naſcentur, ſi te præteritos inuenerint, rumpant teſtamentum, altero

capite

capite cautum est, vt nepotes, iam nati viuente filio, ab auo hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur; ne forte, mortuo post testamentum filio, facti sui hæredes, ad exemplum postumorum testamentum infirment, quæ tradita sunt in iurisconsultorum libris. Cornelia falsum testamentum facientibus pœnam irrogabat; eaq; lege senatores soli tenebantur, vt in Suetonio legimus, nisi si, non senatores, sed signatores, legas, quòd si quis in hostium potestate decessisset; eius testamentum perinde lex Cornelia confirmabat, ac si, qui testamentum illud fecisset, in hostium potestatem non peruenisset, testis Iulianus lib. 28. digestorum. Testamenta porro lex infirmabat, irritaq; prorsus iubebat esse, quæ improba, inofficiosa, inhumana dicerentur, hoc est, contra leges, merita, pietatem facta: item, quæ à V. testibus, ijsq; fide dignis, non essent obsignata, quod ad VII. deinde testes prætorum edicto translatum est, postremo ab imperatoribus inuentum, vt testes subscriberent, vt legitur instit. de testamentis, paulo post principium, atque horum generum causas, de rescindendis confirmandis ve testamentis, à C. viris esse iudicatas, quod hastæ iudicium dicebatur, Cicero, Valeriusq; declarant. Aelia Sentia, quam iurisconsulti nominant, non videtur ad nostrum institutum pertinere, non enim stante rep. sed Augusti temporibus, à Sex. Aelio, L. Sentio cos. lata est, veruntamen, quia spectat ad testamenta, quorum leges hoc in loco exponuntur, simul cum alijs eam legibus enumerare non alienum duximus, in ea scripta sunt hæc: vt vnus modo hæres necessarius fieret: plures si fierent, irritum esset: ne duo pluresve ex eadem causa hæredes scripti essent: qui primo loco esset nominatus, hæres esset: item, quibus de causis manumitti seruos placeret: ne quis, licet ex tutoris auctoritate, posset manumittere, nisi causam apud consilium probaret: neve serui, in fraudem creditorum, aut libertate donarentur,

aut hæredes instituerentur, nam cum, pluribus hæredibus seruis institutis, ijsdemq; manumissis, futurum esset, vt creditores ad suum peruenire non possent; quia, data seruis libertate, pretium hæreditatis diminueretur; ideoq; seruorum manumissio iniusta videretur, quia contra rem creditoris esset; lex Aelia Sentia sanxit, vt vnum duntaxat seruum cum libertate hæredem debitor facere posset, atque hæc videre licet ver. I. instit. quibus de causis manumittere non licet, postremo iubebat, vt, si esset donatio facta inter virum & vxorem, marituſq;, re nondum tradita, vita excessisset, ne mulier rei vindicationem post obitum mariti haberet, sed tantummodo exceptionem, si non possideret contra petitores. Hæc de lege Aelia Sentia, veterem fortasse aliquam legem referente, obseruauimus. Alia vero fuit Aelia Sanctia à Cicerone in Topicorum libris nominata: quæ assiduo vindicem esse assiduum, idest locupleti locupletem, iubebat, pertinuit igitur ad iudicia, atque hac de lege nihil amplius, neque de latoribus, neque de tempore, neque de sententia, compertum habemus, sed præter eam, leges hoc de genere X. video nominari, diuersis temporibus latas, tribunicias V. Semproniam, Seruiliam, Liuiam, Plotiam, Vatiniam; prætoriam, Aureliam; consulares, Corneliam, Pompeiam, Iuliam, Antoniam, his de singulis prius quàm agamus, tria loca, quæ ad hoc de iudicijs argumentum pertinent, vnum Plutarchi, alterum Pediani, tertium Ciceronis examinabimus, ordinem enim, & sententiam earum legum, quas nominauimus, perturbant, & obscurant, quare, vt erroris causa tollatur, disputabimus primum ea, quæ veterum in libris aut re vera, vt ego sentio, falsa sunt, aut eiusmodi, vt vera cum sint, falsa tamen videri possint, hoc vbi satis apertum fuerit; tum veritate quasi è tenebris educta, leges ipsas, & quibus singulæ temporibus latæ sint, & quæ cuiusque vis ac sententia fuerit, ostendemus. Ac primum,

mum, quòd in Gracchorum vita Plutarchus tradidit, legem à C. Graccho esse latam, vt CCC. equites simul cum CCC. senatoribus iudicarent, id ego (pace tanti viri dixerim) falsum esse iudico, non enim lege Gracchi equites cum senatoribus, sed soli equites rem iudiciariam administrarunt, probatur antiquorum exemplis, nam Paterculus, vbi leges C. Gracchi commemorat, Dabat, inquit, ciuitatem omnibus Italis: extendebat eam pene vsque ad alpes: diuidebat agros: vetabat quenquam ciuem plus D iugeribus habere: noua constituebat portoria: nouis colonijs replebat prouincias: iudicia à senatu transferebat ad equites: frumentum plebi dari instituerat: nihil immotum, nihil tranquillum, nihil denique in eodem statu relinquebat, satis plane loquitur, non dicit, communicata inter equites, & senatores iudicia, sed à senatu ad equestrem ordinem translata, & idem infra. Tribunatum inijt M. Liuius Drusus: qui cum senatui priscum restituere cuperet decus, & iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos, atque innocentissimos viros sæuissent, tum P. Rutilium, virum non sæculi sui, sed omnis æui optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu ciuitatis damnauerant) in ijs ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit aduersarium, & infra. Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sylla ab illis ad senatum transtulerant, æqualiter inter vtrunque ordinem partitus est, hæc ille: quæ Pedianus in commentario diuinationis confirmat his verbis. C. Gracchus legem tulerat, vt equites Romani iudicarent, iudicauerunt per annos XL. sine infamia, post victor Sylla leges tulerat, vt senatorius ordo iudicaret: & iudicarunt per X. annos, turpiter, & in eodem commentario infra: Rutilium Rufum, quòd in Asia cum prætore suo consensisset, ne

publicani aliquid agerent in prouincia ſua equites Romani, qui tum iudicabant, damnarunt. Quòd ſi quis in tuenda Plutarchi cauſa ita pertinax eſt, vt Velleij, & Pediani teſtimonio ſtandum neget: vel quòd de ſolis equitibus non ſatis aperte loqui videantur, vel quod ipſi quoque falli, vt homines, alucinariq; potuerint: audiat Appiani verba: quæ, vt ego ſtatuo, Plutarchum manifeſte condemnant, is igitur libro primo ſic: M. Liuius Druſus tribunus pl. ſenatum, & ordinem equeſtrem, iudiciorum cauſa, quæ adempta ſenatui, & equitibus tradita fuerant, diſſidentes, lege conciliare, & ad concordiam perducere conatus eſt: itaque tulit ad populum, vt ad vtrunque ordinem cognitio cauſarum pertineret, ſed quoniam ob ſuperiorum temporum diſcordias numerus ſenatorum ad CCC. redactus erat; perſuaſit equitibus, vt de ſuo ordine totidem legerent, ne in iudicijs numero inferiores eſſent. Quid apertius? non enim tribus aut quatuor verbis rem obſcure ſignificat, ſed ita copioſe, ita non ambigue declarat, vt de illius ſententia dubitare, niſi qui nodum in ſcyrpo velit quærere, nemo poſſit, quid opus fuit, legem à Druſo ferri de communicandis inter duos ordines iudicijs, ſi quod ait Plutarchus, eiuſdem ſententiæ legem C. Gracchus ante pertulerat? ſpræſertim cum eam fuiſſe abrogatam, nemo dicat, accedit ad hæc Liuij teſtimonium: cuius in epitome lib. LXX. ſcriptum eſt, P. Rutilius vir ſummæ innocentiæ, qui legatus Q. Mucij pro conſule à publicanorum iniurijs Aſiam defenderat, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium miſſus eſt, & ibidem. Senatus, cum impotentiam equeſtris ordinis in iudicijs exercendis ferre nollet, omni viniti cœpit, vt ad ſe iudicia transferentur, & libro ſequenti. M. Liuius Druſus tribunus pl. legem tulit, vt æqua parte iudicia penes ſenatum & equeſtrem ordinem eſſent. Age, falſus teſtis Velleius, leuis Aſconius

Ap-

Appianus mendax, vanus & futilis Liuius: quid de Cicerone? an ipsum quoque præ Plutarcho nihil putabimus? nemo est opinor, qui non illum grauem, & certum veritatis auctorem ducat, præsertim in ratione iudiciaria; in qua ita versabatur, vt excelleret, quid igitur hic ait? ante bellum Italicum nunquam equites cum senatoribus iudicasse, quo patet, Gracchi legem de solis equitibus fuisse, verba ipsa recitabimus: ne nobis, quod aiunt, sine pignore credatur, in oratione pro C. Cornelio, cuius inter Pediani commentarios fragmenta quædam sunt, ita scriptum est: Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, hominem dijs ac nobilitati perinuisum, Cn. Pompeium causam lege Varia de maiestate dixisse. Cum primum, dicit, ex quo satis liquet, lege Gracchi, quæ multos ante annos lata erat, nullam in iudicijs equitum & senatorum societatem fuisse, quod ipsum interpræs eorum verborum Pedianus confirmat: adscribit enim hæc. M. Plautius Siluanus tribunus pl. Cn. Pompeio Strabone L. Porcio Catone cos. secundo anno belli Italici, cum equester ordo in iudicijs dominaretur, legem tulit adiuuantibus nobilibus, quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat, nam ex ea lege tribus singulæ è suo numero quinos denos creabant, qui eo anno iudicarent, ex eo factum est, vt senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe, & in ea pro Scauro. Reus est factus à Q. Seruilio Cæpione lege Seruilia, cum iudicia penes equestrem ordinem essent, non obscure significat solos equites iudicasse, quod & Pedianus demonstrat, qui subscribit hæc: Scaurus tanta fuit constantia, & animi magnitudine, vt Cæpionem contra reum detulerit, & breuiore die inquisitionis acceptæ, effecerit, vt ille prior causam diceret; Marcum quoque Drusum tribunum pl. cohortatus sit, vt iudicia commutaret, quid est, Iudicia commutaret? nempe id, quod

iam

iam ex Appiano recitauimus; ne solis equitibus iudicandi potestatem relinqueret. Eodemq; referenda sunt illa verba in Bruto: Equestrem ordinem C. Seruilius Glaucia beneficio legis deuinxerat. Sequor igitur libentius ego quidem auctorem in hac re Ciceronem, quàm Plutarchum primum, quòd in rebus Romanis homini potius Romano, quàm Græco, credendum est: deinde, quòd ab ætate C. Gracchi propius abfuit, quàm Plutarchus: postremo, quòd iudiciorum peritissimus cum esset, veteres leges minus ei cognitas fuisse verisimile non est. Atque hæc de Plutarcho nam locum in epitome Liuiana, ex quo videtur idem Liuio placuisse, mendosum libenter existimauerim: vt homini parcam alioqui Romanarum rerum peritissimo, iam enim, ante legem Plotiam nunquam cum senatoribus equites iudicasse, Cicerone teste, vt alia omittam argumenta, probatum est, & ipsum quoque Liuium idem sensisse, indicare videntur illa, quæ iam recitaui, ex epitome, lib. LXX. Venio ad Pedianum: qui & ipse non, vt Plutarchus, in genere iudicum, sed in legum ordine ac numero peccauit, is in commentario diuinationis ita scripsit: C. Gracchus legem tulerat, vt equites Romani iudicarent, iudicauerunt per annos XL. sine infamia, post victor Sylla legem tulerat, vt senatorius ordo iudicaret: & iudicauit per decem annos, turpiter, hæc, si legum sententiam consideres, vera sunt, nam & equites lege Gracchi, vt iam diximus, & senatores lege Syllæ iudicarunt, itaque eadem sunt à nobis supra recitata, vt probaremus illud contra Plutarchum de solis equitibus lege Gracchi iudicantibus, sin ordinem ac numerum legum spectes; falsa Pedianus narrat, non enim post legem Gracchi secuta proximè est lex Syllæ, sed lex Cæpionis, & deinde Drusi, post Siluani, postremo Syllæ. Drusi autem lege, quæ fuit eadem cum Cæpionis lege, eo ipso, quo lata est anno sublata, rursus lege Sempronia per annum soli equites iu-

di-

dicarunt, multos enim ab equitibus, lege Varia de maiestate accusatos, Appianus asserit esse condemnatos, anno post, successit Plotia: & Plotiam tum denique Syllæ lex consecuta, quare culpam Pediani, non video, qui liceat excusare; qui equites dicat lege C. Gracchi per annos XL. hoc est ad L. Syllæ dictaturam, iudicasse: cum tantum vsque ad eum annum soli ea lege iudicauerint, quo M. Plautius Siluanus tribunus pl. (legem enim Liuiam, quæ statim vt diximus, sublata est omitto) ad populum tulit, vt singulæ tribus quinos denos è suo numero crearent iudicorum causa, eosq; non vno ex ordine, sed ex omnibus, hoc est senatorio, equestri, ipsa plebe, quòd si generatim dixisset, nulla Gracchanæ legis mentione facta, equites per annos XL. iudicasse: vere dixisset, liceret enim intelligere, id quod res est, equites modo solos lege Gracchi, modo cum Senatu, atque etiam cum plebeis hominibus lege Plotia iudicasse, ad quam sententiam referendum est illud Ciceronis in II. in Verrem actione: Cognoscet ex me populus R. quid sit, quamobrem, cum equester ordo iudicaret, annos prope L. continuos nullo iudice equite Romano iudicante ne tenuissima quidem suspicio acceptæ pecuniæ ob rem iudicandam constituta sit, quo loco fortasse adductus est Pedianus, vt solos equites Gracchi lege vsque ad Syllam dictatorem iudicasse, crederet, qui cum exponit illud, Annos prope L. continuos, ait: Tanto enim fere tempore equester ordo lege Sempronia iudicauit: cum Cicero, vt opinio mea fert, equites quidem iudicasse dicat vsque ad Syllam dictatorem, non tamen de solis equitibus, vt Gracchi lex iusserat, sed & de solis equitibus primum, & mox de equitibus vna cum senatoribus, alijsq; etiam ex ipsa plebe iudicantibus significet: quod lege Plotia cautum erat. Pedianum autem satis apertè de vno ordine equestri, per annos XL. iudicante, locutum esse, tum ea, quæ proxime recitaui, verba demonstrant, tum etiam

illa

ctum esse S. C. aduersus L. Appuleium Saturninum tribunum pl. cum 36. anni à C. Mario L. Valerio Flacco cos. numerentur, sed hìc non subtilis computatio annorum facta est; verum summatim tempus compræhensum est: & perinde accipiendum, ac si dixerit, prope XL. annos, hæc enim consuetudo est ipsius Ciceronis, itaque in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, cum octauus decimus dies esset, postea quàm factum S. C. vt viderent consules ne quid Resp. detrimenti caperet, dixit: Vigesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis.

Præterea, cum senatores per 11. annos, hoc est ab eo anno, quo Sylla dictator est factus, ad Pompeij, & Crassi primum consulatum soli potestatem habuerint iudicandi; integrum tamen numerum Cicero ponit in II. in Verrem actione, ait enim sic. Omnia non modo commemorabuntur, sed etiam, expositis certis rebus, agentur, quæ intra X. annos, postea quàm iudicia ad senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefariè, flagitiosèq; facta sunt, quem Pedianus imitatus est, cum dixit, Senatorius ordo iudicauit per X. annos, turpiter, idem tamen, quòd intelligeret non plane X. annos fuisse, sed XI. quibus ordo senatorius iudicauit, alio loco dixit: Flagitante plebe iudicia equestris ordinis, quæ fere ante annos X. victor Sylla sustullerat. In eo certe nimis magnum Cicero numeri fecit incrementum, quòd eo, de quo meminimus, loco equestrem ordinem annos prope L. continuos iudicasse dixit: cum anni tantùm XLIII. fuerint, sed oratoriæ licentiæ datur, vt res in narrando plus interdum, quàm concedit veritas, efferatur, quanquam historici quoque, qui quidem arctioribus tradendæ veritatis legibus astringi videntur, id sibi iuris arrogarunt, nam Liuius, Vrbs, inquit, à Romulo viribus datis, tantùm valuit, vt in XL. deinde annos tutam pacem haberet, cum Numæ regnum intelligat, quod per annos XLIII. perpetua pace, durauit. Ter-

tius reſtat de tribus, quos propoſui, locus in Cicerone conſiderandus, nam cum in ea pro C. Cornelio dixerit, Lege Plotia primum ſenatores cum equitibus Romanis iudicaſſe; falſum hoc eſſe, poſſit aliquis obijcere; cum biennio ante M Liuius Druſus, quod Appiani verbis iam oſtendimus, legem tulerit, vt cum equitibus ſenatores pari numero iudicia tractarent. Reſpondemus: vtrunque verum eſſe; & lege Plotia primum ſenatores cum equitibus iudicaſſe; & Druſum tamen ante rogationem tuliſſe, vt cum equitibus ſenatores iudicarent, nam etſi lege Druſi ita ſancitum eſt: tamen, quod ea lex iuſſit, propterea non eſt obſeruatum, quòd eo ipſo anno L. Marcius Philippus conſul, inimicus Druſi, obtinuit à ſenatu, vt leges eius omnes vno S. C. tollerentur: itaque decretum eſt, contra auſpicia eſſe latas, neque ijs populum teneri, hoc tum à Pediano in commentario Cornelianæ, tum à Cicerone in lib. de legibus II. & in oratione pro domo ſua proditum eſt, vt omittam quod in Appiani notauimus hiſtoria, equites, Druſo interfecto, lege Gracchi iudicaſſe de ijs, quorum dolo malo bellum Italicum eſſe commotum diceretur, idq; ex ea lege, quam de maieſtate Q. Varius tribunus pl. eo anno rogauit, quo in nomine mendoſi ſunt ij, qui typis impreſſi veneunt, Appiani libri, nam, pro Q. Varius, habent Q. Valerius: cum legem illam de maieſtate non à Valerio, ſed à Vario latam eſſe, Valerius, Cicero pro C. Cornelio, & in Bruto, & Pedianus declarent. Venio nunc ad leges ipſas, quas X. nominaui, Sempronianam, Seruiliam, Liuiam, Plotiam, Corneliam, Vatiniam, Aureliam, Pompeiam, Iuliam, Antoniam: quibus de ſingulis ita nobis eſt agendum, vt, temporum ratione ſeruata, prima quæque cognoſcatur. Ante C. Sempronij Gracchi tribunatum ſoli ſenatores, vetuſtiſſima, vt opinor, Romuli lege, iudicabant, exceptis cauſis, in quibus de pecunijs ob iudicandum captis ageretur, nam de his ad equites quæ-

ſtio

ſtio pertinebat, idq; non antiquum fuiſſe, ſed tributum eſſe equeſtri ordini ætate Ti. Sempronij Gracchi, Tiberij, & Caij patris, qui etiam ſenatum, quòd id fieri paſſus eſſet, reprehenderit, cum futuras ex eo publicas diſcordias calamitateſque prædiceret; Appianus hiſtoriæ ſuæ lib. 1. ſcriptum reliquit. C. Gracchus, Tiberij filius, tribunus pl. Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Fannio Nepote cos. legem tulit, quam paucis ante annis frater eius Tiberius ferre conatus erat, vt equites ſoli iudicarent, ſic enim, contra quàm Plutarchus prodidit, ex Velleio, Pediano, Appiano, Cicerone ipſo probaui. Poſtea Q. Seruilius Cæpio conſul, qui deinde cum Cimbris male pugnauit, legem rogauit, vt cum equitibus, qui antea lege C. Gracchi ſoli iudicauerant, etiam ſenatores iudicarent, hanc tamen legem, quam & Caſſiodorus, & Obſequens, & Cicero ipſe latam ſignificant, non multo poſt eſſe abrogatam, ex eo ſuſpicor, quòd paucis poſt annis C. Norbanum, quo accuſante Cæpio damnatus erat, non ab equitibus, & ſenatoribus, ſed à ſolis equitibus eſſe iudicatum, Cicero lib. 2. de oratore declarat his verbis. Animos equitum Romanorum, apud quos tum iudices cauſa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, à quo erant ipſi propter iudicia abalienati, renouabam, atque reuocabam. Facit etiam mecum illa ratio, quòd, cum M. Liuius Druſus tribunus pl. Philippo, & Cæſare cos. legem tulerit, vt cum equitibus ſenatores iudicarent; quod proxime, cum de lege Liuia agetur, probabimus: manifeſtum eſt, ſolos equites ante Druſi tribunatum iudicaſſe. Præterea, ſcriptum eſt apud Ciceronem in oratione pro C. Cornelio, non ante legem Plotiam ſenatores cum equitibus iudicaſſe, at, legem Plotiam Pompeio Strabone, & Porcio Catone cos. latam eſſe, Pedianus docet, ex quo, legis Seruiliæ de communicandis inter equites, & ſenatores iudicijs nullam habitam eſſe rationem, ac ne Liuiæ quidem, quæ id ſanxit, facile eſt co-

gnoscere. Post Cæpionem M. Liuius Drusus tribunus pl. eius Drusi filius, quo tribuno pl. ad labefactandam C. Gracchi potentiam senatus vsus erat, L. Marcio Philippo, Sex. Iulio Cæsare cos. tulit ad populum, vt cum equitibus senatores causas cognoscerent, cuius legibus, Philippo consule referente, S. C. sublatis, in eundem, quo ante fuerat, statum re iudiciaria restituta, soli equites ex lege Gracchi iudicarunt. Anno deinde interiecto, M. Plautius Siluanus tribunus pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone cos. qui fuit annus belli Italici secundus, tulit ad populum, vt singulæ tribus è suo numero quinos denos, per annum iudicaturos, suffragio crearent, quo factum est, vt senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe. Post victor Sylla, dictator primus reip. constituendæ causa factus, infensus equitibus, quia pro Cinnanis partibus steterant, legem tulit, vt nemo, nisi qui senator esset, iudicare posset, quod ante C. Gracchi tribunatum fieri solitum esse, diximus. Sylla mortuo, quod ille sanxerat, per annos XI. seruatum est, hoc est, vsque ad Cn. Pompei, & M. Crassi primum consulatum: quo anno L. Aurelius Cotta prætor populum rogauit, populusq; iussit, vt tres ordines, senatores, equites, tribuni ærarij simul iudicarent, tametsi, & centurionibus aditum ad res iudicandas patuisse hac ipsa lege, & sequentibus Pompeia, Iulia censu tamen præfinito, Cicero docet in Philippica I. videtur autem Paterculus, nisi mendosi libri sunt, neque tempus neque sententiam huius legis perfectè nouisse; qui lib. II. legem à Cotta latam per id tempus significet, quo Gabinius tribunus pl. rogationem tulit vt Pompeius contra piratas summo cum imperio mitteretur, quod falsum esse constat, nam Gabinius biennio post Pompei consulatum, hoc est Pisone & Glabrione cos. eam legem tulit, quod & Velleius ipse asserit, & inde facile licet existimare, quòd, absoluto bello piratico, statim C. Manilius

nilius tribunus pl. tulit ad populum, vt Mithridaticum bellum Pompeio mandaretur, id Plutarchus, Velleiusq; confirmant. Maniliam autem legem Cicerone prætore latam esse, luculenta ipsius oratio declarat, porro autem Ciceronem gessisse præturam Lepido & Tullo cos. qui fuit annus post Pisonis & Glabrionis consulatum proximus, quis est qui ignoret? testem habemus Pedianum: vt alia, quæ facile probarent, argumenta prętermittam, tulit igitur de piratico bello rogationem Gabinius tribunus pl. Pisone & Glabrione cos. at Cotta, cum rogationem de iudicijs eo anno tulerit, quo designatus ædilis Cicero Verrem accusauit, defendente Hortensio consule designato; plane videtur eo anno tulisse, quo Pompeius & Crassus consules fuerunt, quod apertè Dio narrat. Hoc de tempore. Quod ad sententiam attinet; non video, qui probari possit id, quod idem narrat, Cottam iudicandi munus inter equites & senatum æqualiter esse partitum: cum, eam potestatem non his modo, sed præterea tribunis ærarijs esse permissam sexcenti loci demonstrent, nisi forte illud (libenter enim tueor antiquitatem) Aequaliter inter vtrunque ordinem partitus est, ideo Paterculus dixit, vt significaret non solum senatum, vt antea, sed equestrem pariter ordinem, post legem Aureliam iudicasse: vt ærarios tribunos, qui deinde cum senatoribus & equitibus iudicarunt, etsi non nominauit, non tamen excluisse videatur, quo modo & Ciceronem lib. V. in Verrem locutum videmus, ait enim, cum Cottæ legem significet. Iudicium de iudicibus, & de te futurum est, at quo tempore futurum est? nempe eo, cum populus R. aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res iudicandas requirit, nempe ea lege de iudicijs iudicibusq; nouis promulgata. Alium ordinem dixit, cum tamen non vno de ordine, sed de tribus, hoc est, de senatoribus, equitibus, tribunis ærarijs in ea lege mentio fieret. Eodemq; modo, cum censorum iudicia rescissa esse

iudi-

iudicum ſententijs', ſignificare vellet, in oratione pro Cluentio locutus eſt. Senatores inquit, equiteſq; Romani in compluribus iam reis, quos contra leges pecunias accepiſſe ſubſcriptũ eſt, ſuæ potius religioni, quàm cẽſorũ opinioni, paruerunt, & in Diuinatione: Iudiciorũ leuitate ordo quoque alius ad res iudicandas poſtulatur. Pedianus etiam in commentario II. orationis in Verrem, Cottam, inquit, prætorem ſignificat, qui legem promulgarat de reſtituendis equeſtri ordini iudicijs, cum tamen Cottæ lex non de vno equeſtri ordine, ſed de ſenatoribus, equitibus, tribunis ærarijs mentionem faceret. Plutarchus etiam in Pompeio iudicia ad equites ait eſſe translata: cum tamen lege Cottæ inter tres ordines eſſent communicata. Quòd ſi quis putat in vno ordine, quem Cicero ad res iudicandas requiri ſignificat, ſimul cum equitibus tribunos ærarios intelligi; opinione fallitur, nam ſenatores, equites, tribuni ærarij, non ordines duo, ſed tres à ſcriptoribus antiquis appellantur, itaque Pedianus in commentario Corneliane, L. Cotta inquit, lege ſua iudicia inter tres ordines communicauit, ſenatum equites, tribunos ærarios: & in commentarijs duarum orationum, in Piſonem, in extremo; pro Milone, in principio. Lex Vatinia ſecuta eſt, tulit enim eam, vt opinor, P. Vatinius tribunus pl. Cæſare & Bibulo coſ. qua ſententia, nondum inuenire potui: ſed fuiſſe popularem, cum Vatinius ſenatum, ſenatus illum vehementer oderit, facile poſſum exiſtimare. Lex Pompeia, quam tulit Cn. Pompeius Magnus in conſulatu II. nihil ab Aurelia de tribus ordinibus diſcrepabat (nam poſtea de tribus ordinibus iudicantibus exempla multa ſunt, maximeq; apud Pedianum) ſed ex ampliſſimo cenſu, è centurijs legi iudices iubebat. Iulia, quam C. Iulius Cæſar, rerum potitus, tulit, iudicia ad duo genera iudicum redegit, equeſtrem ordinem, ac ſenatorium; tribunos ærarios quod erat tertium, ſubſtulit. Antonia conſularis, M. Antonij

tonij, qui III. vir fuit, hoc sanxit, vt ad duas iudicum decurias accederet tertia è centurionibus, hoc est, vt cum equitibus, & senatoribus (tertium enim ordinem, tribunos ærarios lex Iulia sustulerat) centuriones iudicarent, quod genus hominum ne superiores quidem leges, Iulia, Pompeia, Aurelia, iudicandi iure excluserant, sed præscripserant, quo censu eos esse oporteret: sicuti senatoribus quoque, & equitibus, & tribunis ærarijs census erat præfinitus: cum in iudice, vt ait Cicero, & fortuna spectari deberet, & dignitas. Antonij vero lex plus æquo impudens & dissoluta, quæ rationem census nullam habuit, omnibus, quicunque ordinem duxissent, iudicandi potestatem permisit, atque hanc Antonij legem de tribus decurijs non esse abrogatam, cum ille hostis iudicarue[illegible] cum eiusdem legem de sacerdotijs abrogatam esse supra docuerim, è Suetonio cognoscitur: qui in Augusto ita scripsit: Ad tres iudicum decurias quartam addidit, ex inferiore censu, quæ ducenariorum vocaretur, iudicarent q; de leuioribus summis. Hæc de ordine iudiciorum, pro varijs legibus, vario. De numero autem iudicum, lex Gracchi CCC. fecit, omnes ex equestri ordine, totidem, quot antea Senatores iudices fuerant: lex Drusi CCC. equites, & CCC. Senatores, numero pari: lex Plautij DXXV. iussit enim è singulis tribubus quæ XXXV. erant, quinos denos creari: lex Syllæ CCC. omnes ex ordine senatorio, lex Aurelia cum lege Syllæ de numero, vt opinor, congruebat, cum in ordinibus discreparet, nam libro epist. fam. VIII. de iudicibus CCC. cum lex Aurelia seruaretur, mentionem fieri video, quod si ita est: auctum deinde numerum esse lege Pompeij, vere dicemus: quia Velleius auum suum inter CCCLX. à Pompeio lectum esse narrat, eundemq; numerum Plutarchus in Pompeio tradidit, lex Cæsaris, cum de tribus ordinibus vnum, vt diximus, sustulerit; numerum simul iudicum, vt ego sentio,

tio, commutauit, lex Antonij cum tertiam decuriam addiderit; satis liquet, eorum, qui res iudicarent, ampliorem numerum esse factum, quem rursus & ab Augusto esse auctum, cum ad tres decurias quartam addidit, facile cognoscitur. De iudicum ætate legem fuisse, ne quis intra XXX. ætatis annum iudicaret, facile possum ex eo conijcere, quòd Suetonius de Augusto scripsit: Iudices à XXV. ætatis anno elegit, ideſt, quinquennio maturius, quàm solebant. Callistratus quidem iurisconsultus, lege Iulia cautum esse, ait, ne minor annis XX. iudicare cogeretur, ne ve minorem annis XX. compromissarium iudicem liceret eligere. Sanxit idem eadem lege, vt opinor, de numero patronorum, nam ante L. Domitij Ahenobarbi, & Ap. Claudij Pulchri consulatum raro quisquam pluribus, quàm quatuor, patronis vsus erat, his consulibus M. Scaurum, de repetundis accusatum, sex defenderunt, eoq; progressa res est, vt eadem causa post bella ciuilia non nunquam à duodecim patronis ageretur, cui licentiæ, vt in Pediano scriptum est, C. Cæsar dictator lege modum imposuit. Et fortasse idem Cæsar, qua in lege de numero patronorum, in eadem tulit de ratione iudicandi: quod Gellius lib. XIIII. cap. II. significare videtur his verbis: Atque in rerum quidem diffissionibus, comperendinationibusq; & alijs quibusdam legitimis in rebus ex ipsa lege Iulia, & ex Sabini Massurij, & ex quorundam aliorum iuris peritorum commentarijs commoniti sumus. Legimus etiam apud Priscianum de lege Lætoria, quæ minorem annis XXV. stipulari vetabat. De diebus quoque iudiciarijs leges nominat Vlpianus his verbis: Si feriatis diebus fuerit iudicatum; lege cautum est, ne ijs diebus iudicatum sit, nisi ex voluntate partium: & quod aliter aduersus ea iudicatum erit, ne quis iudicatum facere, ne ve soluere debeat: ne ve quis, ad quem ea de re aditum erit, iudicatum facere cogat. In hoc ordine

locum habent leges illæ, quæ & de personis, quæ facinus iudicare possent, & de causis, in quibus possent, tum de iudicijs, deq; testimonij dicendi potestate agebant. Ac primum illud ponatur, legibus eos iure iudicandi exclusos non esse, quos ignominia censores notassent; id Cicero significat his verbis in oratione pro Cluentio. In omnibus legibus, quibus exceptum est de quibus causis aut magistratum capere non liceat, aut iudicem legi, aut alterum accusare, hæc ignominiæ causa prætermissa est, timoris enim causam, non vitæ pœnam, in illa potestate esse voluerunt, & ibidem paulo post Prætores vrb. qui iurati debent optimum quenque in selectos iudices referre, nunquam sibi ad eam rem censoriam ignominiam impedimento esse duxerunt, postea tamen inductum lege Iulia, vt senatu moti iudicare non possent, quod & lege Cassius, de senatoribus, traditum est, & Paulus quoque, vt proxime docebimus, significat. Turpi autem iudicio damnatis ademptam esse iudicandi potestatem, idem Cicero in eadem oratione, paulo ante, demonstrat. Quòd si, inquit, illud iudicium putaretur: vt cæteri, turpi iudicio damnati, in perpetuum omni honore, ac dignitate priuantur; sic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus esset, turpia vero, famosaq; iudicia erant, calumniæ, præuaricationis, furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo, pro socio, mandati, tutelæ, depositi, & alia quædam à Iuliano memorata digest. lib. III. Famosos etiam, non minus, quàm qui turpi iudicio damnati essent, Pegasus & Nerua filius eos iudicarunt, qui quæstus causa in certamina descendissent, aut propter præmium in scenam prodijssent, athletas autem, quia ludicram artem non facere, sed virtutis gratia exerceri viderentur, infamia liberabant Sabinus & Cassius, quæ scripta sunt apud Vlpianum. Præterea, cum ab eodem ita traditum sit lib. digest. XLVIII. qui iudicio

publico damnatus esset, eum ius accusandi non habuisse, nisi, si libertorum, vel patronorum suorum mortem, vel rem suam exequeretur, consentaneum videri potest, eundem iudicandi munere exclusum, quinquam ad rationem accedit auctoritas, nam ita scriptum postea comperi apud Marcellum iurisconsultum. Omnes etiam de vi priuata damnatos iudicare lex Iulia prohibebat, qua de re Martianus his verbis lib. dig. XLVIII. De vi priuata damnati pars tertia bonorum ex lege Iulia publicatur: & cautum est, ne senator sit, aut decurio, aut vllum honorem capiat ne ve in eum ordinem sedeat, ne ve iudex sit. Huc illa pertinent, quæ tradita sunt à Paulo iurisconsulto: quæ seruata credimus etiam Reip. temporibus, nihil enim à iure, aut æquo dissentiunt. Quidam, inquit, lege impediuntur, ne iudices sint; quidam moribus, quidam natura; natura, vt surdus, mutus, & perpetuo furiosus, & impubes, quia iudicio carent: moribus, vt fœminæ, & serui, non quia non habeant iudicium; sed quia receptum est, ne ciuilibus fungantur officijs: lege, qui senatu motus est, qui vero possunt esse iudices, nihil interest, in potestate, an sui iuris sint. Cum iudicibus recte coniungentur testes, itaque subscribemus ea, quæ de testimonio dicendo idem Paulus tradidit. Lege, inquit, Iulia, & Papia iudiciorum publicorum cauetur, ne cui inuito denuncietur, vt testimonium dicat aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum. Cassius etiam Longinus; cuius libri non extant sed eorum testimonio Martianus digestorum lib. I. vtitur; putabat, ei, qui ob turpitudinem senatu motus, nec restitutus esset, non licere neque iudicare, neque testimonium dicere: quia lex Iulia repetundarum ea fieri vetaret. Calumniæ damnatis publico iudicio quid licuerit, satis aperte Papiniani præclara sane verba demonstrant. Quæsitum, inquit, scio, an in publicis iudicijs calumniæ damnati testimonium iudicio publico perhibere possint, sed

neque

neque lege Rhemmia prohibentur; & leges Iuliæ de vi, repetundarum, peculatus eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt, veruntamen, quod legibus omiſſum eſt, non omittetur religione iudicantium: ad quorum officium pertinet, eius quoque teſtimonij fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere. Mulieribus quoq; videtur licuiſſe teſtimonium dicere: ſiquidem, non licuiſſe de adulterio damnatis, Paulus indicat his verbis: Ex eo, quòd prohibet lex Iulia de adulterijs teſtimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur, etiam mulieres teſtimonium in iudicio dicendi ius habere. Dictum eſt de iudicio, & teſtimonio: ſupereſt de indicio. Senatori indicium profiteri ſaluis legibus non licebat, alijs impunitas dabatur, nec tamen omnibus in cauſis, ſed proditionis, maieſtatis, & ſi quid huiuſmodi: in cauſa repetundarum non dabatur: itaque nec per indices agi ſolitam eſſe legimus. Non eſt ab hoc genere aliena Memmia lex; quæ eorum, qui reip. cauſa abeſſent, recipi nomina vetabat, itaque C. Cæſar, cum in prouinciam, peracto conſulatu, abijſſet, & ab L. Antiſtio tribuno pl. Romæ appellatus eſſet, appellato collegio obtinuit, cum reip. cauſa abeſſet, reus ne fieret, at M. Antonius, ille diſertus, L. Craſſi æmulus in oratoria laude, cum, quæſtor in Aſiam proficiſcens, Brunduſium iam peruenisſet; litteris certior factus, inceſti ſe poſtulatum apud L. Caſſium prætorem, cuius tribunal, propter nimiam ſeueritatem, ſcopulus reorum putabatur, legis Memmiæ beneficio vti noluit; ne ſibi male conſcius videri poſſet; ſtatimq; in vrbem recurrit, &, cauſa dicta, abſolutus eſt, hanc legem Cicero ſignificat in oratione in Vatinium, cum ait: Cum tibi, vtrum velles, liceret, poterat enim Vatinius, cum legatus eſſet, iudicium recuſare, quod ei per legem Memmiam licebat. Cur igitur, inquit, Ciceron, cum legationis perfugio, quod lex Memmia tibi dabat, vti nolueris; poſtea, ne cauſam diceres, tribunos

pl. appellasti? Non abhorret à legibus de iudicijs lex illa, quam C. Calpurnio Pisone M. Acilio Glabrione cos. C. Cornelius tribunus pl. tulit, vt prætores ex edictis suis perpetuis ius dicerent: cum antea, vt quisque auaritia, aut ambitione ducebatur, variè ius dicere consuessent. In iure ciuili & coniugia sunt: de quibus illa fuit admodum præclara lex, quam à Romulo latam Dionysius, & Plutarchus prodidere, vt vxor viro pecuniarum sacrorumq; omnium esset socia, eiq;, si sine liberis, & intestato diem obijsset, hæres esset; sin filios reliquisset, æqualem cum ijs partem possideret: quæ si aduersus virum delinqueret, vir ipse cum propinquis eam iudicaret, &, si aut impudica fuisset, aut venefica in liberos suos, aut etiam vinum ebibisset, (hæc enim omnia Romulus capitalia esse voluit) morte multaret, vel si mallet, diuortium faceret, quòd si quis alia de causa vxorem repudiasset; eius bonorum partem ad vxorem pertinere, partem vero Cereri sacram esse iussit, Dijs porro inferis, qui diuortium faceret, sacrificare voluit, ita probas mulieres, & viro obsequentes, tum præmio, tum pœna Romulus affecit, quæ lex ad matrimonij concordiam ita valuit, vt per annos DXX. nullum diuortium in vrbe fuerit, mores enim ad ingenium viri vnaquæque fingebat, eiq; in omnibus rebus morigera fidem officiumq; præstabat. Legem etiam video fuisse, illam quidem paulo seueriorem, sed ad augendam viribus ciuitatem vtilissimam, vt quicunque per ætatem vxorem ducere possent, omnes ducerent, quæq; genita essent, educarent, qua lege factum est, vt maximis cladibus ciuitas affecta, præsertim secundo Punico bello, nunquam tamen penitus exhauriretur, sed nouos semper exercitus summitteret, adeo, vt extremis illius belli temporibus, post multas legiones occidione cæsas, tamen supra C millia ciuium Romanorum in armis fuerit. Post Romulum Numa quiddam lege sanxit, quod ad tuendam matrimonij fidem

ac

ac religionem pertinuit, scripsit enim hæc in pellices; quæ legimus in Gellio. Pellex ædem Iunonis non tangito, si tangit; Iunoni crinibus demissis, agnum fœminam cædito. Fuit illa quoque lex de coniugijs, quam in XII. tab. X. viri scripserunt, ne patricijs liceret cum plebe connubio iungi, quod eo consilio factum est, ne per nuptias reconciliati ijsdem animis contra X. viros, qui deponere imperium nolebant, pro libertate consentirent, quam legem paucos post annos C. Canuleius tribunus pl. abrogauit, lege lata, vt patrum & plebis promiscua connubia essent, in quo tamen patres acerrimè repugnarunt; qui contaminari sanguinem suum, confundi iura gentium ea rogatione arbitrabantur; cum tamen ad ciuium concordiam, in qua ciuitatum sita salus est, nihil esset vtilius. Legem etiam video fuisse, ne libertinam ingenuus, aut libertinus ingenuam vxorem duceret, nam S. C. Hispalæ Feceniæ libertinæ concessum esse scribit Liuius, vt ei nubere ingenuo liceret, quo patet, libertinis cum reliquis ciuibus connubia non fuisse. Postea lege Papia cautum est, vt omnibus ingenuis, præter senatores, eorumq; liberos, vxores libertinas habere liceret, hoc Iulianus: addit Vlpianus: Si senator libertinam habuerit vxorem; quamuis interim vxor non sit, attamen in ea conditione est, vt, si amiserit dignitatem, vxor esse incipiat. Et Paulus ex lege Iulia subiungit: Qui senator est, quive filius, nepos, proneposve, ex filio, vel ex filia natus; cuius eorum est, erit ve, ne quis eorum sponsam, vxorem ve sciens dolo malo habeto libertinam, aut eam, quæ ipsa, cuius ve pater, mater ve artem ludicram facit, fecit ve: ne ve senatoris filia, neptis ve, ex filio, proneptis ve ex nepote, filio nato, nata, libertino, ei ve, qui ipse, cuius ve pater, mater ve artem ludicram facit, fecit ve, sponsa, nupta ve sciens dolo malo esto. Propterea reprehendit in orationibus Cicero M. Antonium, qui libertini hominis,

Q. Fadij, filiam vxorem duxerat. Non omittendum quod apud Calliſtratum legimus; V. legibus mulieris damnatæ dotem publicatam, maieſtatis, vis publicæ, paricidij, veneficij, de ſicarijs. Nunc agamus de iure ac libertate ciuium R. quo de genere primum Sacratis legibus, deinde XII. tab. ſanctum eſt, vt neque priuatis hominibus leges irrogarentur, hoc eſt, ne priuilegia ferri poſſent, nec de capite ciuis, niſi comitijs centuriatis, rogari liceret, quod vtrunque memorat Cicero in oratione pro Sextio, & in ſuas leges lib. de legib. III. tranſtulit. Legem autem de prouocatione ad populum ter à Valeria familia latam animaduerti; ſed tertio M. Valerius conſul diligentius eam ſanxit, adſcripta pœna, ſi quis eum, qui prouocaſſet, virgis cecidiſſet, ſecuri ve necaſſet, at qua pœna? hac vna, improbè feciſſe, ea tum probitas erat, vt ignominia non minus, quàm acerbiſſima pœna, timeretur. Poſtea lex Porcia, quam fortaſſe M. Porcius Cato, ille maior, in conſulatu tulit; etſi neque Plutarchus in eius vita, neque alius, quod meminerim, vllam mentionem facit; ne ciuem Romanum verberari, necari ve liceret; ſi quis feciſſet, graui pœna puniretur, qua in ſententia leges alias deinde ſcriptas eſſe, ſignificat in coniuratione Catillinæ Saluſtius, cum ait: An, quia lex Porcia vetat? at aliæ leges item condemnatis ciuibus non animam eripi, ſed exilium permitti iubent, propterea videmus in criminum ſuſpicione ſeruos ad eliciendam veritatem torqueri ſolitos eſſe, cum de liberis hominibus quæſtionem haberi leges vetarent, quo fiebat, vt ij, qui aliquid ſupplicio dignum commiſerant, ſeruos, ſi quos eius culpæ participes, aut conſcios habebant, ſtatim liberarent, liberos enim torqueri ſciebant non licere, quod cum magiſtratus, qui iudicio præerat, antequam fieret, ſuſpicaretur, mittebat ad eum, cuius nomen delatum erat, vt ſeruos in ſua poteſtate haberet, (ſic enim loquebantur) hoc eſt, ne manumitteret;

cum

cum eos ad confitendam veritatem tormentis cogi vellet, hinc illud apud Liuium lib. VIII. Eo anno Minucia Vestalis suspecta primo propter mundiorem iusto cultum, insimulata deinde apud pontifices ab indice seruo, cum decreto eius iussi esset sacris abstinere familiamq; in potestate habere, facto iudicio viua sub terram ad portam Collinam dextra via strata defossa Scelerato campo, cum enim pontifices fore suspicarentur, vt Minucia, indicium metuens, seruos, à quibus prodi posset, manumitteret; habere eam in potestate familiam iusserunt, ideo & Pedianus in commentario orationis pro Milone, Pompeium ad Milonem significat misisse, vt quosdam seruos, quorum opera in occidendo Clodio vsus esse dicebatur, in potestate sua haberet: Milonem respondisse, ex ijs seruis, quos nominasset, partim neminem se vnquam habuisse, partim manumisisse, postea quoque lege Iulia Augusti cautum est, ne serui vxoris adulterij accusatæ intra LX. dies manumitterentur: idemq; in seruis patris eius constitutum, de quo apud iurisconsultos. Tulit, & C. Gracchus tribunus pl. ne de capite ciuium Romanorum iniussu populi iudicaretur, qua de lege, miror, cur neque Plutarchus, neque Paterculus, neque Liuius, cum Gracchi cæteras leges commemorarent, verbum vllum fecerint. Fuerunt hoc de genere & illa, quæ ad moderanda iudicia legibus esse constituta, significat Cicero in oratione pro domo sua: ne pœna capitis cum pecunia coniungeretur: ne nisi prodicta die quis accusaretur: vt ante magistratus accusaret intermissa die, quàm multam irrogaret, aut iudicaret: vt esset accusatio trinum nundinum, pro dicta die, qua iudicium esset futurum, repentina enim accusatione reos opprimi, iniquum, & graue visum est.

Fuere & de sepulcris leges: quorum iura Romanis sacra fuisse, antiquæ legis illa verba declarant: Vbi corpus demortui hominis condas, sacer esto: & illa; Ne quis vestibulum

bulum aditum ve ad sepulcrum vsu capito, neu busium violato: & illa; Deorum manium iura sancta sunto, quod & postea seruatum esse, irrogata violantibus pœna, posteriores iurisconsulti Vlpianus, Paulus, Caius tradiderunt. In vrbe sepeliri, neque ante XII. tab. vsitatum fuit, & deinde lex ipsa XII. tab. vetuit his verbis: In vrbe ne sepelito, ne ve vrito, id autem opinor, tum vt ab oculis viuentium cadauera, quæ mœstitiam animis inferunt, quamprimum amouerentur; tum ne cœlum illud vrbanum, vnde proximè spiritus duceretur, tetro putrescentium corporum nidore corruptum, pestem aliquam importaret, quod autem à docto, & diligenti viro scriptum est, ante XII. tab. consuetudinem fuisse, vt intra vrbem mortui sepelirentur: id referri videtur à Cicerone, qui lib. II. de legibus ita scriptum reliquit. Credo fuisse aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, vt Poplicolæ, vt Tuberto; quod eorum posteri iure tenuerunt; aut eos, si qui hoc, vt C. Fabricius, virtutis causa soluti legibus, consecuti sunt, plane significat, etiam ante XII. tab. intra vrbem sepeliri non licuisse: siquidem Poplicolæ, & Tuberto virtutis causa tributum est, quod ipsum & Dionysius confirmat, & Plutarchus in Poplicola, his fere verbis, aut certe hac sententia: Decretum est, vt intra vrbem iuxta Veliam sepeliretur, vtiq; eius posteris idem ius esset: qui tamen ætate nostra eo iure non vtuntur: sed vbi quis de genere Valerio mortuus est, cadauere in eum locum, vbi Poplicola sepultus est, delato, extollitur accensa fax; deinde eadem demittitur, quo genere quandam vetusti iuris imaginem ostendunt: vt perspicuum sit, eo se, si velint, vti posse. Seruius quidem, vbi exponit illud Virgilij, Aen. lib. XI. Finitimos tollunt in agros, vrbiq; remittunt, Duilio consule primum à senatu decretum esse ait, ne quis in vrbe sepeliretur, quod imperatores quoque Adrianus, & Antoninus Pius renouarunt: & fuisse hanc veterem con-

consuetudinem, patet in l. mortuorum, C. de religiosis, & sumptibus funerum. Datum etiam decreto senatus ijs, qui triumphassent, vt, cũ eorũ corpora extra vrbẽ cremata essẽt, in vrbẽ ossa & cineres referrentur, humiq; mandarentur, hoc Pyrrhonem Lyparæũ scripsisse tradit Plutarchus in libro Romanarũ rerum. Sumptũ in mortuis, & lamentationem XII. tab. sustulerunt, quo vtrunque in genere stultè nimis, & pueriliter hodie peccatur, cætera, quæ scripta sunt in XII. tab. quæ ad hoc genus pertinent, quia lib. II. de legibus à Cicerone commemorantur, huc transferre non necesse duximus, illa, quæ ab alijs scripta obseruauimus, de sepulcrorum ratione adscribemus: ac primum hoc, in agris sepulcra fuisse; in agri venditione, iura tamen sepulcrorum penes eum, qui venderet, remansisse; eumq; sibi tantùm agri in venditione excepisse, quantum adeundo sepulcro satis esset: quod qui non faceret, ei summo probro, ac turpitudini fuisse, vnde illud in oratione Ciceronis pro Roscio Amerino: Cui de tanto patrimonio ne iter quidem ad sepulcrum patrium relictum est, hac autem ipsa de re Pomponius iurisconsultus ita scripsit: Dominis fundorum, in quibus sepulcra fecerint, etiam post venditos fundos adeundorum sepulcrorum ius est, tum igitur in agris, tum iuxta militares, vel publicas vias, vel cadauera, vel, si cremata essent, cineres condebantur, nam & sepelliendi cadaueris, & cremandi consuetudinem fuisse, indicat illud in XII. tab. In vrbe ne sepelito, ne ve vrito, & illud, quod in II. de legibus scripsit Cicero: P. Cornelium Africanum sepultum esse, L. Cornelium Syllam primum è Cornelijs cremari voluisse. Sepeliri autem antiquius fuisse, quàm cremari, Plinius lib. VII. cap. LIIII. declarat his verbis: Ipsum cremari, apud Romanos non fuit veteris instituti, terra condebantur, at, postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum, & tamen multæ familiæ priscos seruauere ritus; sicut in Cor-

nelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus, idq; voluisse veritum talionem, eruto C. Marij cadauere, hæc Plinius: cui, quod ante XII. tab. in more fuerit, id vetus non videri, mirum est. Cremandi consuetudo vsque ad Antoninorum imperatorum ætatem perdurauit, rursus terra condi cœptum est. Illud ex Festo Pompeio scitu dignum, ante, quàm cadauer ad pyram deferretur, digitum abscissum esse; vt, reliquo corpore perusto, ad eum iusta fierent. Cadauere pyræ impositio, qui propinquitate mortuo deinctus arctissime fuerat, is auersus rogo facem accensam inferebat. Legimus, & illud, maiores natu, ad tubas; minores, ad tibias, ad sepulcrum esse delatos; qui vero claris maioribus orti essent, his eorum imagines in funere prælatas, addit Seruius Honoratus, ante sepulcrum aram fieri solitam, quod & Cicero in epist. ad Att. significat, tametsi non aram modo, sed fanum filiæ mortuæ cogitabat. Signum hominis sepulti non vnum fuit, nam & lapis, & tegula, & cespes, & tumulus, & cippus sepulturæ locum indicabant. De fœnore leges multæ fuerunt ad auaritiam coercendam, vnam Liuius lib. VII. nominat; quam C. Marcio, Cn. Manlio cos. duo tribuni pl. M. Duilius, L. Menenius de vnciario fœnore tulerunt, & aliquot post annos tulisse ad populum L. Genucium tribunum pl. ne fœnerari liceret, idem Liuius à quibusdam proditum esse tradit, sed: vt est hominum genus lucri appetens; cum via fraudis inita esset, vt in socios, qui non tenebantur ijs legibus, nomina transcriberentur, M. Sempronius tribunus pl. L. Cornelio, Q. Minucio cos. legem tulit, vt cum socijs, ac nomine latino pecuniæ creditæ ius idem, quod cum ciuibus Romanis esset. De creditis pecunijs, ob vnius fœneratoris libidinem, & crudelitatem, qui nexum debitorem formosum adolescentem, de stupro recusantem, verberibus lacerauerat, C. Petilius, L. Papilius Mugillanus lege sanxerunt, ne quis, nisi noxam meruisset, donec

pœnam

pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esse, idem à posterioribus imperatoribus sancitum. Fœneratores autem olim quadrupli, fures dupli condemnatos, ex quo patet peiorem apud veteres habitum fœneratorem, quàm furem, apud Catonem in lib. de re rust. scriptum est. Licinia consularis, à L. Licinio Lucullo Asiæ proconsule ad leuandam ære alieno prouinciam lata, primum sanxit, ne supra centesimam iure fœnoris solueretur: deinde, ne maiores essent vsuræ, quàm quibus veteri iure pecuniæ antea credebantur: postremo, in quo debitoribus consultum est maximè, ne creditoribus à debitore fœnoris nomine plus liceret accipere, quàm quanta fructuum creditoris quarta pars esset. Sunt & illæ duæ de iure ciuili, Cæcilia Didia, Iunia Licinia, vtraque consularis. Cæciliam Didiam tulerunt Q. Cæcilius Metellus, T. Didius cos. anno ab V. C. DCLV. Iuniam autem Liciniam D. Iunius Silanus, L. Licinius Murena cos. anno ab V. C. DCXC. nam & Cicero eam consularem videtur agnoscere, cum ad Cæciliam Didiam adiungat: &, latam, Ciceronis ætate, indicant illa verba in oratione V. in Antonium: Vbi pœnæ recenti lege Iunia, & Licinia? De Cæcilia Didia primum illud pono, quod video minus esse animaduersum; ab his consulibus non vnam legem, sed duas diuersa sententia esse latas, id ego, cum Ciceronis loca contulissem, diligenterq; considerassem, facile potui conijcere, nam in oratione pro domo sua ita scripsit: Quæ est quasi alia vis, quæ sententia Cæciliæ legis, & Didiæ, nisi hæc, ne populo necesse sit in coniunctis rebus complurибus, aut id, quod nolit, accipere, aut id, quod velit, repudiare? quibus verbis hanc Cæciliæ Didiæ sententiam fuisse constat, ne diuersis de rebus lex ferretur, at in eadem oratione de alia Cæcilia Didia mentionem fieri, ex ea re, de qua Cicero loquitur, intelligo, loquitur autem de tri-

nundino, quod in feruanda lege ferebatur, & M. Drusi leges, quòd in ijs ferendis trinundini habita ratio non esset, sublatas à senatu significat, verba sunt hæc: Hora fortasse sexta quæstus sum in iudicio, cum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quædam de rep. quæ mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere, hæc homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque à me dicta erant, detulerunt, hora nona illo ipso die tu es adoptatus, si, quod in cæteris legibus trinunundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum: nihil reprehendo, sin eadem obseruanda sunt, vt decreuit senatus M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam, & Didiam latæ essent, populum non teneri: iam intelligis, omni genere iuris, quod in sacris, quod in auspicijs, quod in legibus sit, te tribunum pl. non fuisse? Quid? illa, quæ scripta sunt in oratione V. in Antonium, non ne satis aperte declarant, legem Liciniam de tempore sanxisse, quod in ferenda lege seruari oporteret? quæ, quo res pateat illustrius, placet recitare. Tulerunt, inquit, tribuni pl. de prouincijs contra acta Cæsaris, ille biennij, iste sexennij, num etiam hanc legem populus R. accepit? quid? promulgata fuit? quid? non ne ante lata, quàm scripta? non ne ante factam vidimus, quàm futuram quisquam est suspicatus? vbi lex Cæcilia, & Didia? vbi promulgatio trinundinum? vbi pœnæ recenti lege Iunia, & Licinia? quo in loco quia Cæciliam Didiam cum Iunia Licinia coniungit, quæ ijs, qui trinundinum non seruassent, pœnas irrogabant; propterea lib. II. epist. ad Att. vbi Cæciliæ Didiæ pariter & Iuniæ Liciniæ mentio simul fit, de hac Cæcilia Didia, quæ tempus legum latoribus definiebat, non de illa, quæ diuersis de rebus legem ferri vetabat, opinor intelligendum. Nunc de Iunia Licinia agamus, hæc non plane video, quid sanxerit, nam, quod aiunt nonnulli, eam, festis diebus cum populo agi, aut legem aliquam promulgari, ve-

tuisse:

fuisse: id à quo libro didicerint, non inuenio, nemo enim ex ijs, quorum scripta æreis typis diuulgata circunferuntur, id memoriæ mandauit, &, vt aperte meam sententiam pronunciem, quam peritiores iudicabunt; vereor ne, quicunque ille fuit, ex ijs verbis, quæ sunt in oratione pro Sextio, inductus sit in errorem, sunt autem hæc. Ijsdem consulibus sedentibus, atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent; ne quis obnunciaret; ne quis legi intercederet; vt omnibus fastis diebus legem ferri liceret; vt lex Aelia, lex Fusia ne valeret, que non ad Iuniam Liciniam, sed ad Fusiam pertinent. Fusia enim non omnibus diebus fastis, sed ijs tantum, qui comitiales essent, leges ferri iubebat, quod iam antea in ordine legum de comitijs, demonstratum est, quæ fuit igitur, dicet aliquis, Iuniæ Liciniæ sententia? forte hæc vt ijs, qui trinundinum in ferenda lege non seruassent, grauiores, quam lex Cæcilia Didia sanxisset, pœnæ irrogarentur, id puto, declarant illa verba in Antonium; quæ etsi ante recitauimus, iterare tamen, quia postulat locus, non alienum videtur. Vbi, inquit, lex Cæcilia & Didia? vbi promulgatio trinundinum? vbi pœnæ recenti lege Iunia & Licinia? Fuit alia Licinia non recens consularis, sed vetus tribunicia, & eiusdem generis Aebutia: quibus hoc rogatum, vt potestas nulla, curatio ve non modo ijs, qui de aliqua curatione, aut potestate tulissent, sed nec eorum collegis cognatis, affinibus mandaretur. Est autem illud animaduertendum, duas fuisse diuersis de rebus Aebutias leges, hanc, de qua meminit Cicero in agraria II. quæ cum Licinia idem sanxit; & illam quæ XII. tab. correxit, quam Gellius lib. XVI. cap. X. nominat.

Sunt & de iure ciuili Atinia, Furia, Fusia; de quibus meminit Cicero lib. in Verrem III. & de ciuium iure omnes fuisse, criminum capitalium publiciq; iudicij nihil attigisse, Pedianus asserit. Atiniam de vsucapionibus fuisse, ne fur-

tiua

tiua res vsu capi posset, sed eius rei perpetua esset auctoritas, tum iurisconsultorum libri, tum Gellius lib. XVII. cap. VII. declarat, etiam lex Iulia, & Plautia, de quibus agetur inter crimina, quasi Atiniæ subscribentes, rem vi possessam vsu capi prohibuerunt. Furiam eam fuisse puto, quam de testamentis esse latam, supra dixi, ne cui plus, quam M. nummum, legari posset: alioquin eius, quod amplius legatum esset, quadruplum restitui debere. Fusiæ sententiam nemo significat, nisi si Furiam & Fusiam eandem putemus: quia Fusios, & Valesios, pro Furijs, Valerijs, veteres dicebant. De ciuitate, quin vel à primis Reip. temporibus latæ leges multæ sint, dubitare non licet: sed earum nomina vetustas deleuit, duarum extat mentio apud Liuium, prior sanxit, vt socij ac Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, ciues Romani fieri possent, posthea, cum ei legi fraudem socij facerent, altera lex sociarum ciuitatum petentibus legatis, lata est, ne quis quem, ciuitatis mutandæ causa, suum faceret, ne ve alienaret. Aliæ deinde leges, vt res, aut hominum voluntas tulit, latæ sunt, Seruilia, Licinia Mucia, Iulia, Plautia Papiria, Petronia, Papia. Seruilia fortasse prætoria fuit aut tribunicia à C. Seruilio Glaucia lata, qui cum L. Saturnino tribuno pl. in prætura occisus est, patet enim, hanc legem ante Muciam Liciniam rogatam esse, quod Cicero in ea pro Balbo declarat his verbis. Quòd si, acerbissima lege Seruilia, principes viri, ac grauissimi & sapientissimi ciues hanc Latinis, ideſt fœderatis, viam ad ciuitatem populi iussu parere passi sunt: neque in his est hoc reprehensum Licinia & Mucia lege; cum præsertim, & quæ sequuntur. Huius legis hæc sententia fuit, vt Latini, ciuibus Romanis damnatis, ciues ipsi Romani fierent. Licinia & Mucia consularis fuit, L. Crassi & Q. Scæuolæ, vt socij Latini, qui ciues Romani antea facti essent, in suarum ciuitatum iura redigerentur, qua lege ita alienati sunt Italorum

animi

animi, vt Italici belli, quod post triennium exortum est, ea vel maxima causa fuerit, hoc spectauit Cicero cum dixit in oratione pro Sextio: Nihil acerbius Latini socij ferre soliti sunt, quàm id, quod perraro accidit, ex vrbe exire à consulibus iuberi, vnam tamen hæc lex habuit exceptionem, vt non omnes plane in suas ciuitates redirent, sed omnes præter eos, qui ciuitatem Romanam lege Seruilia essent consecuti, id mihi demonstrarunt facile illa verba, quæ pro Balbo scripsit Cicero: Cum paucis annis post hanc ciuitatis donationem, acerrima de ciuitate quæstio Licinia & Mucia lege veniisset; num quis eorum, qui de fœderatis ciuitatibus esset ciuitate donatus, in iudicium est vocatus? & in eadem infra. Acerbissima lege Seruilia principes viri, ac grauissimi & sapientissimi ciues hanc Latinis, ideſt fœderatis, viam ad ciuitatem populi iussu patere passi sunt: neque in his est hoc reprehensum Licinia & Mucia lege. Iulia lata est à L. Cæsare consule P. Rutilij collega, ea sanxit, vt ijs, qui bello Italico exorto, in fide manserant (manserant autem omnes Latini) & ijs, qui in fidem postea redijsent, ciuitas daretur, ita primum Latini, deinde etiam Itali omnes, cum ad amicitiam populi R. redijsent, ciuitate donati. Iulia autem dicta, quia cum eius collega Rutilius in prælio esset occisus, solus eam Cæsar ex S.C. tulit. Plautia Papiria, quod ego sciam, à nemine nominatur: mihi tamen ea, quam Cicero nominat in oratione pro Archia, cum ait; Data ciuitas Siluani lege, & Carbonis, Plautia & Papiria videtur fuisse, lata à duobus eiusdem anni tribunis pl. M. Plautio Siluano, C. Papirio Carbone, C. Carbonis, eloquentissimi viri filio sexennio post quàm Crassus & Scæuola legem eam tulerant, de qua proxime meminimus, nam Siluanum Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone cos. tribunatum gessisse, Pedianus docet. Carbonem autem eodem anno tribunum pl. fuisse ex eo suspicari licet, quòd cum post M. Liuij mortem, qui

Plu-

Philippo & Cæsare cos. est interfectus, tribunatum administrasse, Cicero in Oratore significat his verbis. Me stante C. Carbo C. F. tribunus pl. in concione dixit: O. M. Druse, patrem appello; tu dicere solebas sacram esse Remp. quicunque eam violassent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas: patris dictum sapiens temeritas filij comprobauit, præterea cum à duobus eiusdem anni consulibus non esse latam hanc legem satis liqueat; quia Silanus & Carbo collegæ in consulatu nunquam fuerunt: necesse est à duobus tribunis pl. latam existimare, quòd si à tribunis pl. sequitur, vt ab ijs duobus potius, quos nominaui, quàm ab alijs: vt tamen de secundo Carbonis tribunatu intelligamus, nam primum cum Q. Vario, C. Curione, Q. Metello, Cn. Pompeio gessit, Cæsare & Lupo cos. vt ex Ciceronis Bruto patet. Eius legis hæc sententia fuit, vt ascriptis in fœderatas ciuitates ciuitas daretur, ita si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, & si sexaginta diebus apud prætorem essent professi. Post hanc legem Petronia, vt opinor, secuta est, latam enim ante Papiam, patrum ætate, vt peregrini vrbe prohiberentur, Cicero de officijs ostendit. Petronius, inquit, apud patres nostros, Papius nuper. Sed Papiam post eam esse latam, quam à Siluano & Carbone rogatam dixi, idem Cicero & in oratione pro Archia significat his verbis Quid? cum cæteri non modo post ciuitatem datam, sed etiam post legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint; hic, qui nec vtitur quidem illis in quibus est scriptus quod semper se Heraclienſem esse voluit, reijcietur? ex quo primum de tempore, deinde de sententia legis Papiæ docemur: de tempore, latam esse post eam; qua ciuitas data est: quam à Siluano & Carbone rogatam ostendimus, de sententia, pœnam esse irrogatam ijs, qui dolo in tabulas municipiorum irrepsissent, vt ex eo, legis Plautiæ & Papiriæ beneficio ciues Romani fierent,

nam

nam ascriptis, vt dixi iam, in fœderatas ciuitates additus ea lege in ciuitatem Romanam dabatur. Sed me rursus de Papiæ legis tempore in dubium reuocat Valerius; qui M. Perpernæ patrem, lege Papia damnatum, pristinas in sedes redijsse tradit, amissa ciuitate Romana, in quam contra leges irrepserat, quod si ita est; videtur Papia lex ante Siluani & Carbonis tribunatum esse lata: cum Perperna, cuius pater damnatus est, annis XL. consulatum ante eorum tribunatum gesserit, sed fortasse Valerius parum, eo quidem in loco, in tradenda veritate diligens, malo enim ab eo, quàm à Cicerone, dissentire; præsertim cum idem de Perpernæ triumpho falsa narret: qui Aristonicum quidem vicit, triumphare tamen morte præuentus non potuit eumq; honorem successor eius M. Aquilius tulit, quod Velleius & Iustinus significant, nam Strabo tantum Perpernæ mortem memorat, de triumpho verbum non facit. Maniliæ legis mentio reperitur, de finibus per singulos arbitros regẽdis, & Mamiliq, in eos quorũ consilio Iugurtha Senatus decreta neglexisset; quiq; ab eo in legationib. aut imperijs pecunias accepissent, qui elephãtos, quiq; perfugas tradidissent; item, qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent, quam legem tulit C. Mamilius Limetanus tribunus pl eamq. Cicero in Bruto, & Salustius in Iugurthino memorant, sed in Salustio, pro Mamillus, Mamilius, mendosè legitur, & pro Limetanus, Lemetanus, habet enim argenteum nummum vir clarissimus, antiquitatis bene peritus, Andreas Lauretanus ita inscriptum, C. MAMIL. LIMETAN. Lex Ateria pertinuit ad multas; & cum alia, tum hoc sanxit, vt multarum dicendarum non, vt ante, consulum duntaxat, sed omnium esset magistratuum, hanc legem & à Gellio, si modo Gellius ita scripsit & ab ijs, qui Gelij testimonium secuti sunt, falso nominatam Aterinam existimo, opinor enim Ateriam legem, non Aterinam, fuisse, quam Sp. Tarpeius Montanus Capitoli-

nus, & A. Aterius cos. tulerint, quod videtur confirmare Festus Pompeius: qui de Tarpeia lege meminit his verbis. Postea quam ære signato populus R. vti cœpit, Tarpeia lege cautum est, vt bos centussis, ouis decussis æstimaretur, quam Tarpeiam Festus, eandem Gellius Ateriam (sic enim est legendum) appellat, quòd, cum à duobus eiusdem anni consulibus esset lata, vtrius nomine vocaretur, nihil interesset, nec est ab re, vt id ita esse constet, ipsius Gellij verba recitare, sic enim lib. XI. cap. I. scriptum reliquit. Timæus in historijs, quas oratione Græca de rebus populi R. composuit, & M. Varro in antiquitatibus rerum Romanarum, terram Italiam de Græco vocabulo appellatam, scripserunt, cum boues Græca veteri lingua ἰτάλους vocitati sint, quorum in Italia magna copia fuerit, bucetaq; in ea terra gigni, pasciq; solita sint complurima, coniectare autem ob eandem causam possumus, quòd Italia tunc esset armentosissima, multam quoque, quæ appellatur suprema, institutam, in singulos dies duarum ouium, triginta boum, pro copia scilicet boum, proq; ouium penuria sed quoniam, cum eiusmodi multa pecoris, armentiq; à magistratibus dicta erat, abigebantur boues, oueſq; alias pretij parui, alias maioris; eaq; res faciebat inequalem multæ punitionem: idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oues singulas æris deni, in boues æris centeni. Post hanc duas item de modo multarum leges esse latas, vtranque consularem, primo Meneniam Sextiam, deinde Papiriam Iuliam, ex Liuio, Festoq; cognoscitur, multam autem videntur ij tantum indixisse, apud quos legis erat actio, quod apud iurisconsultos; l. tertia, c. de modo multarum, constat, & in eo tit. multarum coarctata est licentia.

Tres etiam de nummis leges, omnes, vt opinor tribunicias, à Plinio video nominatas, Papiriam de assibus, vt qui vnciales erant, semunciales fierent; Liuiam, vt octaua

æris

æris pars argento miſceretur: Clodiam, vt Victoriati, quod antea nummi genus, ex Illyrico aduectum, mercis loco habebatur, percuſſi, & quod indicat ipſum nomen, victoriæ imagine ſignati, in vſu eſſent. Atque ex his legibus licet conijcere, nouum nummum niſi lege nullum Romæ eſſe percuſſum, aut in pondere, pretiove mutatum, vt cum as ex librali factus eſt duarum vnciarum: quod ſignificat Plinius cum ait: Pondus æris imminutum primo Punico bello, cum impenſis Reſp. non ſufficeret: conſtitutumq; vt axes ſextantario pondere ferirentur, eſt enim ſextans ſexta pars libræ, idemq; de aſſe poſtea, primum vnciali, deinde ſemunciali facto, deq; denario à decem aſſibus ad ſexdecim, quinario à quinque ad octo, ſeſtertio à dupondio ac ſemiſſe ad quatuor deducto, videtur exiſtimandum. Sempronia C. Gracchi, tribunicia, de frumento pauperibus ſemiſſibus & trientibus diſtribuendo, iubebat, vt frumentum publicè emeretur, ſinguliſq; menſibus per ſingulas tribus viliſſimo pretio plebi diuideretur, eratq; locus Romæ conſtitutus, in quo frumentum publicum aſſeruabatur vna cum legibus frumentarijs, qui dicebatur Horrea Sempronia. Fabia de ſectatorum numero, Cincia de donis & muneribus nominantur, illa contra ambitionem, hæc aduerſus auaritiam, ac de Cincia Liuius lib. XXXIIII. Quid, inquit, legem Cinciam excitauit de donis & muneribus, niſi quia vectigalis iam & ſtipendiaria plebs eſſe ſenatui cœperat? Tacitus autem libro 13. Patres legem Cinciam flagitant: qua cauetur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam, donumve accipiat, & infra eodem libro: Cincia lex aduerſus eos, qui pretio cauſas orauiſſent, libro autem XV. Oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Iulias leges, magiſtratuum auaritia Calpurnia ſcita pepererunt. Sed primus omnium ob defenſum negocium, vt ait Amianus lib. 30. peccuniam accepit Antipho Rhamnuſius, poſtea

Claudius Imperator vsque ad XH-S capi permisit: quod & Nero confirmauit, qua de re testem habemus Suetonium: cui subscribit lib. 11. Tacitus, & Plinius in VI. epistolarum ad Rufum, iurisconsultis permissum videtur capere vsque ad C. aureos l. 1. versi si cui cautum, de varijs, & extraordinarijs cognitionibus. Priuati sumptus non sunt ab ijs, qui Reip. præsunt, negligendi, domus enim exhauriuntur: & ex domibus ciuitas constat, itaque valere non potest, quasi corpus aliquod, membris male affectis, propterea leges sumptuariæ multæ ad coercendam luxuriam diuersis temporibus, omnes vtilissimæ, latæ sunt, vt de modo supellectilis domesticæ, funerum, cœnarum, alioq; de genere. Publium quidem Cornelium Rufinum, à quo L. Sylla dictator originem duxit, strenuum ducem, bis consulatu & dictatura functum, Plutarchus, Valerius, & Gellius motum senatu narrant à censoribus C. Fabricio Luscino, Q. Aemilio Papo, quod eum comperissent argenti facti, hoc est vasorum argenteorum, (sic enim Q. Mucius, vt ait Vlpianus, definit) decem pondo habere. Et de sumptibus mulierum C. Oppius tribunus pl. tulit, ne qua mulier plus semuncia auri haberet, neu vestimento versicolori veteretur, neve iuncto vehiculo in vrbe, oppidove, aut propius inde M. passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur. Fuit etiam lex Metilia, qua ratio poliendarum vestium fullonibus præscribebatur, hanc ego mendosè opinor nominari Metellam apud Plinium, lib. 35. leges enim à nomine, non à cognomine, vocabantur, ea lata est anno ab V.C. DXXXIII. siquidem, vt ait Plinius, dedere ad populum ferendam C. Flaminius & L. Aemilius censores. De moderando autem funerum sumptu legem tullit Sylla dictator: qui tamen in funere Metellæ coniugis præscriptum sua lege modum transgressus est. De sumptibus in cœnas tribunicia C. Orchij, consulares, C. Fannij, T. Didij P. Licinij Crassi Diuitis, L. Cornelij Syllæ, M. Aemilij Lepidi;

rursus tribunicia Q. Antij Restionis, consularis C. Iulij Augusti, quibus de legibus, videntur ea subscribenda, quæ scripta sunt apud Macrobium: vt quid singulæ sanxerint, cognoscatur. Prima, inquit omnium de cœnis lex ad populum Orchia peruenit: quam tulit C. Orchius tribunus pl. de senatus sententia, tertio anno, quàm Cato censor fuerat, cuius verba, quia prolixa sunt, prætereo, summa autem eius prescribebat numerum conuiuarum, & hæc est lex Orchia, de qua Cato mox orationibus suis vociferabatur, quòd plures, quàm præscripto eius cauebatur, tum ad cœnam vocarentur, cumq; auctorem nouæ legis aucta necessitas imploraret; post annum XXII. Fannia lex lata est, anno post Romam conditam, secundum Gellij opinionem, DLXXXVIII. de hac lege Sammonicus Serenus ita refert. Lex Fannia, sanctissimi Augusti, ingenti omnium ordinum consensu peruenit ad populum, neque eam prætores, aut tribuni, vt pleraſque alias, sed ex omni bonorum consilio & sententia ipsi consules pertulere: cum Resp. ex luxuria conuiuiorum maiora, quàm credi potest, detrimenta pateretur, siquidem eò res redierat, vt gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam, & libertatem suam venditarent; plerique ex plebe Romana vino madidi in Comitium venirent, & ebrij de Reip. salute consulerent. Hæc Sammonicus. Fanniæ legis seueritas in eo superabat Orchiam legem, quòd in superiore numerus tantummodo cœnantium cohibebatur, licebatq; secundum eam vnicuique bona sua inter paucos consumere: Fannia autem & sumptibus modum fecit assibus centum: vnde à Lucilio pocta, festiuitatis suæ more, centussis vocatur. Fanniam legem post annos decem & octo lex Didia consecuta est, eius ferundæ duplex fuit causa, prima, & potissima, vt vniuersa Italia, non sola vrbs, lege sumptuaria teneretur, Italis existimantibus Fanniam legem non in se, sed in solos vrbanos ciues esse conscriptam: deinde, vt non soli, qui

pran-

prandia cœnas ve maiore sumptu feciſſent, sed etiam qui ad eas vocati essent, atque omnino interfuiſſent, pœnis legis æque tenerentur. Post Didiam Licinia lata est à P. Licinio Craſſo Diuite, cuius ferundæ, probandæq; tantum studium ab optimatibus impensum est, vt S.C. iuberetur, vtea tantummodo promulgata, prius quàm trinundino confirmaretur, ita ab omnibus obseruaretur, quasi iam populi sententia comprobata, lex vero hæc, paucis mutatis in pleriſque cum Fannia congruit, in ea enim ferendæ quæsita est nouæ legis auctoritas, exoleſcente meru legis antiquioris, ita Hercules, vt de ipsis XII. tab. factum est, quarum vbi contemni antiquitas cœpit, eadem illa, quæ illis legibus cauebantur, in alia latorum nomina transierunt, sed legis Liciniæ summa, vt Kalendis, nonis, nundinis Romanis cuique in dies singulos XXX. duntaxat asses edundi causa consumere liceret; cæteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo. Secuta est, non ita multos post annos, lex Cornelia, & ipsa sumptuaria quam tulit L. Cornelius Sylla dictator: in qua non conuiuiorum magnificentia prohibita est, nec gulæ modus factus, verum minora pretia rebus impoſita, & quibus rebus dij boni, quamq; exquiſitis, & pene incognitis generibus deliciarum? quos illic piſces, quaſq; offulas nominat? Sylla mortuo, Lepidus conſul legem tulit & ipse cibariam. Cato enim sumptuarias leges cibarias appellat. Dehinc, paucis interiectis annis, alia lex peruenit ad populum, ferente Antio Restione: quam legem, quamuis esset optima, obstinatio tamen luxuriæ, & vitiorum firma concordia, nullo abrogante, irritam fecit, illud tamen memorabile de Restione, latore ipsius legis, fertur, eum, quoad vixit, foris postea non cœnasse ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertuliſſet. Subijciam hic leges aliquas ex XII. tab. quæ sunt de iure ciuili, sumptas à Cicerone, Liuio,

Liuio, Valerio, Plinio, Seneca, Festo, Quinctiliano, Gellio, Dionysio, atque illam primum, ei legi admodum similem, quam Romulus tulit, vt parentibus liberos ter vendendi ius atque potestas esset, statuq; liberos etiam possent venundare, id postea ab imperatoribus sublatum est, cautumq; vt ob solam famis necessitatem à patre distrahi filius posset l. I. & II. c. de patribus, qui filios distraxerunt. Alia fuit item XII. tab. Si furiosus existet; agnatorum, gentiliumq; in eo, pecunia ve eius potestas esto. Nec ab hac lege aborret illa, & ipsa XII. tab. qua prodigo bonis interdicebatur; vtiq; in agnatorum curatione esset, cogebatur. Alia lex fuit XII. tab. vt, si quis reus in agendo plus petijsset, causa caderet, idem apud iurisconsultos legimus, in versi. si quis agens, inst. de actionib. sed immutatum postea, in versi. & hæc quidem, inst. de actionibus. Etiam illa nominatur: Si quis in ius vocatur; si morbus, æuitas ve vitium est; qui in ius vocabit, iumentum dato: si nolet, arceram ne sternito. Ad iudicia pertinet ea, quæ sanxit, vt vindiciæ secundum libertatem darentur. Nec minus ea, in qua tuendæ fidei causa scripta sunt hæc. Aeris confessi, rebusq; iure iudicatis 30. dies iusti sunto: post deinde manus iniectio esto: in ius ducito: ni iudicatum faxit, aut quis pro eo in iure vindex sit, (sic enim apud Gellium lib. XX. cap. I. legitur) secum ducito, vincito, aut neruo, aut compedibus, XV. pondo ne minore; aut, si volet, maiore vincito: si volet, suo viuito: ni suo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato: si volet, plus dato, erat autem ius interea paciscendi: ac, nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies LX. inter eos dies, trinis nundinis continuis ad prætorem in Comitium producebantur: quantiq; iudicati essent, prædicabatur, quòd si plures essent, quibus reus esset iudicatus: lex ita loquebatur: Tertijs nundinis partes secanto: si plus minusve secuerint, sine fraude esto. Ciuilis humanitatis atque clementiæ videtur lex illa XII. tab.

quam

quam X. viri tulerunt, vt vicinos ad societatem magis alliceret: quæ fuit huiusmodi. Sanatibus idem iuris esto, quod fortibus. Et ad ius commune spectauit illa item XII. tab. vt, si quis sepem in confinio poneret, terminum non excederet; si murum, pedem relinqueret; si domum, pedes duos; si sepulcrum, foueamve, quantum id profundum esset; si puteum, passum; si oliuam, ficumve, pedes nouem; si denique aliæ arbores plantarentur, quinque pedes ab alieno loco ponerentur; in controuersia de finibus, quinque pedum vsucapio nulla esset.

Nunc, quando de iure ciuili leges dictæ sunt; eas, quæ ad crimina pertinent, explicabo, & quia non omnium eadem est vis & natura criminum; sed alia publica, alia priuata; rursus, quia non eiusdem generis ipsa publica sunt, sed ita distinguuntur, vt alia capitalia sint, alia nō capitalia; ordinē à conditione criminū petemus; & de publicis capitalia primū, deinde nō capitalia, postremo loco priuata, eaq; ipsa duobus dispertita generibus, aut cum infamia, aut sine infamia, persequemur, quod antequam agamus; definiendum est, quale fuerit in rep. id, quod capitale crimen nominamus, quod vt aperiatur, præponendum illud est, lege Porcia cautum fuisse, ne quem ciuem Romanum vllam ob culpam, perduellione excepto, necare, verberareve liceret, quòd si quis ita grauiter peccasset, vt supplicio dignus vltimo duceretur; is post M. Catonis censorij ætatem, qui eam legem tulit, non capite, aut vlla omnino corporis parte, sed aut bonorum publicatione, aut amissione ciuitatis, cum aqua & igni interdiceretur, (nam exilium nulla lex irrogabat: sed interdicta aqua, & igni, exilium necessario sequebatur) aut carcere etiam pœnas dabat, vinculorum enim video fieri mentionem in oratione pro Cecinna, & in primo de oratore. Crimen igitur capitale non ita plane est intelligendum, quòd vita priuaretur is, qui crimine capitali damnatus erat; sed ideo capitale,

quòd

quòd eum, qui damnatus erat, capitis pœna sequeretur; capitis autem pœna, vel libertatis, vel ciuitatis amissio dicebatur, quam vtranque capitis diminutionem vocabant; at capitis diminutio cum triplex esset, maxima, media, minima; non omnis tamen pœna fuit, sed tantùm duæ priores, maxima, quæ libertatis ademptione fiebat; & media, quæ ciuitatis, minima, cum familia mutaretur, beneficium potius, quam pœna, fuit, quòd si cui magistratus adimeretur; capitis ea diminutio non fuit; vt Instit. lib. I. legimus: sicuti capitis diminutio fuit manente magistratu, vt in emancipatione filij: quod lib. XLVIII. de capite minutis traditum est, quocunque autem in crimine vel maxima, vel media capitis diminutio sequeretur, capitale illud esse crimen dicebatur, porro, qui libertatem, idem ciuitatem simul, & familiam amittebat, serui enim neque ciues, neque gentiles erant: qui ciuitatem, familiæ quidem iura, non tamen libertatem, nam etsi in oratione pro Cecinna scriptum ita est: Si semel ciuitas adimi potest, retineri libertas non potest: qui enim potest iure Quiritum liber esse is, qui in numero Quiritum non est? quod videtur Liuius lib. XLV. confirmare, cum ait, Omnibus V. & XXX. tribubus mouere, id esse ciuitatem libertatemq; eripere: tamen eo non moueor: nec quia dicat Callistratus iurisconsultus, per deportationem adimi libertatem; & in Topicis Boetius, deportationem esse capitis maximam diminutionem, non enim verè, proprièq; exules, aut deportati, aut omnibus tribubus moti, in ærarioſq; relati, libertate carent; etsi neque testamentum facere, neque hæreditatem capere, neque omnino earum rerum, de quibus iure ciuili statutum est, habere vllam liceat, ius quidem in eo suum exul, ac deportatus amisit, & quodam modo partem pristinæ libertatis: (siquidem amittit ea, quæ iuris ciuilis sunt: quæ vero ius gentium complectitur, ea retinet omnia) libertatem tamen ipsam, qui redactus

in seruitutem non sit, adhuc retinet, quare causæ potius, quam agebat, rationem, oratorio more, Cicero habuit, quàm veritatis, & apud Liuium Claudius censor, contra collegam disputans, exaggerandi causa eripi libertatem ordini libertino cum ciuitate dixit. Boetius autem cum deportationem esse diminutionem capitis maximam dixit, non ad ius gentium, neque ad libertatis vniuersæ, sed ad earum tantùm rerum, quibus iure ciuili constitutis deportati priuabantur, amissionem spectauit. Illa sunt de exilio notanda: etsi mentionem ciuium Romanorum exulantium sæpe fieri videmus, nulla tamen lege damnatis ciuibus exilium esse irrogatum, quod ne vocari possit in dubium, ponam verba Ciceronis in oratione pro Cecinna. Exilium, inquit, non supplicium est, sed perfugium, portusq; supplicij, nam, qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est sedem, ac locum mutant, itaque nulla in lege nostra reperietur, vt apud cæteras ciuitates maleficium vllum exilio esse multatum, sed, cum homines vincula, neces, ignominiasq; vitant, quæ sunt legibus constituta, confugiunt, quasi ad aram, in exilium, qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem, quàm vitam, amitterent, quia nolunt, non adimitur ijs ciuitas, sed ab ijs relinquitur, atque deponitur, nam, cum ex nostro iure duarum ciuitatum nemo esse possit; tum amittitur hæc ciuitas denique, cum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam ciuitatem, hæc Cicero: quæ tum, non esse exilium vlla in lege nominatum, apertè docent; tum vero ideo multos in exiliumante damnationem sua voluntate profugisse, quia legis pœnam, quam præsentes corpore subirent, vt vincula, neces, ignominiam aliquam, omnino vitare vellent, nam etsi, reo in exilium profecto, nihilominus causa peragebatur, & sententiæ ferebantur: (id exemplo Fabricij, de veneficio condemnati, ex oratione pro Cluentio constat: qui cum,

cum absolutione desperata, à subsellijs sua sponte discessisset, eum tamen latis sententijs, absentem iudices condemnarunt: idemq; de Verre Pedianus significat, & in commentario Milonianæ, cum ait: Multi præsentes, & cum citati non respondissent, damnati sunt) tamen, quod ad corpus attinet, aut ad præsentem ignominiam, ipse sibi iam reus cauerat; leuiora ducebat reliqua, siue sibi absenti aqua, & igni interdiceretur, siue bona publicarentur, siue aliqua infamiæ nota inureretur. At idem Cicero ipse sibi quasi repugnare in paradoxis videtur: vbi de exilio, tanquam pœna legum, ita loquitur. Omnes scelerati, atque impij, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exilio affici volunt, exules sunt, etiam si solum non mutarunt, an, cum omnes leges te exulem esse iubeant, non eris tu exul? & ibidem alia his similia, in oratione autem pro Murena, noua ambitus lege, quam ipse tulit, senatores in exilium missos, his verbis demonstrat: Legem ambitus flagitasti: quæ tibi non deerat: erat enim seueriſſimè scripta Calpurnia, gestus est mos, & voluntati, & dignitati tuæ, sed tota illa lex accusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armasset, petitioni vero refragata est, pœna grauior in plebem tua voce efflagitata est: commoti animi tenuiorum, exilium in nostrum ordinem: concessit senatus postulationi tuæ, sed non libenter duriorem fortunæ communi conditionem te auctore constituit. Atque hac ipsa de lege, deq; exilio X. annorum loquitur & Dio lib. XXXVII. nec desunt alia de ciuibus Romanis exulantibus exempla: quos tamen à lege, vel à iudicibus, qui ministri legum sunt, nominatim in exilium esse eiectos, non debemus opinari, quo modo igitur exules? Sciendum est, exilij duo genera fuisse, voluntarium, & legitimum: & voluntarij rursus duo genera, vnum, cum reus ante latas à iudicibus sententias in exilium abibat, vel vt legis pœnam vitaret, quod iam diximus; vel quia, cum

se damnatum iri perspicuè videret, sponte vellet eam pœnam subire, quam paulo post leges ei sine dubio illaturæ viderentur: quod ij, quos paulo ante nominaui, Verres, Fabriciusq;, omni prorsus absolutionis abiecta spe fecerunt, non enim ante damnationem ideo discesserunt, vt legis pœnam vitarent: quandoquidem Fabricius nihil exilio grauius timere à iudicibus poterat: cum Oppianicum, qui mox eodem crimine præsens damnatus est, nullam omnino, præterquam exilij calamitatem tulisse constet, nec de repetundis, quo crimine damnatus est Verres, alia præter exilium, & litis æstimationem, nocentes reos pœna sequebatur, quam vtranque pœnam, post profectionem damnatus Verres tulit. Alterum exilij voluntarij genus fuit, cum reus, post damnationem, quia multam, à iudicibus dictam, soluere non posset, ex vrbe discedebat, quod vt putem ei legibus, ad effugiendam multæ solutionem, fuisse permissum, adducor ijs verbis, quæ sunt in oratione pro Cecinna: In colonias Latinas sæpe nostri ciues aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in ciuitate potuissent. Legitimum autem exilium erat, cum reus, non ille quidem verbo, re tamen ipsa in exilium mittebatur, vetus enim consuetudo fuit, inducta legibus, more confirmata, quæ non modo in rep. sed imperatorum quoque ætate, multisq; post sæculis viguit: vt, si quis exilij pœna dignus videretur, ei, nulla exilij facta mentione, tecto, aqua, igni interdiceretur, ita earum rerum, quæ maxime sunt ad vitam sustentandam necessariæ, vsu priuatus, cum vno aeris alimento contentus esse non posset, abire cogebatur, ex quo exulare ciues Romani dicebantur, patet hoc in oratione pro domo: in qua ita scriptum est. Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc ciuitatem amittebant, quàm erant in eam recepti, quò vertendi, hoc est mutandi soli causa venerant, id autem

tem vt esset faciendum, non ademptione ciuitatis, sed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant. Ac neciues quidem omnium improbissimi, atque audacissimi, cum in suos inimicos, acerrimo incitati odio, non leges, sed priuilegia ferrent, exilium nominabant, sed ijs aqua, & igni interdicebant, itaque & de ipso Cicerone, quod in eadem oratione legimus, P. Clodius tribunus pl. cui nihil in tota vita modestiæ fuit, qui in tribunatu pro sua libidine, neglecto more maiorum, abiectis legibus, cuncta gessit, ita populum rogauit: Velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua, & ignis interdicatur, neque solum Clodius, sed antea quoq; homines maxime seditiosi, C. Gracchus, & L. Appuleius Saturninus de suis inimicis eodem modo tulerunt, est enim eadem in oratione ita scriptum. Ne tum quidem, cum aberam, negare poteras esse me tua lege senatorem, vbi enim tuleras, vt mihi aqua, & ignis interdiceretur? quod Gracchus de P. Popillio, Saturninus de Metello tulit, & minorem, siue mediam capitis diminutionem, cum ciuitas etsi non verbo, re tamen adimebatur, ita fieri solitam, tradit Iustinianus instit. lib. I. de capitis diminutione, his verbis: Minor, siue media capitis diminutio est, cum ciuitas quidem amittitur, libertas vero retinetur: quod accidit ei, cui aqua, & igni interdictum fuerit, vel ei, qui in insulam deportatus est, ergo, cum dixit Cicero aduersus Clodium in paradoxis; Familiarissimus tuus de te priuilegium tulit, vt, si in opertum Bonæ Deæ accessisses, exulares; hoc significauit; Vt tibi aqua, & igni interdiceretur, & cum de ambitu damnatis X. annorum exilio puniendis Dio locutus est, cuius verba supra recitauimus, non aliud intellexit, quàm, vt ijs in X. annos aqua, & ignis interdiceretur. Erat autem, vt neque flagitia sunt paria, sic hoc pœnæ genus neque loci spatio, neque temporis æquale, quibusdam enim tantùm intra vrbem, hoc est intra pomœrij fines, alijs longius, aqua, & igni interdicebatur,

cre-

crediderim tamen, actum satis leniter ac misericorditer cum reis, neminemqi, aut certe paucos admodum extra Italiæ terminos aquæ, & ignis interdictione summotos; qui videam Oppianicum, de veneficio, quod capitale crimen erat, damnatum, impunè tamen ad vrbem habitare potuisse, notauimus enim hæc in oratione pro Cluentio: Cum vagus, & exul erraret Oppianicus, & huc ad vrbem profectus esset, [solebat enim intra vrbem aliquid habere conducti] cecidisse ex equo dicitur, & homo infirma valetudine latus offendisse vehementer, &, postea quàm ad vrbem cum febri venerit, paucis diebus esse mortuus. Quid, quòd Q. Pompeium Rufum, & T. Plancum Bursam, vtrunque de vi damnatum, quod ex Dionis historia constat, alterum Baulis fuisse, alterum Rauennæ, scribit M. Cœlius in epistola ad Ciceronem? nam Cicero ipse CD millibus passuum, non vlla communi lege, neque iudicum sententijs, sed iniquissimo P. Clodij priuilegio, per operas Clodianas lato, abesse iussus est, aqua, & igni citra illum terminum interdictis. Milonis autem Massiliæ exulantis exemplum vix cum altero licet exemplo coniungere, graue enim facinus, occiso in Appia via Clodio, à senatu iudicatum est: & fuit satisfaciendum populo, Clodij morte concitato, ideoq; noua lex perlata, & extra ordinem quæsitum, nec tamen satis habeo compertum, Massiliam ne sedem exilij Milo delegerit, quòd citra esset ei interdictum aqua, & igni, an vero, quòd, cum propius vrbem, concedente lege, posset habitare, Massiliam tamen probauerit, ac voluerit, nec puto leges, aut iudices præscripsisse cuiquam, vbi esse deberet, sed vbi esse non posset, nec vero ijs, de quibus & Cicero in oratione pro Balbo, & historiæ loquuntur, Q. Maximo, P. Popillio, Q. Philippo Nuceria, aut C. Catoni Tarraco, aut Q. Cæpioni, & P. Rutilio Smyrna locus exilij definitus est: sed ipsi, cum Romæ esse non liceret,

eas

eas vrbes, vt iucundas, aut quietas, aut commodas, aut sibi fortasse beneuolas, ad habitandum legerunt. Memorabile illud fuit, quod legimus in Polybio: capite damnatis egredi palam ex vrbe licuisse; quòd si tribuum vna, quæ scilicet ad damnationem deesset, suffragium de reo nundum tulisset, facultatem reo esse datam exilij suo sibi arbitratu deligendi; exulibus autem commorari tuto licebat, in qua vellent vrbe fœderata, vt Neapoli, Prænestæ, Tybure. Hæc Polybius: cuius ætate populus de capitalibus criminibus iudicabat: quod idem scriptum reliquit, nam postea prætores quæsierunt, excepto crimine perduellionis, aut si quando tribunus pl. diem alicui diceret, suffragiumq; de reo mallet à populo, quàm sententias à iudicibus, & prætore ferri. Quòd autem exilij tempus disparibus in culpis diuersum fuisse dixi; id ita verisimile est, vt exemplis probari multis non debeat. quare vnum ponam, etsi minime necessarium. Damnatis de ambitu aqua & igni per X. annos tantùm interdicebatur: quod ante demonstraui, at damnatis de corrupto iudicio, in vniuersum vitæ tempus: quod ex oratione pro Cluentio licet conijcere: cuius in extremo, periturum extra patriam Cluentium, si damnatus erit, his verbis significat: Quid erit profectum, nisi vt huius ex medijs mortis insidijs vita ad luctum reseruata, mors sepulcro patris priuata esse videatur? Ac de duobus exilijs, voluntario, ac legitimo, vtrum fuerit grauius, venit in mentem quæri posse, legitimum existimo: primum, quòd eos, quibus aqua & igni interdictum est, recipi tecto intra spatium interdictum leges vetant, quod ijs non contigit, qui sua sponte in exilium profugerunt: deinde, quòd, vt ego arbitror, aliquanto turpius est, exulare legibus eiectum, quam exulare non eiectum, eijcitur enim ciuitate, cui aqua, & ignis interdicitur: qui vero sua voluntate discedit, non is ciuitate pellitur, sed eam ipse deserit, ac relinquit, huc ad-

de,

de, quòd, quibus interdicitur, ij senatores postea non sunt & eos legi suo loco à censore in senatu leges prohibent: quibus vero non interdicitur, ij etiam si vrbe carent, senatores tamen sunt, hoc ex oratione pro domo didicimus: in qua hæc sunt. Nec tum quidem, cum aberam, negare poteras esse me senatorem, vbi enim tuleras, vt mihi aqua, & ignis interdiceretur? quod Gracchus de P. Popillio, Saturninus de Metello tulit, homines seditiosissimi de optimis, ac fortissimis ciuibus, non vt esset interdictum, quod ferri non poterat, tulerunt, sed vt interdiceretur, vbi cauisti, ne meo me loco censor in senatu legeret? quod de omnibus, etiam quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus. Ergo, cum de pœnis capitalibus loquimur, aut exilium inter eas numerandum non est, quod lex nulla, nullum ob malefactum, irrogabat: aut eo de exilio dicendum quod, etsi non nominaretur, necessario tamen, cum damnatis interdiceretur aqua & igni, consequebatur. Capitalia vero crimina publicis iudicijs omnia cognoscebantur: non item publica iudicia de capitalibus omnia criminibus fiebant, nam, vt instit. lib. IIII. traditum est, si quam infamiam irrogabant publica iudicia cum damno pecuniario, publica quidem erant, non tamen capitalia, quod quidem si de causis publicis, in quibus cum detrimento rei familiaris famæ iactura coniungeretur, verum est: multo magis de priuatis, & hoc ipsum declarat Cicero satis aperte in epistola ad Pætum, his verbis. Iudicia non solemus omnia tractare vno modo, priuatas causas, & eas tenues agimus subtilius; capitis, aut famæ, scilicet ornatius, seiunxit enim à causis capitalibus causas famæ, siue publicas, siue priuatas. Sed ipse me in dubitationem reuoco. Si causæ famæ capitales non sunt: cur Quinctij causam, quæ famæ est, capitalem Cicero significat? ait enim in exordio. Quid hoc iniquius, aut indignius, quam me, qui caput alterius famam, fortunasq; defen-

defendam; priore loco causam dicere? & infra. Clamabat Quinctius: sese idcirco nolle satisdare, ne videretur iudicasse, bona sua ex edicto possessa esse, sponsionem porro si istiusmodi faceret, se id quod nunc euenit, de capite suo priore loco causam esse dicturum, & in extrema oratione. Horribile est causam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere, sane non leuiter aliquandiu hæc me loca, & alia huiusmodi in ea oratione perturbarunt, eoq; magis, quòd causa Quinctij ad recuperatorem agitur, ex quo sequitur, vt priuata sit, recuperatores enim, & C. viri, & arbitri, iudices sunt (liceat hic arbitros inter iudices, vocabulo minime proprio nominare) ciuilibus in controuersijs ab vrbano prætore dati, causam porro capitalem ad recuperatorem agi, ita mihi absurdum, ita non rationi consentaneum videbatur, vt persuaderi nullo modo posset, sed fortasse, vt sæpe distinctione veritas illucescit, idem hic quoque potest euenire, cogitaui, nunquid causam esse capitalem, & agi de capite, siue capitis esse causam, idem sit, non enim dubito, quin causæ capitales quæ vocantur, eædem causæ capitis vocari omnes possint: quæ vero capitis, fortasse non omnes item capitales, nam causa capitis Quinctiana dicitur: quam tamen nullo modo capitalem fuisse concedo: cum in ea neque de libertate, neque de ciuitate adimenda, quæ capitalia fuisse iudicia notum est, agatur, & causa Mancini, quem vt Cicero, & alij prodiderunt à patrepatrato ex S.C. Numantinis deditum, Numantini non receperunt, causa quidem capitis est (agitur enim in ea de ciuitate, de libertate; de capite) capitalis tamen non est, in capitalibus enim quæritur de crimine, & damnatos diminutio capitis ex iudicum sententia sequitur, in alijs autem capitis causis agitur quidem de capite, non tamen quæritur de crimine, capitisq; diminutio vel nulla sequitur, vt in causa Quinctij, vel si sequitur, vt in causa Mancini, non sequitur vti pœna à iudici-

bus irrogata, sed ideo sequitur, quia is, qui iam deditus erat ex S.C. Numantinis, capite fuisse diminutus ostenditur; ita vt iudex non iudicet, sit nec ne capite minuendus: quod fit in causis capitalibus; sed, fuerit ne antea, an non fuerit, capite diminutus, & status hominis non tunc mutatur, sed qualis sit, cognoscitur, itaque, cum de eo dixit Cicero lib. I. de oratore, Quam possumus reperire ex omnibus rebus ciuilibus causam, contentionemq; maiorem, quàm de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis consularis? crimen nullum significauit, cuius criminis causa vocatus in iudicium Mancinus, periculum amittendæ ciuitatis, aut libertatis in eo iudicio subiret; sed facultatem iudicibus cognoscendi, ac statuendi datam intellexit, eas ne res æque Mancinus possideret atque antea quàm à patrepatrato esset deditus, an vero, quia deditus esset, amisisset, etiam si receptus à Numantinis non esset, quare capitalis causa non fuit, actum tamen esse de capite ob eam, quam exposui, causam rectè Cicero dixit. At, quod ad Mancini causam attinet, ferri potest, extat enim ratio, cur in ea de capite agi, dicatur in causa vero Quinctij, in qua nullo modo neque de ciuitate, neque de libertate agebatur, mentio capitis vnde ducta? an ex eo, quia caput pro existimatione vsurpari posse videatur? repugnat vetus loquendi consuetudo: nec huius generis exempla licet inuenire, potius igitur, ex oratoris licentia, crediderim: vt exaggeretur res, ad inuidiam aduersus Neuium ex eius crudelitate, & misericordiam erga Quinctium ex eius periculo quærendam, atque hoc eo magis constat, quòd Cicero nec in eo verè ac propriè loquitur, cum eam vocat accusationem, quæ sponsi causa est: nec cum ait, Quem nunc interficere nefarie cupis: quandoquidem ciuibus Romanis eripi nullo crimine vita posset, causam vero non esse capitalem, proprijs verbis ipse clarè demonstrat in eo loco: Iudicium C. Aquilli, non de re pecuniaria, sed de

fama,

fama, fortuniſq; P. Quinctij vides, & cum dixit: Hortenſius partes accuſatoris obtinet: oratorie loquitur, nec enim re vera accuſabat Hortenſius, ſed accuſare videbatur, nec eſt, niſi capitalibus in cauſis, accuſator. Redeo vnde diuerti. Publicorum criminum alia capitalia, alia non capitalia, quodq; notandum magis eſt, ne maieſtatis quidem iudicium capitale ſemper fuit, cum tamen publicum ſemper eſſet, nam Claudiæ Veſtalis, Appij Cæci filiæ, C. Fundanius, & Ti. Sempronius ædiles pl. quòd populo R. calamitatem eſſet imprecata, multam dixerunt æris grauis XXV. millia, quæ capitalis pœna non fuit, iudicium autem illud & publicum fuiſſe, inde patet, quòd ad populum factum eſt; idq; etiam Ateius Capito propterea inter publica iudicia retulit; & maieſtatis nomine notatum, Suetonius in Tiberio ſignificat his verbis: Claudia nouo more iudicium maieſtatis apud populum mulier ſubijt, quòd in conferta multitudine, ægre procedente carpento, palam optauerit, vt frater ſuus Pulches reuiuiſceret, atque iterum claſſem amitteret, quo minor turba Romæ foret. Publica erant capitalia, inceſtus, maieſtas, repetundæ, vis publica duplex, ea quæ in rempublicam, ac magiſtratus inferebatur, de qua lex Lutatia fuit, & ea, quæ in priuatos ciues, de qua Plotia, & aliæ leges: tum, peculatus, de reſiduis, inter ſicarios, paricidium, veneficium, ambitus, pecuniæ ob iudicandum captæ, adulterium, de falſis, de plagiarijs, de tutorum fraude, de famoſis libellis, de furto, clandeſtina coitio, quibus de criminibus aut ad prætorem, aut ad iudicem quæſtionis, aut ad populum notio pertinebat, de maieſtate, perduellione excepto, de vi, de repetundis, de crimine inter ſicarios, de ambitu prætor quærebat: de inceſtu, & perduellione populus, ſed tributis comitijs de inceſtu, tribuno pl. populum per tribus in forum cogente; centuriatis autem de perduellione, cum in campum conſul centuriatim populum aduocaſſet, de

veneficio autem & prætor, qui iudex quæstionis idem dicebatur, & iudex quæstionis, etiam si prætor non esset, cognoscebat. Prætores, quæ cuiusque futura esset quæstio, ante sortiebantur: vt deinde singulis de criminibus singuli, prout sors tulisset, cum consilio quærerent, etsi de crimine inter sicarios, cum in iudicium quandoque ita multi vocarentur, vt prætor vnus minime sufficeret, non vnus, sed duo prætores cognoscebant, quod in oratione pro Cluentio animaduertimus, idemq; eandem ob causam in alijs criminibus interdum esse factum, licet existimare, non nunquam etiam, diem dicente aliquo tribuno pl. qui cogendi ad iudicium populi ius habebat, non prætor, sed populus ipse de maiestate quæstionem exercebat, itaque Cn. Domitius trib. pl. is, qui cum C. Cassio postea consul fuit, accusauit M. Silanum, quòd iniussu populi bellum cum Cimbris consul gessisset, cum in eo bello graues ob eam causam calamitates acceptas esse diceret, qua de re suffragium tribus tulerunt. Quod autem dixi, prætores de criminibus quæsijsse: vnum excipio prætorem vrb. qui nullo de crimine publico quærebat; itaque nec quæsitor dicebatur, tantum, ciuilibus controuersijs ad eum delatis, ius dicebat, hoc est iudices, & iudicij formulam, quam sequerentur, dabat, nec enim prætor ipse iudicare solitus erat, sed cum iudices, ab ipso dati, de controuersia cognouissent; ac iudicassent, exequebatur, ideo in omnibus ferme edictis prætorum legitur, Iudicium dabo, in quo posteriores lapsi sunt. Est igitur aliud, ius dicere; aliud, iudicare: contra quàm, qui veterum iurisconsultorum libros ignorant, opinantur, & quemadmodum ciuilibus in rebus prætor non cognoscit, neque iudicat, sed ius dicit, sic, qui ab ipso iudices dati sunt, non ius dicunt, sed cognoscunt, ac iudicant, hinc recuperatores, hinc C. viri, hinc arbitri, quos prætor dabat, vt iudicarent, atque hoc & Cicero iudicauit in epistola ad Q. fratrem, Prætor,

tor, inquit, solet iudicare, deberi? Quædam tamen erant, in quibus non modo non iudicabat, verum nec ius dicebat Prætor vrb. sed, omissa iurisdictione, imperio prætorio exequebatur, vt cum bonorum possessionem secundum tabulas; aut contra tabulas dabat; item, cum restituebat in integrum, & huius generis non nulla. Porro, cuius prætoris erat iurisdictio, eius non erat quæstio publica: neque, cuius quæstio publica, eius iurisdictio, vnus tamen de toto prætorum collegio, qui erant omnes octo, & iuris dicendi, & quærendi potestatem habebat, is qui prætor inter peregrinos vocabatur, nam & ius inter peregrinos ab eo dictum, satis constat: &, quæsitum, sociorum, hoc est peregrinorum causa, de repetundis, Pedianus demonstrat in orationis commentario aduersus competitores. Nunc, quæ diuersis temporibus leges ad ea, quæ nominauimus, crimina vindicanda, peccandiq; licentiam reprimendam rogatæ sunt, eas ostendemus, & quoniam inter publica primum locum obtinet religio; de incestu, quæ in sacram personam, sacrove in loco commissa libido fuit, ante omnia est agendum. Incestus ita graue crimen ducebatur, vt, cum P. Clodius Bonæ Deæ cæremonias, & sacra libidinis causa polluisset, S. C. factum sit, vt populus de reo cognoscerer, quo licet conijcere, quæstionem de incestu non esse legibus prætori demandatam, quod eo magis opinamur, quia legimus apud Pedianum, de M. Aemilio Scauro, qui princeps senatus fuit, diminutæ ac neglectæ religionis reo, comitijs tributis, accusante tribuno pl. Cn. Domitio, esse quæsitum. Lex illa fuit seueriſſima, quæ virginem Vestalem, si stuprum commisisset, ad portam Collinam defodi viuam iubebat, quam legem Numa Pompilius, Romanorum II. rex, qui Vestalium virginum sacerdotium Romæ instituit, ab Albanis transtulit, illi enim Vestales virgines, in stupro deprehensas, virgis ad mortem cædebant: Numa

ma vero mortem quidem, & ipse pœnam esse voluit, sed cruoris expertem; vt viuæ sepultæ, diem suum miserrimis in tenebris obirent. Nec dubito, quin & is, qui stuprum cum Vestali commisisset, morte pœnas lueret: vt in pari scelere pari supplicio punirentur. Possem alia non pauca aduersus religionem crimina subiungere: sed locus hic non est, agitur enim de capitalibus: ea porro capitalia non sunt; vt, si quis auguri non paruerit, aut inaugurato quid fecerit: si quis deos patrios alieno ritu, aut nouos seoratim coluerit: si quis loca sacra priuata fecerit: si quis in Deos, aut de Dijs nefariè atque impiè locutus erit: si quis sacrum, aut in loco sacro surripuerit: si quis sacram personam, aut profanam in loco sacro percusserit: & illa duo; quorum alterum apud Paulum iurisconsultum, alterum apud Vlpianum legimus; si quis alicuius numinis superstitione leues mentes terruerit; si quis illicitam diuinationem pollicitus erit. De maiestate, nisi, si aut perduellionis causa esset, aut tribunus ædilis ve pl. accusaret, quæstionem prætor, is, cui obueniisset ea quæstio, exercebat, quod ex Pediano, qui C. Cornelium apud P. Cassium prætorem de maiestate reum ait esse factum, satis liquet, interdum tamen capitale non fuisse crimen de maiestate, supra demonstratum est. Quot autem modis maiestas læderetur, non omnino fortasse, sed magna tamen ex parte, vt opinor, exponemus. Læsa maiestas iudicatur, vbi quid in populum suum, suamve remp. aut in magistratus, personamve principis commissum est: in populum, vt si quis exercitum hostibus tradidit; si exercitum solicitauit, delectumve iniussu populi aut senatus habuit; si quis exercitum extra suam prouinciam iniussu populi duxit, aut ipse, relicto exercitu, prouinciæ finibus excessit; si quis remp. sua culpa male gessit; si stationem deseruit; si contra libertatem consilia iniit; si seditionem aut bellum excitauit; si publicum hostem domi priuatus habuit; si ius ciuitatis aut

magi-

magistratus imminuit; si præter dignitatem populi R. regio in comitatu fuit; si contra bonum publicum locutus est; quod maiestatis quidem crimen, non tamen capitale fuit; vt exemplo docuimus: præterea, si quis ad hostem transijt, aliudve quid cum ijs aduersus remp. pactus est. Hæc in populum læsæ maiestatis crimina, in magistratum autem, vel in principis personam, si quis vim omnino vllam attulit; si tribuno pl. intercedenti non paruit, aut ab eo concionem auocauit, eumve priuati loco habuit, vt puta, si occurrenti in via non cessit, si consilium plebis disturbauit: & huius generis alia; quæ facile possumus intelligere ex ea definitione, quæ prodita litteris est: Maiestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus ciuitatis amplitudo constat. Leges nominantur hæ, primum illam XII. tab. de qua Polybius lib. V. vt, qui hostem concitasset, vel ciuem hosti tradidisset, capite pœnas daret: deinde, tribuniciæ, Appuleia, Varia; consulares, Cornelia, Iulia, Antonia. Appuleiam tulit, opinor, L. Appuleius Saturninus tribunus pl. quem postea cum C. Seruilio Glaucia prætore C. Marius VI. consul S. C. interfecit, hac lege damnatum legimus C. Iunium Norbanum; quia, seditione populi concitata, quod ad maiestatem pertinuit, Q. Seruilium Cæpionem innocentem damnasset. Variam tulit Q. Varius Sucronensis tribunus pl. qui Philippo, & Cæsare cos. in locum M. Liuij Drusi interfecti tribunus pl. creatus est, huius legis hæc sententia fuit, vt quæreretur de ijs, quorum ope, aut consilio bellum Italicum esset concitatum, quo crimine cum essent multi condemnati; & ad plures præterea, quos damnari necesse esset, ea culpa pertinere videretur: fecit sapienter senatus, qui decreuit, ne, dum tumultus Italicus esset, iudicium vllum lege Varia fieret. Secuta est Cornelia, L. Syllæ dictatoris; inde Iulia, C. Cæsaris, in primo, vt opinor, lata consulatu, aut post victum in Pharsalia Pompeium, nam consul iterum,

bello

bello Pompeij, aut Alexandrino impeditus, abfuit, hæc lex damnatis aqua, & igni interdicebat. Postremo Antonia, M. Antonij consulis, qui III. vir postea fuit: quæ damnatis de maiestate prouocationem ad populum dabat, quod antea in vno perduellione, omnium de maiestate criminum grauissimo, licebat. In causa maiestatis, & proditionis, & si quid esset huiusmodi, impunitatem indici datam Pedianus ait; in causa repetundarum negat, nulla vero prorsus in causa senatoribus licuisse indicium profiteri, ne videlicet summi dignitas ordinis minueretur, affirmat. Præmium autem, si quis accusasset, & damnasset aliquem magistratum, ei datum crediderim eius ipsius, qui damnatus esset, magistratum; si modo accusator competitor fuisset, aut ei alioqui per leges petere liceret: aut, si reus magistratus designatus non esset, & magistratum antea gessisset, ius eodem loco dicendæ sententiæ; si modo senator esset accusator, nam, cum ait Cicero in oratione pro Balbo: Legum præmijs prætoriam sententiam, & prætextam togam consecuti sunt: aperte significat, quæ summa darentur accusatoribus præmia, hæc duo fuisse, potestatem dicendæ prætorio loco sententiæ, & magistratum: cum scilicet damnatus esset is, qui, ob gestam antea præturam, sententiam prætorio loco diceret; aut is, qui designatus esset in aliquo magistratu, quod si hæc summa erant accusatoribus præmia: certe non nisi summis de criminibus dabantur, & si hoc; sequitur illud, vt ob maiestatem, quod summum erat crimen, præcipuè darentur. Perduellio, quod omnium de maiestate criminum fuit atrociſſimum, (nam tunc est perduellio, cum in ipsam remp. vel in personam magistratus, aut principis infertur iniuria) non à prætore, sed à II. viris cognoscebatur, deinde ad populum erat prouocatio, itaque & Horatium illum, qui sororem occidit, & Sp. Cassium Viscellinum, qui de regno cogitauit, perduellionis accusatos, alterum à populo

pulo esse absolutum, alterum condemnatum, & bonis publicatis, necatum, Liuius monimentis historiarum prodidit, quanquam Horatij factum paricidium, non perduellio, videtur fuisse, & lege paricidij, quam Numa Pompilius fecerat, iudicatum esse; Hostilij regis iussu, Festus Pompeius docet, cur igitur perduellionem Liuius nominat? ait enim. Rex, concilio populi aduocato, II. viros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent secundum legem, facio. Causam hanc, fortasse veram, licet opinari: vel quia Numa, vir sanctissimus, paricidium omne perduellionem voluit esse; vel quia, si non omne paricidium, saltem illud, quod in cognatos, affinesve committeretur. Lege perduellionis, primum II. viri iudicabant, deinde ad populum erat prouocatio, declarat hoc oratio pro Rabirio perduellionis reo: ex qua, primum à II. viris, deinde à populo de Rabirio iudicatum esse, cognoscitur, quod etiam Suetonius tradidit, quanquam multo ante iudicem, hoc de crimine populum fuisse; non modo Horatij proximo demonstratur exemplo, verum etiam ex eo, quod à Plutarcho in Poplicola de Vitellijs, & Aquillijs, qui patriciæ gentis vtrique fuerunt, proditum est, nam, cum de Tarquinio rege restituendo cogitassent, damnati à populo pœnas morte debitas luerunt. Atque hoc vno crimine damnatos necare ciues Romanos licuisse, cum eo tamen, si populus ita iudicasset, (nam, alioqui ne liceret, Sempronia C. Gracchi tribunicia lege sancitum est) satis plane constat: quippe cum & crucem Rabirio à Labieno accusatore in campo constitutam Cicero dicat; &, mortem lege Iulia irrogatam, posteriores etiam iurisconsulti tradiderint, rei quoque memoria post mortem condemnata. Notat Vlpianus, quod à nobis omittendum non fuit; purgandum fuisse crimen perduellionis etiam successoribus; si forte reus obijsset, antequàm de eo iudicatum esset, ait enim sic. Is, qui in reatu decedit, integri status decedit, extinguitur

enim crimen mortalitate, nisi quis forte maiestatis crimine reus fuerit, nam, nisi hoc crimen à successoribus purgetur, hæreditas fisco vendicatur, plane non, quisquis legis Iuliæ maiestatis reus est, eadem conditione est, sed qui perduellionis reus est, hostilis animi aduersus remp. vel principem animatus, cæterum, si quis ex alia causa legis Iuliæ maiestatis reus sit, morte crimine liberatur, hæc Vlpianus: quæ alij quoque confirmant, aut paulo post in crimine repetundarum ostendemus. Quemadmodum autem omnium de maiestate criminum perduellio grauissimum fuit: sic à populo ijs comitijs, quæ maxima omnium erant, centuriatis, inquam, iudicabatur, quod in ea, quam proximè nominaui, oratione pro Rabirio declaratur, idemq; Liuius, Valeriusq; significant; qui centurias nominant in eo perduellionis iudicio, quod de Ti. Graccho, & C. Claudio censoribus, accusante tribuno pl. fiebat, nec dubito, quin Attilius ille Calatinus, Q. Fabij Maximi socer, quem scribit Valerius oppidi Soranorum proditione reum ad populum esse factum, centuriatis & ipse comitijs causam dixerit: cum oppidi proditio, quæ in remp. grauis iniuria est, videatur esse perduellio, itaque miror (vt aliud ex alio) cur proditionem, & maiestatem Pedianus quodam in loco separatim nominauerit: cum proditio certe in maiestatem includatur, atque etiam, vt ego existimo, perduellio sit: quod inter maiestatis crimina summum fuit, nisi si vt speciem, quo modo philosophi loquuntur, à genere seiunxit, perduellionem scilicet à maiestate, nam & vocabulum ipsum, prodere, videtur propriè, ac directè perduellionem spectare, est enim vbi quis cum hostibus aduersus remp. conspirat. Videtur etiam considerandum: cum tribuni pl. aliquem perduellionis accusarent, vt duos, quos nominaui, censores Rutilius, Rabirium Labienus, qua ratione populum, vt de reo iudicaret, per centurias conuocarent, siquidem tribunus pl. minor erat magistratus;

tus: centuriata vero comitia nonnisi à maiore magistratu, vt consule, prætore, esse habita traditum est. Dicendum, quod veterum in libris patet; accusasse quidem tribunum pl. comitia vero maiorem magistratum, tribuno poscente, habuisse, & hoc significat Liuius lib. XXVI. cum ait: C. Sempronius Blæsus perduellionis se iudicare Cn. Fuluio dixit, diemq; comitijs ab C. Calpurnio prætore vrb. petit, eodemq; modo locutus est lib. XLIII. Vtrique censori, inquit, tribunus pl. Rutilius perduellionem se iudicare pronunciauit, diemq; comitijs à C. Sulpicio prætore vrb. petijt, est igitur petere diem comitijs petere, vt sibi certo die comitia dentur, fuitq; hoc genus antiquum loquendi; quo & ante Liuium Valerius Antias vsus est, notaui enim apud Gellium hæc, hoc ipso de crimine, lib. VII. cap. IX. Pepoſci, non popoſci, Valerius Antias lib. annalium XLV. scriptum reliquit. Denique, ait, Licinius tribunus pl. perduellionem ei diem dixit, & comitijs diem à Q. Marcio prætore pepoſcit. Quæro etiam illud, cur censores illos, perduellionis accusatos, in exilium ituros fuisse, si damnati essent, non morte multatum iri, Liuius demonstret, ait enim sic. Gracchus conceptis verbis iurauit, si collega damnatus esset, non expectato de se iudicio comitem exilij eius futurum. Hoc ego mihi videor hac tueri ratione posse: quia censor magistratus esset; nec interfici, aut omnino violari magistratum, leges sinerent.

Addi fortasse & illud potest: non fuisse vere, quæ censoribus illis obijciebantur, crimina perduellionis; quòd eorum alter concionem à tribuno pl. auocasset, alter eum, intercessioni non parendo, in ordinem coegisset: maiestatem quidem illam fuisse, perduellionem autem non fuisse: cum sit omnis perduellio maiestas, non omnis maiestas perduellio, quòd si quis tribunum pl. aliumve magistratum necasset, aut aduersus remp. tyrannidis causa consilia iniisset: vere tunc perduellio fuit, ideo & Cassium Viscellinum,

de regno cogitantem, esse necatum, & Rabirio, ob interfectum Saturninum tribunum pl. accusato, crucem in campo Martio supplicij causa fuisse constitutam, animaduertimus. Postea rorum hoc ad populum prouocandi ius lex Iulia, non C. Cæsaris, sed Octauiani, sustulit. Repetundarum crimen capitale, nec ne, fuerit, dubitatur à doctis, verum omnem dubitationem tollit vna distinctio, prioribus enim temporibus capitale non fuit: postea, cum auaritia magistratuum haud paulo latius manare iam in prouincijs cœpisset, visum est, vt acrioribus remedijs obuiam iretur, itaque, lege lata, capitale crimen factum est, vtrunque probatur exemplis. L. Lentulum, de repetundis damnatum, postea cum L. Marcio Censorino censorem esse factum, tradit Valerius lib. VI. quo patet, damnatione ius Romæ manendi ademptum illi non esse; siquidem censuram deinde sit assecutus: quam gessit anno ab vrbe condita DCVI. Idem illa confirmant, quæ scripta sunt lib. I. Rhetoricorum ad Herennium: Lex vetat eum, qui de repetundis damnatus sit, in concione orationem habere, augur quidam damnatus de repetundis, in demortui locum, qui petat, nominauit, veteris enim legis, non eius, quæ postremis reip. temporibus lata esset, exemplum videtur attulisse: cum libro de officijs II. ita loquatur Cicero: Proximæ quæque leges de repetundis duriores. Hæc mansisse Romæ primis illis temporibus, qui iam de repetundis damnati essent, facile demonstrant. Rursus, capitale crimen fuisse, eoq; damnatos exulasse, interdictus aqua, & igni, A. Gabinij, & C. Verris exemplo cognoscitur, quòd si quis obiecerit, non eos lege exulasse, sed quia, cum soluendo non essent, aut omnino cum nollent soluere, voluntarium in exilium profecti sint: adiungemus de C. Catone: quem & esse damnatum de repetundis, Cicero in Verrem, Velleiusq; tradunt, & exulasse Tarracone, ex oratione pro Balbo, perspicuum fit: cum tamen æstimata ei

lis

lis esset tantummodo H-S XVIII. millibus, vt exulasse videatur, non quod fortasse posset aliquis de Gabinio & Verre suspicari, ne solueret, quod æstimatum erat; quod minimum sane pecuniæ fuit; sed quia legi, quæ repetundarum damnatis aqua & igni interdiceret, parere cogeretur. Est etiam apud Velleium P. Rutilij exemplum, repetundarum lege damnati: quem exulasse, & Cicero in oratione pro Balbo, & epitome Liuiana lib. LXX. declarat. Verum, vt hæc sint dubia, quæ tamen satis aperta mihi quidem videntur; Pediani testimonio nihil certius, nihil illustrius, is vbi exponit illud Ciceronis in Verrem lib. I. Auaritiæ supplicio communi; subiungit, Aestimatione litis, & exilio, satis manifestè exilium cum pecuniaria pœna in repetundarum crimine coniungens. Actionem fuisse in hoc crimine aduersus hæredes, nisi si rei in reatu, vt iurisconsulti loquebantur, perijssent, cum ex ipsis cognoscitur iurisconsultis, tum Valerius indicat his verbis: C. Licinius Macer, vir prætorius, Calui pater, repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur, in Mænianum conscendit: deinde M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextam ponentem cum vidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum perijsse, nec sua bona hastæ posse subijci: ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit, qua cognita re, Cicero de eo nihil pronunciauit: Igitur illustris ingenij orator ab inopia rei familiaris, inusitato paterni fati genere vindicatus est. Pœna vero damnatis de repetundis, quod ex Pediano satis liquet, dupli fuit. Lex per annos DC. hoc de crimine lata Romæ nulla est: consulibusq; Censorino & Manilio L. Piso Frugi tribunus pl. primum de repetundis rogationem tulit, vt Cicero lib. de officijs II. & in Bruto docet, eodemq; anno, aut certè proximo, alia lex à Cæcilio tribuno pl. lata est: qua damnatum L. Lentulum, eum,

de

de quo proxime meminimus, qui postea censor fuit, prodidit Valerius lib. VI. necesse est enim, vt si ante censuram lege Cæcilia damnatus est, lata lex sit vel L. Marcio M. Manilio cos. quo anno & Calpurnia lata est; vel certe Sp. Postumio L. Calpurnio, nam Africano & Druso cos. qui anno proximo consules fuere, censuram Lentulus & Censorinus gesserunt, aliæ deinde leges de repetundis, Seruilia, Acilia, Cornelia, Iulia: quibus singulis aliquandiù iudicia sunt administrata, nam posterior quæque proximam superiorem abrogauit, sic tamen, vt quædam retineret, atque adeo interdum multa, non enim dubito, quin, quot in rebus crimen repetundarum Seruilius constituit, ijsdem in rebus, aut omnibus, aut plerisque, idem crimen Acilius, cum suam legem ferret, esse voluerit, quod igitur ad criminis rationem, & peccandi genera pertinet, legem à lege non admodum dissensisse crediderim, pœnam vero semper fere auxit posterior lex, & iudicij rationem aliqua re multæ mutarunt, itaque C. Seruilius Glaucia, (redeo enim ad quatuor leges, quas proxime nominaui) is, qui cum Saturnino tribuno pl. prætor est occisus cum de repetundis rogationem ferret, nouum de comperendinatione caput primus intulit, intraq; spatium hoc iudicij tempus conclusit, vt accusatori dies XX. ad agendum, totidem defensori ad defendendum darentur, ante hanc legem ampliari quidem licebat, comperendinari verò in iudicio repetundarum non licebat, quorum alterum lege Seruilia confirmatum, alterum, nulla in veteri lege scriptum, sed nouum inductum, Acilia sustulit, qua de re Pedianus sic. Ante legem Glauciæ de comperendinatione, aut statim sententia dicebatur, si absoluendus esset reus: aut, Amplius, pronunciabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices, Non liquet, hoc est, obscura est, itaque ea pars, interposita dilatione, dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas, comperendina-

tio

tio vero vtriusque partis recitatio est, & infra subiungit hæc. Alij sic. Inter comperendinationem & ampliationem hoc interest, quòd comperendinatio ex vna tantùm re dabatur, cum causam iudex non intelligeret, & omnino, si videbatur iudicibus bona causa, absoluebant reum; si mala, non statim damnabant, sed hac excusatione parcebant, nam, cum condemnandi nota esset C. littera absoluendi A. ampliandi signum NL. dabant; quo significabant non liquere: vnde ampliatio nascebatur, quibus ex verbis primum illud intelligitur, in ampliatione aut accusatorem solum, aut defensorem iterum causam egisse: deinde, etiam hoc constat, esse, Amplius pronunciatum non cum ambigeretur, absoluendus, an condemnandus esset reus, sed cum ita dilucidè pateret culpa, vt condemnandus omnino videretur, in quo tamen, vt quasi ad excusandam dilationem, speciem aliquam dubitationis præseferrent, ampliandi signum in tabellis dabant N.L. tumq; iterum dicebat is, vel pro reo, vel contra reum, qui quod proposuerat, argumentis non satis probasse videretur. Quod ad primum attinet; etsi Pediano, sicuti debeo, plurimum tribuo; quæro tamen, vere ne senserit, an secus, venit enim in mentem suspicari, ne quemadmodum in comperendinatione, sic in ampliatione ab vtraque parte iterum acta causa sit. Liuius enim libro XLIII. causam de repetundis ex ampliatione vtrinque ait esse actam, idem ex ijs verbis possum conijcere, quæ sunt apud Ciceronem actionis secundæ lib. I. in Verrem: Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ spiritus, quid huius lacrymas, & concursationes proferam? vocat alteram actionem post ampliationem, quod verbum spectare potius vtranque partem, quàm alterutram, videtur, & Asconius ipse, non dubito, quin idem senserit, subiungit enim hæc in suo commentario: Hic apparet, etiam in ampliatione sic alteram dici, quemadmodum in comperendinatione. De

illo

illo altero, cum dixit, ampliationem fuisse, non in causa dubia, sed in manifesta rei culpa, non ad causam melius cognoscendam, sed ad damnationem differendam: plane non assentior: nec tamen audeo dissentire, libenter enim existimauerim, Amplius, esse pronunciatum, cum obscura causa esset, nec de absolutione, aut condemnatione satis liqueret, propterea q; Amplius requiri ad causam demonstrandam videretur, nam si ampliatio futuræ damnationis esset signum: quorsum, cum de Philodamo esset, Amplius, pronunciatum, tantopere Dolabella & Verres contendissent, vt condemnaretur? non opera superuacanea fuisset? contenderunt autem, quia videbant posse fieri, vt absolueretur, quid? Pedianus ipse non ne contra suam sententiam loquitur? quasi enim oblitus ea, quæ ante de ampliatione dixerat, hoc in loco ait: Mos veterum hic fuerat, vt si absoluendus quis esset, statim absolueretur; si damnandus, statim damnaretur; si causa non esset idonea ad damnationem, absolui tamen non posset, Amplius pronunciaretur. Sed fortasse Pedianus excusari poterit, si tempora distinguantur, hoc modo; vt ante legem Glauciæ ampliatio fuerit dilatæ condemnationis indicium; post legem vero Glauciæ, obscuritatis, nec satis exploratæ sententiæ, vtrunque sane duo Ciceronis loca, si quis attenderit, videntur ostendere: primum, in iudicio Philodami, de quo proxime dictum est, ibi enim, dubium fuisse post damnationem euentum iudicij, plane constat, deinde, cum ea dixit in odem libro: verum, vt opinor, Glaucia primus tulit, vt comperendinaretur reus, antea vel iudicari primo poterat, vel Amplius pronunciari, vtram igitur putas legem molliorem? opinor, illam veterem: qua vel cito absolui, vel tardè condemnari licebat, nam hoc, Tardè condemnari, ad illud, quod proximè dixerat, refertur; Amplius, pronunciari, vt ampliatione nihil, quàm tardam condemnationem significare videatur. Differt

etiam

etiam in hoc à comperendinatione ampliatio, quòd ampliatio tantùm à iudicum arbitrio, ac voluntate pendet, comperendinatio vero est illa quidem in iudicibus posita, sed petente vel accusatore, vel defensore nam, nisi alteruter, aut vterque petijsset, nihil iudices de comperendinando reo cogitassent, non potuisse autem comperendinationem inuitis iudicibus omitti, Pedianus docet, cum ait, ideo testibus vsum esse Ciceronem, vt si posset, comperendinationem tolleret; sperabat enim Cicero, causa per testes patefacta, iudicibusq; probata, futurum vt de tollenda comperendinatione à iudicibus impetraret, ergo, tum in iudicibus, tum in accusatore, ac defensore situm fuisse comperendinandi ius, vere dixi. Differebant etiam origine ampliatio, & comperendinatio, nam vetustiorem fuisse ampliationem, verba Ciceronis de lege Glauciæ demonstrant, & P. Licinio, C. Cassio cos. hoc est multis ante primam de repetundis legem annis, quam à L. Pisone latam diximus, ampliatos esse reos in iudicio repetundarum, apud Liuium lib. XLIII. animaduertimus. Redeo ad rem: nec tamen à re longius discessum est: quando in lege Seruilia caput fuit de comperendinatione: & Acilia, de qua proximè agemus, comperendinationem simul cum ampliatione, quæ vtraque rei potius causa, quàm accusatoris, videtur esse constituta, omnino sublatam esse iussit. Tulit eam legem M. Acilius Glabrio, pater eius, qui Verris in causa prætor fuit, & cum C. Calpurnio Pisone post biennium consulatum gessit, tulerit autem in tribunatu pl. an in prætura, minus constat, latam tamen in tribunatu potius, quàm in prætura, vt existimem, hoc adducor argumento, quòd reliquas de repetundis leges à tribunis pl. omnes video rogatas esse, exceptis ijs, quas patricij, qui tribuni pl. esse non poterant, rogarunt, vt Cornelia, Iulia. Seuerissimam fuisse hanc Glabrionis legem, in qua ne comperendinari quidem, aut

ampliari liceret reum, Cicero lib. I. in Verrem, & Pedianus tradunt, itaque multi, nulla omnino, neque comperendinationis, neque ampliationis, dilatione interposita, semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus, ea lege damnati sunt. Quod autem in eo loco Cicero dixit; Ego tibi illam Aciliam legem restituo; non dixit, restituo, quasi de lege ante Seruiliam lata, sed habuit rationem præsentis temporis, cum ex lege Cornelia, non iam ex Acilia, de repetundis quærebatur. Acilia enim tollebat omnino & comperendinationem, & ampliationem: quæ vtraque comperendinatio quidem certe, lege Cornelia permittebatur, id Cicero significauit satis aperte, cum dixit. Adimo enim comperendinatum; quod habet lex in se molestissimum; bis vt causa dicatur, & in eo: Glaucia primus tulit, vt comperendinaretur reus, nam si primus Glaucia, ergo aliquis post eũ item de comperendinatione tulit, eum autem Acilium constat non fuisse: id quod ostendimus, fuit igitur L. Sylla: cuius ex lege hoc tempore iudicia de repetundis administrabantur, idemq; declarat Pedianus, cum ait, ideo testibus vsum esse Ciceronem, vt si posset, comperendinationem tolleret, frustra enim Cicero conatus esset tollere, ac ne conatus quidem esset, si necessaria fuisset. Cum autem in eo loco subiunxit, Ita mittam in consilium, vt etiam si lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo iudicare: hoc dicit: Ita testes interrogabo, ita scelera Verris patefaciam, vt etiam si lex Acilia, quam, quod ad me attinet, tibi restituo, (adimo enim comperendinatum) permittat id, quod maxime permittit, dilationem videlicet, iudices tamen, haudquaquam ampliantes (comperendinationem non nominat; quia comperendinatio, non iudicum, sed accusatoris, & defensoris erat, cum eorum alterutro petente fieret, ampliatio vero iudicum) magnitudine criminum, & vi probationum inspecta, sibi turpe arbi-

arbitrentur non primo iudicare. Et quòd Aciliam Cicero mitissimam vocat, quam Asconius seueriſſimam, vterque rectè: seueriſſimam, si cum veteribus, mitiſſimam, si cum Cornelia cóferatur, hæc pluribus verbis, tũ quia pertinẽt ad leges; tũ quia locus Ciceronis in Veri ẽ satis habet obscuritatis & in eo interprętes omnes implicati, tanquã in salebra hæserunt. Quincta fuit Cornelia, L. Syllæ dictatoris, quæ comperendinationem, lege Acilia sublatam, restituit, fuit autem, vt posterior quæque lex, durior, quàm Acilia: etsi comperendinationem concedebat, quam Acilia tollebat, sicuti lex Glauciæ durior, quàm vetus: cum tamen Glauciæ lege comperendinari posset reus, vetere lege non posset, id Cicero significat his verbis: Vtram putas legem molliorem? opinor, illam veterem, eodemq; modo seuerior, quæ consecuta est, Iulia, quàm Cornelia, quod idem Cicero in oratione pro Postumo tradit. Sunt autem lege Cornelia iudicia de repetundis omnia vsque ad C. Cæsaris, qui postea dictator fuit, primum consulatum administrata, consul enim Cæsar nouam de repetundis legem rogauit, cuius quidem capita, quæ ex veterum scriptis liceat colligere, hæc maxime fuerunt: vt repeterentur pecuniæ, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministerioue publico cepisset, vel aliquis ex cohorte ipsius, vt vrbani magistratus ab omni sorde se abstinerent, neve plus doni, munerisve in anno acciperent, quàm quod esset aureorum centum: neue quis ob iudicem arbitrumve dandum, mutandum, iubendum ve, vt iudicaret; neue ob hominem in vincula publica conijciendum, vinciendum, vinciriue iubendum, vel ex vinculis dimittendum, neue quis ob hominem condemnandum, absoluendumve, neue ob litem æstimandam, iudiciumue capitis pecuniæue faciendum, vel non faciendum aliquid acciperet, quæ verba non minus pertinebant ad prouinciales, quàm ad vrbanos magi-

ſtratus, item, ne quis omnino ob negocium faciendum, vel non faciendum, per calumniam pecuniam acciperet. Cautum præterea, ne prouinciæ præſidum auaritia premerentur, aut exhaurirentur; ne illi, qui prouincias regebant, quive circa eos erant, negotiarentur, nec mutuam pecuniam darent, fœnusve exercerent: neque hoc tantum; ſed ne vxorem quidem quiſquam ducere poſſet ex ea prouincia oriundam, vel domicilium ibi habentem, neue filio vxorem ducenti conſentiret: ne ijs in liberos populos ius de pecunijs creditis dicere liceret: itē, ne quis de prouincia exiret, aut exercitū inde ſua auctoritate educeret, bellum ſua ſponte gereret, in regnum alienum iniuſſu ſenatus ac populi accederet; vt libertas ſocijs, ac præmia, ob merita in Remp. data integra eſſent: ne cuiquam aurum coronarium aut imperare, aut accipere liceret, niſi cui decretus eſſet à ſenatu triumphus, cautum etiam hac lege, ne dona acciperent quæſtores, aut xenia, vt rectores prouinciarum rationes, prius quàm decederent, apud duas in prouincia ciuitates deponerent: ne quis pro conſule, aut pro prætore legatum ſuum ante ſe de prouincia dimitteret quod ab Vlpiano, in l. meminiſſe, traditum eſt; ſpectauit hæc lex non modo ad eos, qui cum aliqua poteſtate erant verum etiam ad eos, qui curabant aliquod opus publicè faciendum, frumentum comparandum, vel viam reficiendam: item ad legatos, qui prouinciarum rectoribus à ſenatu dabantur, præfectoſq; & tribunos, quæſtores etiam totamq; cohortem prætoriam, ſi quid accepiſſe à prouincialibus conuicti eſſent, eadem lege illud etiam ſancitum erat, quid rectoribus prouinciarum, dum in prouinciam irent, a ſocijs populi R. liceret accipere, qua de lege Cicero, dum in prouinciam proficiſcitur, ita ſcribit ad Atticum lib. V. Adhuc ſumptus nec in me, aut publicè, aut priuatim, nec in quenquam comitum, nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hoſpite, poſtea vero quàm in prouinciam

perue-

peruenit, eodem libro sic: Scito non modo nos fœnum, aut quod lege Iulia dari solet, sed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos, & tectum, quenquam accipere quidquam. Ad hanc legem postea Cæsar, rerum potitus, fortasse caput hoc addidit, vt repetundarum conuicti etiam ordine senatorio mouerentur, id quidem ab eo factum Suetonius narrat, quod vel aucta, vt dixi sua vetere lege potuit, vel noua lege lata, vel etiam, sine lege, pro ea quam omnium rerum vnus habebat, potestate. Scriptum etiam apud Martianum iurisconsultum inuenio, lege Iulia repetundarum cautum esse, ne iudicare, neue testimonium dicere liceret ei, qui ob turpitudinem senatu motus, nec restitutus esset. De vi sequitur, ea duplex fuit, publica, & priuata, publica definitur, ea quę armis, priuata, quæ sine armis infertur, priuatis enim hominibus armorum vsu tum in vrbe, tum in agro lege Iulia interdictum, nisi si haberent ea venationis, itineris, nauigationisue causa, legimus in Martiano, tit. ad l. Iuliam de vi publica, idq; renouatum à Iustiniano, scribit ipse in libro nouellarum const. tit. de armis, sed hoc ante legem Iuliam, & ante Magni Pompeij edictum, de quo legimus in Plinij naturalis historiæ lib. XXXIIII. qui vetuit in tumultu necis Clodianæ vllum in vrbe telum esse, primis temporibus institutum, obseruatumq; non dubito, video enim, Seruio regnante, populum R. ad centuriata comitia in campum extra vrbem propterea conuenisse, quia in vrbe vsus armorum interdiceretur, serpit deinde licentia: quam nouis legibus & edictis reprimi necesse est. Publica vis vel contra remp. & magistratus, vel contra priuatos fiebat, contra remp. & magistratus capitaliserat semper; contra priuatos, non item, sed tantummodo, cum erepta vita esset. Priuatam vim non fuisse capitalem, etiam si non probetur exemplis, facile tamen ex ipsa definitione licet existimare. Neque vero, vt de publica, item de priuata prætor cognoscebat,

sed

sed iudices dabat, ac ne de publica quidem semper, nam existunt controuersiæ quædam de vi, quæ consistunt in iure ciuili, vt ea pro Cecinna: in qua non prætor, sed recuperatores, quos à prætore vrb. datos iudices esse iam diximus, iudicarunt, ergo de publica vi modo prætor, cui ea quæstio obtigisset, (is autem nec vrbanus, nec peregrinus erat, sed vnus de reliquis sex) modo iudices à prætore dati cognoscebant, dabat autem eos prætor vel vrbanus, si causa esset in iure ciuili, & ageretur inter ciues, vt ea pro Cecinna; vel peregrinus, si ageretur inter peregrinos; vel vnus de reliquis sex, si cognitio non à iure ciuili penderet, de priuata vero nunquam prætor, semper iudices à prætore dati cognoscebant, prætore autem vel peregrino, si res esset inter peregrinos; vel vrbano, si ciuis ciuem in iudicium vocaret, & in iure ciuili posita causa esset; vel vno de reliquis, si de iure ciuili nulla esset consideratio. Nunc, quando de capitalibus agitur criminibus, leges de vi publica narrabimus. Plotia fuit tribunicia, de vi publica priuatis ciuilibus illata; (nam de publica contra remp. lex Lutatia fuit) qua Catilinam à L. Paullo, M. Lepidi, qui III. vir postea fuit, fratre, accusatum, in Salustio legimus; Clodium à Milone, in oratione pro Milone; M. Tutium à C. Sempronio Rufo, in epistola M. Cœlij, quæ omnes causæ, non dubito, quin capitales fuerint: cum, Catilinam & Clodium minime leuibus flagitiis affines fuisse, constet; causam autem, qua in iudicium Tutius est vocatus, extraordinariam Cœlius appellet, hanc legem tulit, opinor, M. Plautius Siluanus tribunus pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone cos. is, qui, vt iam diximus, legem iudiciariam tulit. Sequuntur consulares, primum Lutatia de vi reip. illata; quam Q. Lutatius Catulus consul, M. Aemilij Lepidi collega, in tumultu reip. tulit: quæ festis etiam diebus iudicium de vi iubebat exerceri, vt ex procœmio patet orationis pro M. Cœlio, eaq; damnati sunt,

qui

qui de Catilinæ socijs in vrbe remanserant, vnde illud in ea pro Sylla: Seueritatem iudiciorum, quæ per hos menses in homines audaciſſimos facta est, lenitate, ac misericordia mitigate, quod exponitur in ea pro Cœlio his verbis. De vi quæritis, quæ lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriæ, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus, armata dissensione ciuium, reip. extremis pene temporibus tulit: quæq; lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantes reliquias coniurationis extinxit. Ex quo mihi oritur opinio, in oratione, quæ Saluſtij nomine in Ciceronem inscribitur, vbi legis Plautiæ legitur, rectius fore, si legatur, legis Lutatiæ: cum eo loco de coniuratorum damnatione verba fiant: qui vim non in priuatos ciues, quæ lege Plotia iudicabatur, sed in vniuersam remp. comparauerant; cuius criminis quæstio Lutatiam ad legem pertinebat, & ob eam causam ipse Cicero pro Cœlio dixit: Quæ lex fumantes reliquias coniurationis extinxit: cum de Lutatia lege loqueretur. Sed quæri potest: cum Plautia lex de vi Ciceronis ætate seruaretur; cur M. Cœlius, pro quo extat Ciceronis oratio, Lutatia lege potius, quàm Plautia, sit ab Atratino in iudicium vocatus, quid enim aduersus remp. Cœlius commiserat? Facile respondetur: non quòd Romæ aut senatum obsedisset, aut magistratibus vim attulisset; sed quòd seditione Neapoli concitata, (id enim obijciebat accusator) intulisse vim reip. videretur, nam in oratione quodam in loco ita scriptum est. Illam partem causæ facile patior grauiter & ornatè à M. Crasso peroratam, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, quod attinebat ad Alexandrinorum pulsationem, aut ad venenum, quod Clodiæ necandæ causa paratum esse arguebat accusator; quibus in criminibus non publica, sed priuata res agebatur; postulatus esset Cœlius lege Plotia, non Lutatia, sed, cum simul crimen de seditione Neapolitana coniun-

iungeretur; quæ ad imperium ſtatumq; reip. pertinebat; propterea lege Lutatia eſt accuſatus, atque hanc quidem partem cauſæ M. Craſsus egit: illam de veneno Clodiæ dato libenter Cicero ſuſcepit, inimicitiarum cauſa, ſed principem locum dedit accuſator, quo grauius reum opprimeret ſeditionibus Neapolitanis, ideoq; lege Lutatia accuſauit, cum tamen, præter ſeditiones Neapolitanas, alia crimina obijceret, lege Plotia, non Lutatia, vindicanda, nam, damnatos eſse reos alijs criminibus, ac legibus, quàm quo potiſſimum crimine, quaq; potiſſimum lege eſſent accuſati, colligitur ex oratione pro Cluentio, erat igitur vtrique legi locus eodem tempore in ciuitate: quia, cum diuerſa eſſent de publica vi crimina, diuerſis etiam quæri legibus oportebat. Poſt Lutatiam conſularis Pompeia fuit, à Cn. Pompeio Magno III. conſule poſt occiſum Clodium lata: quæ & pœnam grauiorem, quàm reliquæ de vi ſuperiores leges, & formam iudiciorum breuiorem continebat, iubebat enim, vt prius, quàm cauſa ageretur, citati teſtes per triduum audirentur: dicta eorum iudices conſignarent: quarta die adeſſe omnes in diem poſterum iuberentur, & coram accuſatore, ac reo pilæ, in quibus nomina iudicum inſcripta eſſent, æquarentur: dein rurſus poſtera die à quæſitore ſortitio iudicum fieret vnius, & LXXX. qui numerus cum ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent: tum ad dicendum duas accuſator horas, tres reus haberet, reuſq; eodem die illo iudicaretur: prius autem quàm ſententiæ ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus reijceret, ita vt numerus iudicum relinqueretur, qui ſententias ferrent, LI. hac lege qui damnati ſunt, omnes exularunt, Milo, quia Clodium occidiſſet; Q. Pompeius, Syllæ dictatoris ex filia nepos, T. Munatius Plancus Burſa, Sex. Clodius, quòd, ijs auctoribus P. Clodij corpore in curiam illato, curia flagraſſet, cum cæde enim Clodij, in Appia via facta, incendium

ſimul

simul curiæ, & oppugnationem domus M. Lepidi Pompeius ea lege nominatim comprehenderat, sed hos postea, & omnes lege Pompeia de vi damnatos, vno Milone excepto, victor C. Cæsar restituit. Pompeia consularis Iulia secuta est, à C. Cæsare post victum Pompeium lata, vt damnatis de vi aqua, & igni interdiceretur, sic enim oratione I. in Antonium scriptum inuenimus, aqua vero, & igni interdicere, nihil aliud est, quàm exilium, non nominatim, sed re ipsa inferre, damnato enim necessitas imponitur exilij, ope ea denegata, atque interdicta, sine qua viui non potest, quod etiam Pompeia, & ante Pompeiam Plautia, & aliæ quoque superiores leges, vt puto, sanxerant, itaque non dubito, quin Cæsar noua lege nouam sententiam, ad vim remouendam, attulerit. Quod autem iurisconsultorum in libris ita scriptum est; deportationem de vi publica damnatis, de priuata vero publicationem bonorum in tertiam partem Iulia lege irrogatam: possit aliquis suspicari, cum videat mentionem fieri deportationis, non esse legem Iuliam, de qua Cicero meminit, sed duas fuisse leges Iulias, vnam à C. Cæsare latam, alteram ab Augusto, ego autem sic existimo; vnam omnino fuisse, nam, si duæ; aliquid crederem iurisconsultorum in libris, distinctionis causa additum: sicuti ad legem Iuliam de adulterijs, addit Vlpianus: Hæc lex ab Augusto lata est: ne qua scilicet ex Iuliæ nomine dubitatio posset existere, vnam igitur de vi puto Iuliam legem, eamq; latam à C. Cæsare, nam, quod deportatio nominatur, quæ ante Augustum nulla fuit: sciendum est sublata aquæ, & ignis interdictione, eam successisse; cum tamen veteres eædem leges valerent, itaque & in lege Cornelia de sicarijs, & veneficis, quam tulit L. Sylla reip. temporibus, deportationem tamen Martianus nominat, sed redeo ad sententiam legis. Si commissa vis armis non esset, verum aut virgo, aut vidua rapta esset; raptor, & qui opem

tulisset, capite plectebatur. Hac lege tenebantur, vt Martianus ait, qui turbæ seditionisve faciendæ consilium inijssent, seruosve, aut liberos homines in armis habuissent; omnesq; puberes cum telo in publico deprehensi. Subiungit idem: de vi priuata damnatos, neque senatores, neque decuriones, neque iudices esse, neque honorem vllum capere, Iulia lege, potuisse. Consularis, & Antonia, à M. Antonio post obitum C. Cæsaris lata; vt damnatis de vi ad populum prouocatio esset, quod ad conciliandos sibi multitudinis animos, qui tyrannidem spectaret, excogitauit. Harum autem legum testimonia non recito; ne perdat narratio dignitatem, neve non modo alijs, verum etiam ipse mihi molestiam pariam, dum illa crebro repetantur, vt ait, vt inquit, & eiusdem generis alia. Peculatus à principio capitalis non fuit, & pecuniaria pœna, non capitis diminutione, notabatur, id significat Liuius lib. XXVII. cum ait: M. Liuius erat multos annos ante ex consulatu populi iudicio damnatus, quam ignominiam adeo ægre tulerat, vt & rus migraret, & per multos annos, & vrbe, & omni cœtu careret hominum, ex his verbis, non esse M. Liuio qui postea Salinator est appellatus, aqua & igni interdictum, sed affectum animo grauiter ex eo iudicio, iratum populo, sua sponte vrbe cessisse, animaduerto, eum autem peculatus nomine à populo esse damnatum, ex eo libello didici, quem nescio quis de viris illustribus composuit; est enim in eo ita scriptum: Liuius Salinator primo consul de Illyrijs triumphauit; deinde ex inuidia peculatus reus ab omnibus tribubus excepta Mæcia, condemnatus, & apud Liuium lib. 38. damnato de peculatu L. Scipione Asiatico, Africani maioris fratre, litis æstimatæ, & carceris, nisi solueret, mentio fit; aquæ vero & ignis interdictio nulla nominatur. Habemus etiam exemplum M. Camilli, qui vrbem Romam obsidione Gallorum liberauit, hic ob Veientanam prædam,

dam, vt ait Liuius à L. Appulcio accusatus, XV. millibus grauis æris damnatus est, abijt autem in exilium ante iudicij diem: quia, cum, se damnatum iri, de suis tribulibus & clientibus cognouisset, de patria maluit decedere, quàm iniquissimam multam populi suffragijs irrogatam, exsoluere, nam damnatis de peculatu vel soluendum erat quanti lis esset æstimata, vel in vinculis, quoad soluerent, miserrime viuendum, quod in Scipionis Asiatici iudicio, de quo proximè dictū est, Liuius significat, quòd si reus, iudicio nō expectato, in exiliū voluntariū abijsset; tunc accusationem quidem is, qui cœperat, persequebatur; reum tamen absentem non alia, quàm pecuniaria pœna populus condemnabat: eamq; pecuniam soluere, si rediret, damnatus cogebatur, aut si soluendo non esset in carcerem ire: & cum ait Liuius de Camillo lib. V. Non prius ab Ardea profectum Camillum, quàm comperit legem latam: quòd iniussu populi mutari finibus non posset: non significat, quod fortasse videri possit, non licuisse Camillo aliam in ciuitatem, extra populi R. ditionem, migrare; sed non potuisse Romam redire, nisi, quam ab eo solui pecuniam populus iusserat, aut solueret, aut lege lata, rescisoq; populi iudicio, liberaretur, non enim in exilium ire coactus esset, si multæ satisfeciisset, idq; satis aperte Liuius declarat, cum ait. Accitis domum tribulibus, & clientibus, quæ magna pars plebis erat, percunctatus animos eorum responsum tulit, se collaturos quanti damnatus esset; absoluere eum non posse, quare non fuit capitalis peculatus, cum pecunia puniretur: sed, vel quia soluere multam rei non possent, vel quia nollent, vt Camillus, tanquam in exilium proficiscebantur. Quòd si quis de Marcio Coriolano id, quod Dionysius & Plutarchus tradiderunt, mihi obijciat; perpetuo exilio à tribus esse multatum, quòd prædam in Antiati agro factam occultasset, nec in publicum retulisset: fatebor fortasse, peculatum fuisse, quo Marcius

est condemnatus; iudicium tamen illud non vocabo, sed vim quandam & impetum multitudinis concitatæ, vlciſci plebs cum alias iniurias à Marcio acceptas, tum illam maxime voluit, quòd cum frumentum à ſenatu peteret, vnus ex omnibus patricijs acerrime reſtiterat, quare in illo iudicio nihil minus, quàm quid leges vellent, à plebe ſpectatum eſt. Quod autem Dionyſius & Plutarchus, non abſentem, ſed præſentem, Liuius autem contra damnatum abſentem tradit: Liuio magis aſſenſerim, eſt enim veriſimilius, Coriolanum, irritatæ plebis vim timentem, iudicio ſe non commiſiſſe, & ante iudicij diem vrbe exijſſe. Accedit illud, quòd, etſi de Coriolani exilio inter omnes conuenit: de crimine tamen, quo damnatus eſt, non idem omnes tradunt. Plutarchus peculatum memorat. Liuius delicti nomen non ponit. Dionyſius nominatum quidem à Sicinio tribuno pl. prædam Antiatem in Coriolani accuſatione ſignificat, ſed vt perduellionis crimen, quod illi obiectum erat, probaretur; quòd eam prædam Coriolanus amicis & clientibus diuiſiſſet, eo conſilio, vt ſocios & ſatellites ad parandam tyrannidem quamplurimos haberet, quare, ſi verum eſt, quod Græci homines ſcriptum reliquere, multatum exilio Coriolanum; cum Liuius, non damnatum exilio, ſed damnatum in Volſcos exulatum abijſſe tradat, vt ſignificare quiddã de voluntario exilio videri poſſit: tamen, vel quia iudiciũ illud non fuit, ſed furentis plebis impetus, vel quia cum peculatu coniunctum vna fuit perduellionis crimen, nihil obſtat, quin peculatum ex eo genere criminum fuiſſe credamus, quo in genere non capitis erat, ſed pecuniæ pœna conſtituta. Hoc de crimine lex nulla nominatur, ſed ante M. Aemilium Lepidum, C. Flaminium cos. quo anno ſuperior Africanus à duobus Petilijs tribunis pl. eſt accuſatus, iudicem ſenatum fuiſſe, Liuius libro XXXVIII. ſignificat his verbis. Huic rogationi Q. & L. Nummij intercedebant, ſenatum

quæ-

quærere de pecunia non relata in publicum, ita vt antea semper factum esset, æquum censebant, tum Q. Terentium Culeonem prætorem de pecunia, quæ capta, ablata, coacta ab rege Antiocho diceretur, quærere patres iusserunt, eoq; cognoscente L. Scipio Asiaticus damnatus est, me tamen idem Liuius in dubitationem adducit, senatus ne, an populus ante eos consules, quos nominaui, de peculatu quæsierit, scribit enim duobus libris, XXVII. & XXIX. M. Liuium Salinatorem post priorem consulatum à populo esse condemnatum; ideoq; eum, cum censuram gereret, tribus omnes, excepta Mæcia, in ærarios retulisse, quòd & innocentem se condemnassent, & consulem postea censoremq; fecissent, eam porro damnationem peculatus nomine fuisse, docet is, vt iam ostendi, qui de viris illustribus librum conscripsit, parum igitur ipse sibi constare Liuius videtur, qui ante consules M. Aemilium & C. Flaminium semper de peculatu senatum quæsijsse affirmet, cum idem eo de crimine M. Liuium, populo iudicante, damnatum ante dixerit, sed videlicet existimo, quouis de crimine, si tribunus pl. aliquis esset accusator, populum iudicare potuisse: id quod ante dictum est, exemplisq; comprobatum, quare, ne grauis auctor, T. Liuius, damnetur inconstantiæ, locum hæc habeat exceptio. Post Africani, eiusq; fratris Asiatici accusationem, prætor cum iudicum consilio de ijs, qui peculatus arguerentur, quæstionem exercuit, id opinor lege ab aliquo magistratu lata institutum, alioqui, quod senatus vniuersi munus erat, ad prætorem, certumq; iudicum numerum, senatu negligente, translatum, vix putarim. Lege postea Iulia capitalis peculatus factus est: quod iurisconsulti declarant nec iniuria: cum & repetundarum crimen, huic admodum simile, capitale iam antea fuisset, cur enim, quod socijs tribuebatur, id ærarij, hoc est ciuium, causa minus fieret? tametsi Cæsar cum tam acriter de peculatu cauit, suam po-

potius rem, quàm publicam spectauit, sibi enim, qui omnia teneret, furtum fieri statuit, non Reip. Peculatus pœna, inquit Vlpianus ad legem Iuliam peculatus, aquæ & ignis interdictionem continet: in quam hodie successit deportatio, porrò qui in eum statum deducitur, sicut omnia pristina iura, ita & bona amittit. Lege autem peculatus tenebatur, si quis pecuniam publicam surripuisset, vel vt surriperetur, curasset: si quis in aurum, argentumue, aut æs publicum quid indidisset, vel immiscuisset, fecisset q; dolo malo, quo id peius fieret, hæc apud Venuleium scripta sunt. Quod autem additur, eadem Iulia lege obstrictos fuisse, qui æs, in quo leges incisæ erant, refixisset, vel quid immutasset, aut in publicis tabulis deleuisset, induxissetue hæc ego non ad peculatum, sed ad maiestatem retulerim, quòd si pretio commissum id fuisset: ne sic quidem peculatus mihi videtur, sed damnandi potius maiestatis & corruptus, & corruptor, quædam enim incerta crimina in maiestatem conferebantur: neque aliud crimen patebat latius, atque etiam, quod in lege Iulia peculatus ait Vlpianus scriptum fuisse, ne quis ex pecunia sacra, religiosaq; auferret, interciperet, in rem suam verteret, non peculatum magis, quàm sacrilegium, fuisse existimauerim. Hæc præterea sunt in crimine peculatus: si quis imperator pecuniam ex præda captam penes se priuatim retinuisset eamq; nec in triumpho tulisset, nec in ærarium retulisset. Pœna peculatus vel pecuniaria fuit, vel capitalis, nam qui prædam ab hostibus captam surripuerat, in quadruplum damnabatur: cæteris autem aqua & igni interdicebatur, postea irrogata est alia lege deportatio, abrogata interdictionis pœna, deportati vero, quod in Vlpiano legimus, sicut omnia pristina iura, ita & bona amittunt omnia. Et quoniam, vt repetundæ, ita peculatus publicum furtum fuit: propterea, vt in repetundis, sic in peculatu æstimationes fiebant litium, contraq; hæredes, vt scripsit Papinia-

nia-

nianus ad legem Iuliam peculatus, actio dabatur, peculatum tamen, quod ante quinquennium esset admissum, obijci non oportuit, si Venuleio credimus. Cum peculatu residuæ pecuniæ coniunguntur, damnum enim vtroque modo infertur ærario, residuæ autem pecuniæ sunt, vt ait Paulus, quæ priuatim retinentur, cum vel in vsum publicum erogari vel in ærarium inferri debeant, nec minus in hoc crimine, quàm in peculatu, actio aduersus hæredes dabatur, quæq; de peculatu, eadem residuis de pecunijs lex cauebat, vt non dubitem, quin eadem pœna sit damnatis irrogata, amplius quidem tertia parte, quàm deberent, soluisse eos, qui de residuis pecunijs damnarentur, Martianus ait, capitis autem lege Iulia esse damnatos, verisimillimum est. Inter sicarios graue crimen fuit, & ad vim pertinuit; proprie tamen lege Cornelia vindicatum est, sicuti nec de perduellionis crimine, quod ad maiestatem pertinuit, eadem lege, qua de reliquis maiestatis criminibus, quæsitum est: cum de perduellione populus, de reliqua vero maiestate prætor cognosceret, lege de sicarijs Cornelia, quam dictator Sylla tulit, tenebatur qui hominem occidisset, aut occidendi causa cum telo ambulasset, vel venenum parasset, habuisset, vendidisset: siue quis priuatus testimonium dolo malo dixisset, quo quis iudicio publico condemnaretur: aut si magistratus ob capitalem causam pecuniam accepisset, eorumve quid fecisset, quod legibus permissum non esset, adiectum est ex S. C. eadem lege teneri eos, qui homines libidinis, vel, vt iurisconsulti loquuntur, promercij causa castrauissent, aut filios, exceptis Iudæis, circumcidissent, sacrificiave mala fecissent, habuissent, excipiuntur tamen hac lege, qui occidissent perfugam, vel vim inferentem, vel pudicitiam violenter attentantem, exceperat etiam eos Sylla, qui ob relata proscriptorum ciuium capita pecuniam ex ærario accepissent: quos tamen postea C. Cæsar, cum de sicarijs quæreret, in

sica-

ficariorum numero habuit, hac lege tenebantur etiam ij, quorum fraude, aut consilio naufragi per vim suppressi fuissent; quive data opera in eorum, quos odissent, res atque bona incendium immisissent. Hìc, quæ pœna esset lege Cornelia ijs, qui hominem occidissent, fortasse quæretur, mors, vt iam significauimus, non fuit, sed aquæ, & ignis interdictio, nam Cato censorius ciues Romanos necari, aut verberari, perduellibus exceptis, lege lata vetuit, quòd si quis obijciat, à Nasica Ti. Gracchum, ab Opimio Caium, à Mario Saturninum, & Glauciam, à Cicerone ipso ciues Romanos vita priuatos, neque tamen quenquam eorum lege Porcia condemnatum: huic facile satisfieri poterit, si ita respondebitur: cum S. C. illud fieret, quò deuentum nisi difficillimis ac periculosissimis reip. temporibus non esse traditum est. Darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet; iacuisse prorsus legem Porciam, & impune licuisse ciues seditiosos, nec salutariter de patria cogitantes interficere, quibus S.C. excitati, atque armati Nasica, Opimius, Marius, Cicero, fecerunt id contra legem Porciam, quod nisi feciſſent, timendum magnopere fuit, ne leges reliquæ omnes, pernicioſis malorum ciuium consilijs, ac scelere, concidrent, leges enim ad salutem publicam referuntur, ea cum in dubium venit; si legibus subuenire non licet, ad vim confugitur, eaq; iusta vis, ea pietas in patriam est, nullo neque præsenti, neque posteritatis iudicio damnata, sed omnium sæculorum perpetuis sermonibus, ac laudibus excepta. Atque hanc in ciues vltimo supplicio animaduertendi potestatem non nisi S.C. vt diximus, consulibus esse datam (nam legibus multare ciues morte non licebat) illa in Catilinam indicant: Ad mortem te Catilina duci iussu cõsulis iampridem oportebat. Habemus enim S.C. in te Catilina vehemens, & graue, non deest resp. consilium, neque auctoritas huius ordinis, nos, nos, dico aperte, cõsules desumus,

mus, decreuit quondã senatus, vt L. Opimius cõsul videret ne quid resp. detrimenti caperet, nox nulla intercessit: mox interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre natus, auis, maioribus: occisus est cum liberis M. Fulvius consularis, simili S.C. C. Mario L. Valerio cos. permissa est resp. num vnum diem postea L. Saturninum tribunum pl. & C. Seruilium prætorem pœna remorata est? at nos vigesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis, habemus enim eiusmodi S.C. veruntamen in tabulis, tanquam in vagina, reconditum, quo ex S.C. confestim interfectum te Catilina conuenit, & Sallustius in Catilinario: Senatus decreuit, quod plerunque in atroci negocio solet, vt darent operam consules: ne quid Resp. detrimenti caperet, ea potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios, atque ciues, domi militiæq; imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nulli earum rerum consuli ius est. Verum, quia S.C. huiusmodi non nisi aduersus eos ciues fieri solitum est, qui vel pernicios legibus, vel armis, vel alia quauis ratione remp. oppugnarent: perduelles fuisse Ti. & C. Gracchos, Saturninum, Glauciam, Catilinam, eiusq; socios, ideoq; non modo S.C. sed lege quoque Porcia concedente, iure cæsos, licet existimare. Opponitur etiam illud, quod à Pediano traditum est: L. Tubulus, homo prætorius, ætate patrum Ciceronis, propter multa flagitia, cum de exilio esset accersitus, ne in carcere necaretur, venenum bibit, qui si necem timuit; non videtur, satis sibi constitutum fuisse præsidij in lege Porcia, iudicasse. Ego contra sic. Potuit Tubulus commissi perduellionis, quo crimine damnatos affici extremo supplicio neque Porcia, neque vlla omnino lex vetabat, sibi esse conscius: ideoq; mortem iure pertimescens, ne in carcere necaretur, venenum bibit,

potuit etiam, perduellione non commisso, deterritur conscientia potius, quàm legibus, mortem timere, vt ij, quos aliquo scelere contaminatos furiæ vexant: horrent omnia: quocunque aspexerint, aut venerint, ibi carcer, ibi carnifex, ibi laqueus, & securis, ibi factis eorum digna sibi videntur intueri, timuit igitur Tubulus, ne quemadmodum multi ob recte facta legibus soluti sunt, vt summos honores ante legitimam ætatem, aut aliquid, quod nemini præterea concedi soleret, consequerentur; sic ipse, quandoquidem se ab exilio reuocari videret, exilio grauius aliquid, mortem nimirum, vel contra leges ob flagitia plurima subire cogeretur, certe quo minus de Porciæ legis perpetua vi, perpetua inquam ad vsque postrema Reip. tempora, in dubium veniam, facit illa vox Ciceronis in Verrem lib. V. O nomen dulce libertatis: o lex Porcia, legesq; Semproniæ: huccine tandem omnia reciderunt, vt ciuis Romanus, in prouincia populi R. in oppido fœderato, ab eo, qui beneficio populi R. fasces & secures haberet deligatus in foro virgis cæderetur? & pro C. Rabirio perduellionis reo, Porcia lex, inquit, virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit: hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem ciuium lictori eripuit: Labienus, homo popularis carnifici tradidit, iam illa C. Cæsaris, apud Salustium, si pro perduellibus, Lentulo, Cethego, Gabinio, & reliquis, reip. statum non leuiter labefactare, sed omnino conuellere conantibus, dicuntur; quanto plus habere loci videantur, si pro ciuibus, qui priuatis hominibus vim attulerint, nihil aduersus maiestatem publicam deliquerint, pronuncientur? Per deos, inquit, immortales, quamobrem in sententiam non addidisti, vti prius verberibus in eos animaduerteretur? an, quia lex Porcia vetat? atqui & aliæ item leges condemnatis ciuibus non animam eripi, sed exilium permitti, iubent, & infra. Maiores nostri, Græciæ morem imitati, verberibus ani-

ma-

maduertebant in ciues, de condemnatis summum supplicium sumebant, postquam resp. adoleuit, & multitudine ciuium factiones valuere: circumueniri innocentes, aliaq; huiuscemodi fieri cœpere, tunc lex Porcia, aliæq; leges paratæ sunt; quibus legibus exilium damnatis permissum est. Extat etiam Milonis exemplum, qui si occiso P. Clodio, de qua nece & quærendum extra ordinem, vt in atrociſſima re, senatus censuit, & à Pompeio Magno consule lata noua lex est, Porciæ legis beneficio vitam retinuit, ciuili tantùm morte, hoc est exilio, affectus est: multo magis reliquos ciues, qui leuiora delicta commisissent, eiusdem legis perfugio esse vsos, naturalemq; mortem effugisse, credibile est. At in oratione pro Cecinna, & in primo de oratore mors, quasi pœna legibus irrogata, nominatur, nam pro Cecinna, Nulla, inquit, in lege nostra reperietur, vt apud cæteras ciuitates, maleficium vllum exilio esse mulctatum: sed cum homines vincula, neces, ignominiasq; vitant, quæ sunt legibus constituta, confugiunt, quasi ad aram, in exilium, de oratore autem vitia hominum, atque fraudes damnis, ignominijs, vinculis verberibus, exilijs, morte multantur. Hæc loca legem Porciam non infirmant, sed ad perduellionis crimen spectant, quo vno in crimine ciues Romanos occidi vetustis legibus licuisse, iam diximus: quas, tanquam ciuitati salutares, neque Porcia, neque lex vlla vnquam abrogauit. Sed venit in mentem quærere, magistratus ne soli, quorum in vindicandis reis potestas esset an etiam priuati lege Porcia tenerentur. Primum, vbicunque huius legis mentionem fieri video, verbum nullum animaduerto, quod ad priuatos referri possit: ad magistratus omnia manifeste spectant: idq; ea maxime, quæ proxime recitata sunt, Saluſtij verba declarant, deinde, quorsum de priuatis? an verisimile est, nullam antea in ciuitate legem de vi fuisse? an potest vlla ciuitas sine legi-

bus, præsertim ijs, quæ vim, quæ iniurias arceant, non dico diu vigere, sed omnino stare, atque incolumis esse? ante igitur de priuatorum vi leges multæ, magistratus autem à corporibus ciuium Romanorum abstinere prima iussit Porcia lex: quam deinde alijs legibus idem iubentibus confirmatam, Saluſtij testimonio cognoscitur, sed vt de priuatis Porcia non loqueretur, intelligi tamen, quis non videt? nam quæ potestas & magistratibus, & contra fontes, omniq; supplicio dignos adimitur, an ea priuatis relinquetur? Restat, vt soli peregrini, si modo ita meriti essent, necarentur, id quo minus fieri liceret, nulla lex vnquam vetuit, & fasces illi, ac secures, quæ magistratibus præferebantur, potestatis quidem, vetusto more, erant insignia, eius tamen potestatis, quam in peregrinos tantùm liceret exercere, exilium, publicatio bonorum, carcer nocentibus ciuibus propositæ fuerunt; mors, nisi si quis & in ipsam remp. & quam acerbissimè peccasset (omnium enim de maiestate criminum perduellio summum erat) timenda non fuit. Illud miror; cum prætor de crimine inter sicarios quærere soleret, Suetonium tradere, C. Cæsarem in ædilitate quæstionem de sicarijs exercuisse, quod fortasse illi à senatu extra ordinem mandatum. Quod autem à Martiano scriptum est, vt digestorum lib. XLVIII. constat, legis Corneliæ de sicarijs, & veneficis pœnam fuisse deportationem in insulam: nolo aliquem ideo perturbari, quia, Sylla dictatore, ideſt reip. temporibus, deportatio nominetur: quod à me iam negatum est, nam Sylla pœnam irrogauit aquæ, & ignis interdictionem: cuius in locum deinde successit deportatio; vt Vlpianus non semel Iustinianusq; declarant, spectauit igitur Martianus sui temporis consuetudinem; pœnamq; nominauit, non eam, quam in sua lege scripserat Sylla, sed eam, qua tunc, sublata aquæ, & ignis interdictione, lege Cornelia damnati plectebantur, manebat

nebat enim, & obseruabatur eadem lex, pœna mutata? De paricidio prima fuit Romuli, primi regis, lex: quæ permittebat, vt monstruosi partus impune possent necari, vel exponi, hanc legem si, vt alias, à familia nominare volumus, Siluiam licebit appellare, est enim Romulus Siluiæ gentis prænomen, reliquiq; sex, qui Romæ regnarunt, suum omnes nomen, & prænomen habuerunt. Tulit idem de paricidio, ideſt de cæde hominis liberi, nam aduersus eos, qui patrem, aut matrem occidisset, pœnam nullam statuit; qui neminem vnquam tam ab humanitate auersum, tam naturæ inimicum fore existimaret, vt parentibus, vnde vitam ipsam, ac lucis vsuram accepissent, manus afferret, neque per annos DC. Romæ quisquam tale facinus perpetrauit, post Annibalis bellum L. Ostius patrem fertur primus occidisse. Romulus autem, quicunque hominem occidisset, paricidam appellari voluit. Etiam Numa Pompilius legem his verbis composuit, ac edidit: Si quis hominem liberum sciens, morti dedit, paricida esto, qua lege Tullus Hostilius Rex Horatium illum, qui sororem occiderat, voluit iudicari, postremis reip. temporibus pœnas aduersus paricidas, lege lata, C. Cæsar auxit. tulit enim, vt paricidæ non exilio solum, vt antea, sed bonis etiam omnibus multarentur; reliqui vero, capitalium rerum condemnati, dimidia bonorum parte: cum antea integris patrimonijs exularent. Hic, propter nominis potius, quàm rei similitudinem, leges de patricidio subiungemus, aliud enim est, esse paricidam: aliud esse patricidam, paricida parem occidit, hoc est ciuis ciuem: patricida patrem, vt matricida matrem. Sanxit igitur lege Pompeius magnus, vt, qui hoc tam impio crimine damnatus esset, insutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, in mare, vel in amnem proiectus, vitam, omnium elementorum vsu priuatus, amitteret, hoc & ante L. Sylla Felix lege sanxerat: sed Pompeius noua lege correxit,

rexit, addiditq; multa, & inter ea, vt non qui patrem, matremue tantùm, verum etiam qui cognatos, aut patronos occidissent, parricidij lege tenerentur, tametsi non omnes eadem pœna afficiebantur, nam qui cognatos, aut patronos occiderant, ijs pœna erat ea, quam lex Cornelia de sicarijs irrogabat, summo autem illo, quod memorauimus, supplicio, quod à rege Superbo excogitatum historiæ narrant, vt puniret grauius M. Tullium Ilirum, qui librum de sacris mysterijs describendum Petronio Sabino tradidisset, mactabantur ij, qui patrem, aut matrem, auum, aut auiam necassent, de quibus tamen, nisi confessi prius essent, supplicium sumi leges vetabant. Nunc de veneficio dicendum, locus autem videtur postulare, vt, antequàm ad leges veniamus, quæ nobis est proposita tractatio, noua quædam afferamus, quæ fore non inutilia credimus non modo litterarum humanarum studiosis, verum etiam ipsis iurisconsultis, ijs quidem, qui paulo splendidiorem doctrinam colunt; quales maximè nouimus, excellenti non minus humanitate, quàm doctrina præditos viros, Romæ Siluestrum Aldobrandinum, Antonium Augustinum, Antonium Galæsium, Florentiæ Lælium Taurellum, Mediolani M. Antonium Caymum, Brixiæ Iacobum Chiziolam, Vincentium Portulacam, qui latine scribendi elegantia, meo iudicio ad antiquorum laudem accedit proximè; Patauij vero Guidonem Pancirolum, familiarem meum, qui noctes vigilat serenas, vt ait Lucretius, assiduoq; studio antiquitatem ex tenebris educit. Primum igitur illud ponatur, veneficij crimen fuisse capitale: alterum, de eo quæsijsse non prætorem modo, qui & iudex quæstionis dicebatur, verum etiam iudicem quæstionis, qui prætor interdum non erat: tertium, videri mihi satis manifesto errore Budæum, virum alioqui bene doctum, in suis adnotationibus esse lapsum, qui criminalibus, vt appellant, in causis, præter prætorem vrbanum, nemi-

neminem, quæsijsse, eumq; tum, nomine commutato, iudicem quæstionis esse dictum, tradiderit. Capitale fuisse veneficium, indicat exilium Oppianici, de veneficio condemnati: cuius mentio fit in ea pro Cluentio: & illud in eadem, cum futurum ait Cicero, si Cluentius veneficij reus damnetur, vt patris sepulcro priuetur, clarissime autem hoc significatur Institutionum iuris ciuilis libro 4. Probemus alterum, quod paulo difficilius videtur. Iudicum quæstionis duo video fuisse genera; vnum eorum, qui cum prætores essent, quæstionis etiam iudices appellabantur; alterum eorum, qui cum prætores non essent, capitali tamen de crimine quærebant, de iudice quæstionis prætore patet ex ea, quam proximè nominaui, pro Cluentio; in qua ita scriptum est: Iubet lex iudicem quæstionis, hoc est, Q. Voconium, eosq;, qui illi iudices obuenerint, quærere de veneno. Voconium autem prætorem fuisse, duobus argumentis conijcio: primum, quòd in eo loco paulo ante Cicero dixit; Quid sibi illi scribæ, quid lictores? quid cæteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt? lictores enim, qui magistratum non gereret, non habebat, iudicem autem quæstionis magistratus nomen fuisse, certe nemo dixerit: Alterum argumentum est, quòd ibidem Cicero subiungit de alijs prætoribus suam vnoquoque quæstionem exercente. Hæc, inquit, quæstio sola ita gubernatur? quid M. Pletorij, & C. Flaminini inter sicarios? quid C. Orchinij peculatus? quid mea de pecunijs repetundis? quid C. Aquillij de ambitu? quid reliquæ quæstiones? quibus ex verbis prætorem fuisse Voconium, qui iudex quæstionis appellatur, quis non intelligit? nam, etsi prætores non nominat; satis tamen constat, de prætoribus intelligi, à quibus enim & tot quæstiones, nisi à prætoribus, & tam graues exercerentur, inter sicarios, de repetundis, de ambitu, peculatus præterea, se quæsijsse de repetundis, in eo loco Cicero dicit, quod ab eo factum in prætura, Valerius,

lerius, & Plutarchus confirmant, vt omittam, quòd quæsitorem Aquillium nominat: cuius annum fuisse legitimum, eundem qui Ciceroni, ad petendum consulatum, prima docet ad Atticum epistola, ex quo, fuisse collegas in prætura, licet existimare, quod etiam lib. II. de officijs manifestum est, collegam enim suum Cicero appellat. Rursus iudicem quæstionis Iunium, qui prætor non erat, quæsijsse de veneno in Oppianici causa, docet Pedianus his verbis: Iunius quæsitor fuit in Cluentij causa, Verre prætore: in qua Oppianicus damnatus est, & alio loco: Damnato Oppianico, res in inuidia fuit; quòd pecunia reus videretur oppressus: & princeps illorum iudicum damnatus est C. Iunius, quòd diceretur alios suppositisse, qui reum damnarent, non eos, quos prætor Verres fuerat subsortitus, neque hìc eum Pedianus, neque supra prætorem nominauit. Cicero autem in ea pro Cluentio, Condemnatus est, inquit, C. Iunius, qui ei quæstioni præfuerat, adde etiam illud, si placet: tum est condemnatus, cum esset iudex quæstionis, & alio loco: Quinctius tribunus pl. conuicium C. Iunio iudici quæstionis maximum fecit, non fuisse autem prætorem, aperte, sic inquam aperte, vt clarius esse nihil possit, idem demonstrat in eadem, his verbis: In hanc flammam recentem C. Iunium, qui illi quæstioni præfuerat, iniectum esse memini, & illum, hominem ædilicium, iam prætorem opinionibus hominum constitutum, de ciuitate esse sublatum. Ecce, non prætorium, sed prætorem opinionibus hominum constitutum dicit: quòd, cum prætorem sine dubio futurum, homines opinarentur, prætor autem si fuisset, non eum ædilicium, sed prætorium vocasset, laudabant enim veteres, vbi ornare aliquem vellent, ab eo magistratu, quem postremum gessisset; itaq; hominẽ ædiliciũ, prætoriũ, consularem, dicebant. Præterea, cum prætores in leges non iurauerint, neque sententias tulerint, quod & Cicero, & Pedianus docent; à

Iunio

Iunio autem iudice quæstionis ideo multa petita sit, vt in oratione pro Cluentio legimus, quia in legem non iurasset: (erat enim illi iurandum, idem quod iudicibus, leges omnino se esse in ferenda sententia seruaturum) satis constat, Iunium, cum de Oppianico quæsiuit, prætorem non fuisse. Quòd si quis dixerit, non tam Iunium iudicem quæstionis, quàm Verrem prætorem, in illa Oppianici causa quæsijsse; quia Pedianus ita dicat; Iunius quæsitor fuit in Cluentij causa, Verre prætore; & quia idem alio loco sortitionem, & subsortitionem à Verre prætore factam tradiderit: huic ita responderi poterit: sortitionem, & subsortitionem non illius modo iudicij, verum etiam aliorum ideo pertinuisse ad C. Verrem, quia prætor vrb. erat, quod ipse declarat Cicero in eo pro Cluentio, prætor autem vrbanus de criminibus non quærebat; quare nec vnquam quæsitor dicebatur; sed ius tantùm dicebat, hoc est iudices, & formam iudicij dabat, idemq; iudices, quibus alij prætores ad cognoscendas capitales causas vterentur, sortiebatur, & subsortiebatur, quod ex Pediano, & ex ipso etiam Cicerone satis liquet. Accedit locus ex libro I. accusationis in Verrem: quo in loco Q. Curtium iudicem quæstionis appellat Cicero, in causa Verris repetundarum: de qua prætor M. Acilius Glabrio cognoscebat, eumq; Curtium ait Pedianus à Cicerone esse reiectum. Illud addo; cum iam docuerim, iudicem quæstionis, & prætorem, & non prætorem, de crimine capitali cognouisse, tertium genus iudicium quæstionis interdum fuisse, quorum ius cognoscendi non esset, sed tantummodo subsortiendi, quod locus de Q. Curtio proximus iam ostendit: quem cognouisse de repetundis, absurdum est credere: cum, in ea causa prætorem quæsijsse Glabrionem, ex Cicerone, & Pediano satis constet, itaque tertium hoc genus quæsitores dici non poterant: duo illa superiora genera, quoniam quidem quærerent, quæsitores, & erant, & pro-

prie dicebantur. Quod autem à Budæo scriptum est, prætorem vrb. vbi de criminibus quæreretur, solum cognouisse: aperte falsum esse dico, non modo enim solus non quæsiuit prætor vrb. sed nec omnino quæsiuit, ipse ius dicebat: quod quærere non est, quærebant cæteri collegæ, cum ijs iudicibus, quos prætor vrb. & sortitus, & subsortitus esset, exemplorum plena sunt omnia: vnam, quæ multorum exemplorum loco sit, rationem afferam. Accusat Verrem Cicero in suis libris acerbissimè: præturam vrb. totam exagitat, obijcit ne vnquam, quòd in causa capitali contra leges aliquid commiserit? nunquàm certe, neque dubium, quin Verres, si potestatem illam prætor habuisset, multa fuerit inique facturus. Addit idem: prætorem vrb. cum quæreret, iudicem quæstionis esse dictum, hoc certe nemo (de veteribus loquor: hos enim sequor) vnquam tradidit: mirorq;, cur hoc illi, qui suæ sententiæ testem non haberet, placuerit affirmare, sed, vt opinor, error ex errore fluxit, nam cum, prætorem vrb. quærere de criminibus, iam sibi persuasisset: quod omnino falsum est: sequi videbatur, vt idem quæstionis iudex appellari posset, ego autem ostendi iam, quæstionis iudicem interdum quæsijsse, & prætorem fuisse, non tamen vrbanum; vt quæsiuit Q. Voconius de veneficio: prætorem autem vrbanum reip. temporibus quæsijsse, aut iudicem quæstionis vocatum, neque de veteribus video quenquam fuisse qui dixerit, neque coniecturis omnino vllis adduci possum ad suspicandum. Quæsitoris porro erat, accusatorem, defensorem, testem, in officio quenque suo continere.

Leges, quibus veneficium vindicaretur, Romæ per annos multos nullæ fuerunt, non enim proprie ad veneficium pertinet XII. tab. lex illa: Qui fruges excantassit, &, qui malum carmen incantassit, coercetur, etsi coniunctionem habere quandam videtur cum veneficij crimine, proprie vero, ac nominatim eo primum anno, quo C. Valerius

Flaccus

Flaccus M. Claudius Marcellus consulatum gesserunt, qui post vrbem conditam, si fastos sequimur, annus CDXXII. fuit, de veneficijs esse quæsitum, legemq; constitutam, Liuius libro VIII. scriptum reliquit, ex quo, quæ tum probitas fuerit, apparet; cum in tanta ciuitate, per tot annos, veneficij nomine in iudicium vocatus nemo sit. Cornelia postea fuit, L. Syllæ; quam, bello ciuili confecto, dictator tulit, cum vnus omnia teneret: quod ex his verbis, quæ scripsit Cicero pro Cluentio, manifestum est. Postea, inquit, L. Sylla, homo à populi causa remotissimus, tamen, cum eius rei quæstionem hac ipsa lege constitueret, qua vos hoc tempore iudicatis, populum R. quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare nouo quæstionis genere ausus non est, quod si fieri posse existimasset; pro illo odio, quod habuit in æqueſtrem ordinem, nihil feciſſet libentius, quàm omnem illam acerbitatem proscriptionis suæ, quæstus in veteres iudices, in hanc vnam quæstionem contulisset. Huius autem legis pœna capitalis non ad veneficos tantùm, sed ad eos etiam pertinuit, qui magicis incantationibus homines occidissent, aut qui mala medicamenta publicè vendidissent, omnesq; prorsus, nemine excepto, viri, mulieres, liberi, serui, ac lege in iudicium vocabantur. Permissum autem esse reo, vt ex illius voluntate, clam, aut palam, à iudicibus sententiæ ferrentur, ex ea, qua de proximè meminimus, oratione cognoscitur, eademq; lege de corruptis iudicijs quæsitum, eadem declarat oratio. Secuta est consularis Iulia, C. Cæsaris, qui & ipse dictator fuit, nec tamen deinde ex lege Iulia, sed ex Cornelia, quanquam vetustior fuerit, iudicia sunt administrata: puto, quia non semper posterior lex priorem comprædendebat, sed interdum aliquid tantùm addebat; vt vniuersa pene iudicij ratio à priore lege penderet, propterea Corneliam potius, quàm Iuliam, posteriores iurisconsulti nominarunt. De ambitu quæ prima lata est,

tribunicia Pœtilia fuit, C. Fabio Ambusto, C. Plautio Proculo cos. deinde aliæ, consularis Cornelia Bæbia, à duobus eiusdem anni consulibus lata: tum alia, Cn. Cornelio Dolabella M. Fuluio Nobiliore cos. lata; vt ex epitome Liuiana colligitur: quæ vtrum tribunicia fuerit, an consularis, conijcere non licet. Multos deinde post annos consularis Calpurnia: quam C. Calpurnius Piso consul, anno ab vrbe condita DCLXXXVI. grauiorem, quàm antea tulit: in qua, præter alias pœnas, pecuniaria quoque erat adiecta, huic legi ob nimiam eius seueritatem puto aliquid postea derogatum, nam in oratione pro C. Cornelio; de quatuor generibus, in quibus per senatum more maiorum statueretur aliquid de legibus tertium Cicero memorat his verbis. Tertium est de legum derogationibus, quo de genere persæpe S.C. fiunt, vt nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur, nunquam enim Calpurnia lex est abrogata: quam seruari Cicerone consule, ex oratione pro Murena cognouimus: sed ei derogatum aliquid, quòd ita senatus censuisset, ea quæ recitaui, verba significant. Hac lege accusatoribus præmium videtur fuisse, vt si ipsi ambitus damnati essent, aliorumq; eodem in genere culpam demonstrassent, in integrum restituerentur. Id apparet (vt alia omittamus exempla) ex oratione pro Cluentio: quam post Calpurniam legem habitam esse, ex eo constat, quia prætor Cicero eam causam egit, quòd si accusator magistratum designatum in iudicium vocasset, eiusq; culpam iudicibus probasset: reus magistratum amittebat; accusator eius locum assequebatur: si modo ei per ætatem, & per leges magistratum illum capere liceret, suspicari licet hoc è Syllæ Autronijq; notissimo exemplo: quibus de ambitu, cum designati consules essent, damnatis, accusatores eorum Torquatus & Cotta consules facti sunt, nisi si, quod ego verius existimo consules non legis præmio factos intelligas Torquatum & Cot-

Cottam, sed quia, comitijs post Syllæ Autronijq; damnationem iterum habitis, populus eos creauerit. Tertium præmium lege datum accusatori, hoc quidem in crimine, tribus permutationem inuenio: si modo ea tribus, in qua reus censeretur, nobilior esset, quàm tribus accusatoris, hoc in oratione pro L. Balbo Ciceronis illa verba declarant. Obiectum est etiam, quòd in tribum Crustuminam peruenerit: quod hic assecutus est legis de ambitu præmio. Quòd si nullum ex eo præmium accusator consequi posset, hoc est, neque suam ipsius absolutionem, quia damnatus non esset; neque vllum, deiecto reo, magistratum; neque tribum, quia rei tribus non esset accusatoris tribu nobilior: pecuniam illi de publico esse datam, licet opinari, id autem ex eo suspicor, quòd Asconius in orationis pro Milone commentario, Milo, inquit, postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum, absens damnatus est, illa quoque lege accusator eius fuit Ap. Claudius: & cum ei præmium lege daretur, negauit non enim est vt intelligi possit, præmium illi lege datum aut ipsius absolutionem; nec enim recusasset: aut Milonis magistratum, qui designatus non erat; aut permutationem tribus, cum ipse in tribu rustica nobilissima censeretur. Claudios enim Pulchros in tribu Claudia fuisse, ex Liuio cognoscitur; reliquum igitur fortasse pecunia fuit: quam accipere, dignitatis non erat: itaque Appius, patricia familia natus, Appij, viri consularis, & auguris, filius, negauit. Post Calpurniam Tullia fuit, consularis, & ipsa lata à M. Tullio Cicerone consule: quæ & pœnam grauiorem, quàm Calpurnia, & præterea aquæ, & ignis per annos X. interdictionem, hoc est X. annorum exilium irrogauit ordini senatorio, itaque sine causa mirantur nonnulli, parum videlicet attentè in legenda historia versati, cur Cicero in oratione pro Sylla dicat: Abfuit ab oculis vestris, & cum lege retineretur, ipse se exilio pene multauit,

uit, quibus verbis, de ambitu damnatis ciuitatem non esse lege Calpurnia ereptam, significat: cum idem in oratione pro Plancio scriptum reliquerit: Nunc postulatur à vobis, vt eius exilio, qui creatus sit, iudicium populi R. reprehendatis, quo declarat, Plancio exilium, si de ambitu damnatus sit, pœnam futuram, pugnare omnino hæc inter se videntur: sed conciliantur distinctione temporum, nam Sylla damnatus est ante Ciceronem consulem, Lepido & Tullo cos. ea lege, quam C. Calpurnius Piso tulerat: quæ cum esset grauissima, damnatis tamen exilium non inferebat, oratio autem pro Plancio post Ciceronis consulatum habita est, quo tempore iudicia de ambitu ex ea lege, quam ipse consul Cicero tulerat, exercebantur: qua lege exilium senatoribus irrogatum esse, non obscure pro Murena oratio demonstrat, exilium autem non per omnem vitam, vt in alijs criminibus capitalibus, sed per decennium fuisse, tradidit Dio lib. XXXVII. Polybius tamen in eo libro, quem scripsit de rerump. generibus, aperte significat, multo ante legem Tulliam, atque etiam Calpurniam, capitalem ambitum fuisse, ait enim sic. Pecunijs palam apud Carthaginienses magistratus emuntur, quod Romæ capitali pœna vindicatur, illa porro temporibus Africani minoris Polybius tradidit, vt nouam postea legem vetere abrogata, de ambitu latam, credere sit necesse, quæ capitis pœnam ademerit. Aut, dicamus Polybij ætate capitalem fuisse ambitum non lege, sed more: cum eo de crimine, deq; alijs item capitalibus nondum prætores quærerent, sed populus ipse tributis comitijs iudicaret, quod idem Polybius in eodem libro docet his verbis: Capite damnandi solus potestatem habet populus. In Tullia illud quoque scriptum est, ne quis biennio, quo magistratum petijsset, petiturusve esset, gladiatores daret, nisi ex testamento præstituta die: ne quis prandia vulgo daret, quam legem cum P. Vatinius contempsisset, obijcit ei

Ci-

Cicero tantam licentiam, atque arrogantiam in asperrima illa interrogatione, & in oratione pro Sextio. In Ausidia tribunicia, quam tulit M. Ausidius Lurco, eadem fuere quæ in superioribus legibus, noui hoc, vt qui nummos in tribu pronunciasset, si non dedisset, impune esset; sin dedisset, vt is quoad viueret, singulis tribubus H-S CIↃ CIↃ CIↃ deberet. Consulares præterea duas inuenio, Pompeiam, & Iuliam, Cn. Pompeij Magni, & C. Iulij Cæsaris, qui postea dictator fuit: quæ quid aut diuersum, aut amplius, quàm quæ antea latæ fuerant leges, habuerint, exploratum non est, id quidem facile crediderim, cum lege Tullia de ambitu damnatis aquæ & ignis interdictio, hoc est exilium, per X. annos irrogaretur, lege Pompeia diuturnius exilium, aut fortasse perpetuum, esse irrogatum, nam in Pompeia pœnam grauiorem, quàm antea, & formam iudiciorum breuiorem Pedianus nominat, hoc etiam hac lege sancitum esse video, ne rei laudarentur, quod idem Pompeius cum in Planci iudicio non seruasset, M. Cato iudex Pompeij laudationem legi vetuit, quo autem tempore legem hanc Pompeius tulit, iudicum numerum videtur constituisse CCCLX. quod & Velleius lib. II. & Plutarchus in Pompeio declarat, itidemq; pro CCC. legendum puto CCCLX. in epistola Cœlij, fam. lib. VIII. nisi si aut Velleium, & Plutarchum malis esse mendosum, quàm epistolam Cœlij; vt vbique legatur, CCC: aut, mendum æque apud omnes esse, aliquis existimet, nec CCC, aut CCCLX, sed CCCL. iudices fuisse; vt eorum numerus cum numero tribuum, quæ XXXV. erant, congruat; quòd ex singulis tribubus deni crearentur. Lege item Iulia capitalem ambitum fuisse, apud Iustinianum scriptum est. Crimen de corruptis iudicijs ipsum quoque capitale crediderim, id ex eo conijcio, quòd C. Gracchus tribunus plebis legem in ordinem senatorium tulit, cæteros ordines excepit: vt in oratione pro Cluentio legimus.

Cum

Cum igitur & crimen ipsum per se grauissimum fuerit; (quid enim grauius, quàm innocentem, accepta pecunia condemnare?) & Gracchus eam legem, vt in eadem oratione ait Cicero, pro plebe tulerit, ad licentiam senatorij ordinis retundendam: leuiore pœna eum contentum fuisse, verisimile non est, quod eo magis existimo, quia postea crimen hoc L. Sylla comprehendit ea lege, quam de veneno tulit: vt capitale crimen cum capitali, venenum scilicet cum iudicijs corruptis, coniunxisse videatur, hoc orationis pro Cluentio (ne pluribus vtar exemplis) partes multæ declarant, & Sylla equestri ordini admodum fuit infensus, senatorij vero studiosissimus; Gracchi tamen legem in hoc secutus, equestrem ordinem, & plebem periculo liberauit. Quod autem coniectura adductus existimabam, id legis XII. tab. testimonio Gellius confirmat: in qua scriptum esse ait, vt qui ob rem iudicandam pecuniam accepisse conuictus esset, capite puniretur, vt Gracchus non hoc ipse nouum sanxerit, sed à XII. tab. petitum in suam legem transtulerit. Romæ autem quis iudicium primus corruperit, ignoratur, quod & à Plutarcho traditum est in vita Coriolani. Athenis vero idem scribit, Anytum, Anchemeonis filium, hanc pestem induxisse primum. Vnum addam ad ingenia excitanda: quod quæstionibus positis, maxime fit; mirari me vehementer, cur in ea, quam proxime nominaui, oratione pecunias ob iudicandum captas Cicero repetundas vocet; quas diuersas fuisse nemo nescit: de quibus etiam propria lege quærebatur: cum de ijs, quæ ob rem iudicandam essent acceptæ, lege Cornelia de veneno cognosceretur, nisi si pecuniæ repetundæ dicebantur non eæ solum, quas prouinciarum rectores contra leges accepissent, verum & illæ, quarum causa, qui ob iudicandum eas cepissent, in iudicium vocarentur, quodam enim modo, cum aduersus eos ageretur, iudicio repeti pecunia videbatur, id eo facilius crediderim,

quia

quia lege Iulia de repetundis non rectores modo prouinciarum, sed eos etiam, qui pecunia corrupti aliquid in iudicio vel commisissent, vel omisissent, esse conprehensos, iurisconsultorum libri demonstrant, nec sane, si adrationem animus referatur, video quid interfit, vti vel à socijs, publico fungens munere, pecunias contra leges, an à ciuibus aliquis accipiat Adulterium lege Romilia capitale fuisse, litteris proditum est, sic inquam capitale, vt pœna mors esset, tulit enim Romulus legem his verbis: Adulterij conuictam vir, & cognati, vti volent, necanto, quod item lege Iulia confirmatum est: qua lege supplicio afficiebantur eodem, qui cum maribus nefandam libidinem exercuissent, stupratoribus autem, si essent honesti, pœnam irrogabat, publicationem partis dimidiæ bonorum: & capitale tunc stuprum non erat: sin humiles, corporis coertionem cum relegatione quinquennali, nisi per vim stuprum commissum esset; si per vim, tempore non præfinito. Et inter liberas tantum personas, vt scripsit Papinianus, adulterium stuprumue passas, lex Iulia locum habuit. Quod autem, inquit, ad seruas pertinet, & legis Aquiliæ actio facile tenebit, & iniuriarum quoque competit. Hanc legem ab Augusto, non à C. Cæsare, qui eum adoptauit, esse latam Vlpianus tradit. Fuit etiam Scatinia, quam C. Scatinius Aricinus tribunus pl. tulit in eos, qui alienam pudicitiam solicitassent, aut suam ipsi prostituissent; quibus pœnam irrogauit X. millia nummum, est Autem hæc lex multis ante Iuliam annis lata, satis leui pœna, quam Iulia capitalem fecit, non tamen, vt opinor in eos, qui alienam pudicitiam tentassent, sed in eos qui præposteram vel aduersi, vel auersi venerem exercuissent. De falsis, quod in Polybio, Cicerone, Gellio scriptum inuenerim, lex fuit XII. tab. vt qui falsum testimonium dixissent, è saxo Tarpeio deijcerentur. Postea, huius legis exemplum secutus L. Sylla dictator legem tulit

quæ ſeruis vltimum ſupplicium, liberis aquæ & ignis interdictionem irrogabat, ſi quis in teſtamento, alioue ſcripto, aut nummo fraudem aliquo modo feciſſet, qua de lege meminit Cicero in Verrem. Partus etiam ſuppoſiticios, aſſeuerationem falſi nominis, vel cognominis, ſigna adulterina, & ſi quis ſe pro alio gereret, vel illicitis inſignibus vteretur, ad legem Corneliam L. Syllæ, quam proxime nominauimus, pertinuiſſe conſtat; præterea, qui duobus diuerſa teſtimonia præberent, quiq; duobus eandem rem diuerſis (vt hoc vtar verbo) contractibus in ſolidum venderent, item qui, ad litem falſam inſtituendam, pecuniam acciperent, eamue in rem coirent, conſentirent, cœlarent, non obſiſterent. De ijs, quos plagiarios vocarunt, legem Flauiam inuenio; quæ capitis pœnam interdum grauiorem, interdum leuiorem, perſonarum, & rerum habita ratione: irrogabat, nam ſi quis liberum hominem ſciens emiſſet, aduerſus eum, ait Vlpianus, capitale crimen ex lege Flauia de plagio naſcebatur. Tutelarum quàm diligenter apud veteres habita ratio ſit, inde conſtat, quod ſuſpecti tutoris iudicium, vt ex Cicerone cognoſcitur; lege XII. tab. capitale fuit. Et ad arcendam infamiam, alia ſancitum eſt lege XII. tab. vt ſi quis actitauiſſet, carmenue condidiſſet, quod infamiam flagitiumue, alteri inferret, capite puniretur, atque hoc poſtea L. Sylla, lege lata, maieſtatis crimen fecit, vt Cicero in epiſtola ad Appium ſignificat his verbis: Eſt maieſtas, vt Sylla voluit, ne inquemuis impune declamare liceret. Furta quoque veteres Romani capitali pœna vindicarunt, video enim, in XII. tab. ita ſcriptum eſſe: Si quis nocte furtum faxit, & im aliquis occiſit, iure cæſus eſto: & Fur manifeſto furto prehenſus interdiu, ſi ſe telo defenderit, & im aliquis occiſit, iure cæſus eſto: & Frugem, aratro quæſitam, furtim noctu ſi pauerit ſecueritue pubes, ſuſpenſus Cereri necator: impubes verberator, noxiamq; duplionem præſtato. Et clandeſti-

destinæ coitiones capitale crimen fuit, nam, vt Porcij Latronis declamatio demonstrat, lege XII. tab. cautum est, ne quis cœtus nocturnos in vrbe agitaret: idq; si quis feciſſet, capite multaretur, postea lex Gabinia idem sanxit. Hæc de legibus, quibus capitalia crimina punirentur. Fuerunt aliæ de minoribus culpis, parem flagitio pœnam inferentes, hoc est minime capitalem, vt illa XII. tab. Siquis iniuriam alteri faxit, XXV. æris pœna sunto: & illa, huic admodum similis: Qui iniuria ceciderit alienas arbores, luito in singulas æris XXV. Atq; has leges magna ex parte lex Aquilia de iniuria, ab Aquillio tribuno pl. rogata, correxit: de qua mētionē facit Vlpianus his verbis. Lex Aquillia omnib. legib. quæ ante de damno iniuriaue locutæ sunt derogauit; siue lex XII. tab. siue alia quæcunque fuerit, fuit autem ea lex priuilegium; cum eam Aquillius trib. pl. à plebe rogauerit. Fuit etiam Atinia de furtis, ne quid surreptum vsu capi posset, sed ius rei suæ vindicandæ pœnes eum cui surrepta esset, perpetuo maneret. Furti vero iudicium inter famosa turpiaq; iudicia numerabatur: quibus damnati, omni honore ac dignitate in perpetuum excludebantur; vt neque magistratum vllum capere, neque in senatum peruenire vnquam possent, quod in oratione pro Cluentio demonstratur. Iniuriæ nominæ & vis, non modo publica, verum etiam priuata, continetur, nam L. Sylla, ad arcēdam vim, legem tulit de iniurijs: de qua sic digestorum lib. XLVII. Lex Cornelia de iniurijs competit ei, qui iniuriarum agere volet, ob eam rem, quòd se pulsatum, verberatumue, domumue suamui introitam esse dicat, qua lege cauetur, vt non iudicet ei, qui agit, gener, socer, vitricus, priuignus, sobrinusue, propiorue eorum, quibus verbis, omnem iniuriam, quæ manu fiat, constat lege Cornelia contineri. Huc referri potest, quod in agraria lege latum à C. Cæsare Callistratus ait: vt, qui terminos statutos extra suum agrum finesue dolo malo mouissent,

pecunia multarentur. De sodalitijs, lex XII. tab. sanxit, vt sodalibus, qui eiusdem collegij essent, & ius coeundi haberent, potestas esset pactionis, quam vellent, inter se incundæ, dum ne quid ex publica lege corrumperent: de qua tum Cicero in Catone, tum Gellius lib. XX. meminit his verbis: In vniuersum & cordi, & curæ Romanis veteribus semper fuit, ne qua aut turpia, aut illicita, aut reip. perniciosa sodalitia coirent. Licinia postea lata est, vt sodalitia (sic enim ex oratione pro Plancio colligi videtur posse) vel coercerentur, vel omnino tollerentur. Post eam Lectoria, de pœna in eos, qui adolescentes circumscriberent: quibus etiam, vt ijs caueretur magis, iubebat curatores dari. Remmia contra eos, qui sine causa, & temere accusarent. Clodia, quam tulit P. Clodius tribunus pl. is, qui Ciceronem iniqua rogatione in exilium eiecit, de publicis iniurijs: quam Anagnini nescio cuius Menulæ causa, hominis impuri, latam, reprehendit Cicero in oratione pro domo. De alea fuerunt Titia, & Cornelia, illa, vt opinor, tribunicia, hæc consularis.

Tum Iulia de annona, & illæ, quæ ignominia fontes reos notarent, ne capere magistratum, ne inter iudices legi, ne alterum liceret accusare, quibus omnibus pœnam quidem esse irrogatã, non tamen capitalem, legitur quo mirari minus licet, si de ijs nec ita multa veterum in libris reperiuntur, nos autem nihil de nostro: antiqua narramus ab antiquis tradita: & ex eorum scriptis oratio nostra, siue paulo sit vberior, siue restrictior, tota pendet. Hactenus de numero, nominibusq; legum, quæ ad ius & publicum, & priuatum pertinent, nunc, vt in eo, quem instituimus, doctrinæ ordine pergamus; à quibus leges latæ sint, quo modo latæ, quo in loco, quo tempore, quibus de causis, quæ postremo vis legis esset, quàm licebit diligenter exponemus.

Leges

LEGES nec niſi à magiſtratibus, nec niſi comitijs ferebantur, idq: probandum exemplis non exiſtimo; ne quæ ipſa per ſe ſatis aperta res eſt, in ea demonſtranda ſuperuacaneam operam ſuſcipiam, ſed quia nec vnus magiſtratus, nec vna comitia erant; vtrum ab vno, an ab omnibus magiſtratibus, & vtrum vnis, an omnibus comitijs ferrentur, aperiendum videtur. Ferebantur leges à magiſtratibus maioribus quatuor, vno minore; à maioribus, prætore, & conſule, qui ordinarij magiſtratus erant; item à dictatore, & interrege; qui maiores quidem, ordinarij tamen magiſtratus non erant, neque populi comitijs creabantur, cenſor autem, etſi erat inter maiores magiſtratus, ius tamen ferendæ legis, aut habendorum comitiorum non habebat, minor magiſtratus, qui leges ferret, tribunus pl. erat, nam ædiles cur quæſtores, ædiles pl. III. viri capitales, III. viri monetæ cudendæ, tribuni mil. tam Rufuli, quàm Comitiati, etſi magiſtratus erant, leges tamen non ferebant. Neque vero hæc, quæ doctrinæ cauſa à me traduntur, veterum teſtimonio ſingula confirmare; & exemplorum multitudine librum infercire, neceſſarium exiſtimo, non ſolum, quod hiſtoriæ libriq; vnde ipſi hæc hauſimus, omnibus patent; ſed etiam, quod exemplis referta narratio dignitatem non habet, putidiæ potius cuiuſdam diligentiæ, ineptæq: ambitionis ſpeciem quandam præſefert. Legislatores aut tributis comitijs, aut centuriatis, aut etiam, vt in imperio mandando, & in adoptionibus, curiatis legem ferebant, ſi tributis, aut cum S.C. aut ſine: ſi centuriatis, è S.C. ſemper, plus omnino dignitatis, atque auctoritatis in centuriatis, ſed poteſtatis non minus erat in tributis, æque enim populus vniuerſus tenebatur ijs legibus, quæ tributis comitijs ferebantur, atque ijs, quæ centuriatis, idq; ſancitum eſſe lege à Q. Hortenſio dictatore lata, Lælius Felix memoriæ prodidit, cum ante iure eo, quod ſtatuiſſet plebs, patricij non tenerentur

non

non enim aduocare patricios tribuni pl. neque ad eos referre vlla de re poterant, ita ne leges quidem proprie, sed plebiscita dicebantur, quæ tribunis pl. ferentibus accepta erant. Hortensius, quæ rogata plebs sanxisset, ea pertinere ad omnes Quirites voluit; siue, vt iura plebis augeret; cum plebeius ipse esset; siue vtili reip. consilio, quòd in libera ciuitate dissimilem ciuium conditionem discordiæ semina existimaret, in quo dissidentes veterum opiniones licet agnoscere, nam, quod Hortensio dictatori à Lælio tribui scribit Gellius, id ad Q. Publilium Philonem dictatorem Liuius refert, qui multis annis ante Hortensium dictator fuit, rursus neque ab Hortensio, neque a Philone, sed multo ante à L. Valerio Potito, & M. Horatio Barbato cos. eam legem esse latam, Dionysius tradit, qua in varietate verum internoscere difficile sit, nisi si, quod res est, non tanquam nouam legem esse latam, sed quasi veterem à duobus dictatoribus, Philone, & Hortensio, renouatam intelligas. Scripsit etiam idem Lælius, cum tribunus pl. populum adesse iuberet, non comitia, sed consilium edicere debuisse: cum non vniuersum populum, sed plebem tantum, quæ pars populi est, aduocare tribunus posset, verum hoc, quod à Lælio scriptum in Gellio legimus, obseruatum sit, nec ne, haud sane mihi certum est, quin quò me inclinat coniectura, eò me dare si velim; comitia, quæ tribunus pl. haberet, dicta crediderim, non solum post legem Hortensiam quæ discrimine sublato, tribunicijs rogationibus ciues omnes pari iure subiecit, sed antea quoque, cum plebiscitis patricij non parerent, quid enim? non ne tributa comitia dicebantur, quæ designandis minoribus magistratibus haberentur? at tributa comitia non & à tribuno pl. habebantur? an igitur est, qui cum tribuni pl. essent designandi eius rei causa consilium à tribuno edictum legerit? quod si quis, vt omnino Lælij distinctio confirmetur, non de eo populo, qui ad designan-

signandos magistratus, sed de eo, qui ad scisc endam legem aduocaretur, accipi velit: ne hoc quidem assenserim cum, aliter esse ipso Cicerone magistro didicerim, vocat enim hic noster lib. II. de diuinatione comitia & in legum iure, & in iudicijs, & in creandis magistratibus, præterea in oratione pro Sextio, Venio, inquit, ad comitia, siue magistratuum, siue legum, & Liuius libro XXXI. Rogatio, inquit, de bello Macedonico primis comitijs ab omnibus ferme centurijs antiquata est, & ibidem: Pro se quoque consulem hortari, vt de integro comitia rogationi ferendæ ediceret, & lib. XLV. Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter affuturus comitijs ferendæ legis. Iam vero & de reo iudicando comitia dicta, quæ tribunus pl. haberet, exempla testantur, vt in III. de legibus, & apud Liuium quatuor libris III, XXVI. XL. XLIII. quanquam, si quis ipsa Lælij verba paulo attentius consideret; intelliget, nec ab ipso traditum id, quod nos, quasi traditum, exemplis redarguimus, ait enim, qui non vniuersum populum, sed partem aliquam populi adesse iuberet, eum non comitia, sed consilium edicere debere, quibus verbis, non quid fieret, sed quid fieri deberet, significat. notat igitur, & quodam modo reprehendit deprauatam consuetudinem; sicuti eodem loco, cum infert. Ita ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur, quæ tribunis pl. ferentibus accepta sunt, quo in loco, appellantur, accepit, pro appellari debent, quod enim tradidit, obseruatum non esse; quæq; tribunis rogantibus plebs iussit, ea tum plebiscita, tum leges & à Liuio, & ab alijs dici, sæpe licet animaduertere: sicuti & consilium plebis, & comitia de reo Postumio apud eundem Liuium libro XXV. Legem laturus magistratus scribebat eam domi; & cum peritis consultabat; ne quid contra populi rem, aut voluntatem sanciret; ne forte pugnantia capita simul ferret; neue quid, quod vetus aliqua lex si ferretur, inane infirmumq;

iuberet

iuberet esse; (etsi, quæ postea ferretur lex, superiores omnes, præter Sacratas, abrogabat) ne curationem, potestatem, commodumue aliquod ipse sibi sua lege, aut collegis, cognatis, affinibus mandaret: quod leges duæ, Licinia, & Aebutia, fieri vetuerunt: contra quas leges fecit P. Clodius; tulit enim quod in oratione pro domo traditum est, vt sibi Ciceronis ædes liceret possidere, etiam illud in scribenda lege cauebatur, ne pluribus de rebus, quæ non eiusdem generis viderentur, vna rogatione ferretur: quod fieri cum lex Cæcilia & Didia vetabat; itaque à Clodio factum accusat Cicero pro domo sua; tum, faciendum non esse, indicat idem in suarum legum libro III. his verbis: Qui agent, non plus quàm de singulis rebus consulunto, nam, Consulunto, est populum roganto, consulitur enim populus, cum lex rogatur: itaque in oratione pro Milone, Nihil, inquit, de eius morte populus consultus, nulla quæstio decreta à senatu est, & pro domo sua: Si populus de ista re consultus esset, & Festus; Rogatio est, cum populus consulitur, etiam in senatu, consulere, est rogare sententias, ad Atticum lib. XII. Hic me laudat, inquit, quòd retulerim, non quòd patefecerim, quod cohortatus sim, quòd denique ante, quàm consulerem, ipse iudicauerim. Addebatur illa exceptio, vt si quid iuris non esset rogari, ne esset rogatum, quod in oratione pro domo notauimus, item: si quid contra alias leges eius legis ergo latum esset, vt ei, qui eam legem rogasset, impune esset, quod fuisse tralaticium, hoc est, scribi solitum in omnibus legibus, tradit Cicero lib. III. epist. ad Att. Hæc igitur, quæ proposui, quasi legitima à bonis viris in ferenda lege omnia cauebantur, sed vbi rationem vicit libido; spreta bonorum consuetudine, nihil præter suam potentiam & vtilitatem in legem spectarunt, ideo sæpe leges Clodij, aut Vatinij alienas à more maiorum, acerbe reprehensas à Tullio videmus. Scripta lege, legislator bene de rep. sentiens,

tiens, antequàm eam promulgaret, referebat ad senatum vt quo plus ponderis maioremq; vim lex haberet, de senatus eam sententia ferret, popularis vero, ac seditiosus magistratus sæpe, prætermissa senatus auctoritate, aut etiam contra senatus auctoritatem, legem rogabat. Promulgabatur deinde lex, idest, in publico ponebatur, est enim promulgare, vt ait Festus, quasi promulgare, id autem eo fiebat, vt inspiceret qui vellet, inspectam considerareti non solum, vt intercedi posset, antequàm ferretur; verum etiam, vt aliquanto ante statuere cuiuis liceret, vtrum, cum ferretur, antiquanda, an accipienda lex esset, addo etiam illud, vt quiuis monere legislatorem posset vel de corrigenda, vel omnino de non ferenda lege, spatium autem promulgationis, vt ex Dionysio, & alijs patet, quacunque de re ferretur lex, erat trinundinum, id est per trinas nundinas, cum enim nundinarum causa ex agris in vrbem ciues conuenirent: per trinundinum leges patere, vt a rustica plebe ter legi cognosciq; possent, voluerunt, quod cum M. Antonius non seruasset, inuehitur in eum Cicero Philippica V. his verbis; Vbi lex Cæcilia, & Didia? vbi promulgatio trinundinum? & idem pro domo sua: Hora fortasse sexta dici quæstus sum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de rep. quæ mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere, hæc homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque à me dicta erant, detulerunt, hora nona, illo ipso die tu es adoptatus, si quod in cæteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum: nihil reprehendo, sin eadem obseruanda sunt, vt decreuit senatus M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam, & Didiam latæ essent, populum non teneri: iam intelligis, omni genere iuris, quod in sacris, quod in auspicijs, quod in legibus sit, te tribunum pl. non fuisse. Et, vt aliud ex alio, trinundinum non solum in lege ferenda, sed & in

magistratu designando video esse seruatum, ob eam scilicet causam, vt consuleretur candidatis pariter, & populo; illis, ad magis conciliandos sibi plebis animos; huic, ne imprudenter aliquem repente crearet, quem creatum postea nollet, locum autem & in lege, & in magistratu fuisse trinundino, minime miror; qui videam à Cicerone, oratione II. in Rullum, appellari legem ea comitia, quibus maiores magistratus crearentur, nam si comitia lex sunt: sequitur, vt quod in lege, idem in comitijs obseruetur, & quod rationi consentaneum videtur, id exempla clarius ostendunt. X. viris creandis, inquit Liuius lib. III. in trinundinum comitia indicta sunt, & in epistola ad Tironem Cicero: Ad consulatus petitionem se venturum: neque iam velle absentis rationem haberi sui: se præsentem trinundinum petiturum, quod tamen non nisi tranquilla rep. seruatum existimo, nam Punico bello secundo Q. Fabius Maximus consul tertium, Romam comitiorum causa proficiscens, in eum, quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit, idemq; fecit anno proximo C. Claudius Cento, dictator comitiorum consularium causa creatus. Sed nimirum, quod dici solet, silent leges inter arma; & ad remp. cuius causa latæ leges ipsæ sunt, omnia referenda. Seruabatur præterea & in iudicio populi triundinum, cum scilicet à populo reus iudicaretur, vnde illud pro domo sua; Cum tam moderata iudicia populi sint à maioribus constituta; primum, vt ne pœna capitis cum pecunia coniungatur; deinde, ne nisi pro dicta die, quis accusetur, tertio vt ante magistratus accuset intermissa die, quam multam irroget, aut iudicet, quarto, sit accusatio trinundinum, sic enim, quàm quo modo est in impressis libris, malim legere. Constat igitur, in omnibus plane comitijs, de legibus, de magistratibus, de reis, trinundini rationem esse ductam: idq; propterea, quod iam dixi, quia legis nomen in omnia comitia, quibuscunque

cunque de causis haberentur, conuenirēt. Neque vero trinundinum ita interpretor, vt ipso tertiarum nundinarum die vellatas esse leges, vel designatum magistratum, vel reum à populo iudicatum, existimem: cum & Macrobius lib. I. comitia nundinis haberi non potuisse, neque concionem aduocare, idest cum populo agere, licuisse, veterum testimonio probet: & Festus, nundinas non solum inter ferias, sed etiam inter nefastos dies apud antiquos fuisse dicat; inter ferias, ne cum populo agi liceret: inter nefastos dies, ne lege. Nundinas, inquit, feriarum diem esse voluerunt antiqui, quo rustici mercandi vendendiq; causa in vrbem conuenirent; eumq; nefastū, ne si liceret cū populo agi, interpellarentur nundinatores, aliud autē erat, cū pupulo agere, aliud lege agere, cū populo agere, populū, est, ad consiliū aut comitia vocare, vt ait Festus: lege agere, ius experiri, in iudicio contendere, libro etiā 4. epist. ad Atticum, per duos nundinarū dies neque comitia esse habita neque concionem vllam, his verbis Cicero declarat. Ante X kal. nundinæ, concio biduo nulla. Trinundinum igitur in eam sententiam dictum accipio, vt inter eum diem, quo promulgata lex erat, & eum, quo deinde ferretur, trinæ nundinæ intercederent: quo & sæpius & à pluribus, vrbem mercandi vendendiq; causa visitantibus, promulgata lex cognosci posset. Post tertias nundinas, magistratus in eum locum, vbi legem laturus erat, siue in forum, siue in campum Martium, populum conuocabat, ibi cum legem præco, subijciente scriba, recitasset, tum (forte etiam in toto trinundino, quotiescunque populus coijsset, vel suadebant legem, vel dissuadebant: sed maxime, ac vehementer fieri solitum quo die ferenda lex erat, consentaneum est) primum quidem is, qui legem promulgarat, populo suadebat, vt rogationem acciperet; sed post eum alij, non priuati modo, quibus ab aliquo magistratu concio, daretur (nam alioqui concionandi potestas priuatis

non erat) verum etiam quandoque magistratus, pro suo quisque sensu, vel suadebant, vel dissuadebant. Suasorem rogationis eum, qui rogabat, fuisse, ita verisimile est, vt exemplis, quæ multa supetunt, mihi esse vtendum in re minime dubia, non existimem, quòd autem minus verisimile est, vt aliquis eius rogationis, quam ferret, ipse dissuasor fuerit; id nisi testimonijs probem, credibile non erit atque hoc tum fiebat, cum magistratus non è sua, sed è senatus sententia rogationem ferebat, neque enim prohibebatur dissuadere ad populum, quod non probauerat in senatu. Pisonis consulis exemplum habemus in epistola, Vereor, ad Atticum lib. I. Piso, inquit, consul, lator rogationis, idem erat dissuasor, quod Attico, vt nouum & iniquum, scripsit Cicero; cum suadere suas rogationes reliqui solerent, vnde illud Attici ad Ciceronem lib. II. de legibus. Suade igitur, si placet, istam ipsam legem; vt ego, Vti rogas, possim edicere, loquitur enim Atticus cum Cicerone, vti cum magistratu legem rogante, & quemadmodum in eo libro personam Cicero sustinet magistratus legem rogantis, quod proxima superiora verba declarant. Si quæ forte leges à me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra rep. nec fuerint, tamen erant fere in more maiorum, qui tum vt lex valebat: sic Atticus ciuem agit de ipsa lege sufiragium ferentem, quod indicat illud: Vt ego, vti rogas, possim edicere, refert enim morem illum tabellarum, quibus scisscebatur lex quæ his duabus erant litteris signatæ, V.R. id est, vti rogas: cum eæ, quibus lex reijciebatur, vna littera A, essent inscriptæ: quæ valebat, antiquo, hoc est nihil nouari volo antiqua probo. Vereor autem, (vt à re proposita paululum digrediar) ne mendum lateat in verbo, E dicere, cui quantum ex antiqua latine loquendi consuetudine conijcere, ac meminisse possum, in hac sententia locus non est, sed ad rem. Priuatus legem Cinciam de donis & muneribus Q. Fabius Maxi-

Maximus suasit, Ogulniam de sacerdotijs P. Decius Mus; Voconiam de hæreditatibus M. Cato ille censorius: Corneliam de reditu Ciceronis Cn. Pompeius. Nec vero, qui priuati item lege dissuaserint, inuenire non facile est, exemplum habemus in oratione pro lege Manilia, Q. Hortensij; in libro de amicitia, C. Lælij, & minoris Africani. Manilium legem, de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandãdo, dissuasit Hortensius: Papiriam, de tribunis pl. reficiendis, Lælius, & Africanus, atque hanc ipsam consuetudinem, vt priuati legem suaderent, aut dissuaderent, indicat Liuius lib. XLV. his verbis: Ita traditum erat, ne quis prius intercederet legi, quàm priuatis suadendi dissuadendiq; potestas facta esset: quo melius aut commoda legis aperirentur, aut vitia, quo persæpe euenit, vt aut ij, qui ad intercedendum venerant, desisterent; aut intercederent, qui non professi essent se intercessuros, & eodem libro infra: Cum in Capitolio rogationem eam Ti. Sempronius ferre vellet: & priuatis lege dicendi locus esset, neque ad suadendum, vt in re minime dubia, quisquam procederet: Ser. Galba repente processit, item Cicero in oratione pro C. Cornelio; cuius extant reliquiæ quædam, cum Asconij commentarijs editæ. Est inquit, ius vetandi, dum priuati dicunt, dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit, quibus in locis cum, & Liuius & Cicero de solis priuatis meminerint; non tamen eam potestatem solis priuatis fuisse debemus, existimare, partem enim pro toto posuerunt; quia priuati & sæpius, & plures, quàm magistratus, aut pro lege, aut contra legem dicere solerent. Magistratuum porro vel suadentium, vel dissuadentium legem exempla habemus hæc M. Porcius Cato, ille maior, consul rogationem de abroganda lege Oppia, C. Lælius, ille sapiens, prætor Liciniam de cooptatione sacerdotum ad populum transferenda dissuaserunt legem Manilium prætor Cicero luculenta, quæ extat, oratione

tione suasit: agrariam Rulli ijs, quæ extant, orationibus consul idem dissuasit. Verum hæc, quæ paulo longius, vt illustriora fierent, produximus, paucis admodum verbis libro de legibus III. Cicero comprehendit. Populum, inquit, docento, doceri à magistratibus priuatisq; patiuntor, in quo significatur, vt & ipsi magistratus, qui legem ferent, doceant, hoc est de ipsa lege dicant, & dicere alios quoque tum magistratus, tum priuatos patiantur. Infra vero, eodem libro, cum dixit, De promulgatione, de singulis rebus, de priuatis, magistratibus audiendis, priuatos posuit ante magistratus, cum supra primum magistratus, deinde priuatos nominasset, quòd si ad veritatem ordo referatur, prius nominari priuatos, deinde magistratus oportuit, prior enim priuatis locus in suadenda dissuadendave lege ideo datus est, ne si eos, qui magistratum gerebant, ante audissent, ab ijs dissentire non auderent, idq; Dio historiæ suæ libro XXXIX. scriptum reliquit, quos autem suadere aut dissuadere leges solitos fuisse diximus eos in ea pro Flacco legis auctores Cicero appellat: cum auctores intelligat vel accipiendæ legis, vel antiquandæ. Hæc de suadentibus dissuadentibusq; legem, nunc de loco vnde suaderent, aut dissuaderent, addendum quiddam est. Nemo ad populum, nisi de loco superiore, concionabatur, siue eius priuatus esset, siue magistratum administraret, id autem ob eam causam, quo longius à stantibus in concione tum exaudiri vox, tum intelligi verba possent, concionabantur igitur, si in foro de Rostris, quæ ad Comitium fuisse, prope iuncta curiæ, Pedianus ait: si in campo Martio, vel alibi, de suggestu, aut editiore aliquo loco, concionari autem magistratibus pro ea, quam habebant, potestate omnibus licebat: priuatis, quod iam diximus, nisi concionem, id est concionandi potestatem, à magistratu aliquo acciperent, non licebat, & quia sæpius in foro, vbi Rostra fuisse diximus, quam in campo, leges ferebant.

rebantur: ideo sæpius de Rostris, quam in campo, conciones habebantur, multo enim plures tributis comitijs, quæ, legum quidem causa, in foro, interdum & in Capitolio habebantur, quam centuriatis, quæ in campo, latas esse constat; cum tribuni pl. qui comitia tributa, non centuriata, habebant, facillime ad leges non ferrent ex senatus auctoritate: quod necesse erat de legibus centuriatis. Dixi, priuatos non nisi potestate à magistratu accepta concionari potuisse; magistratus autem cunctos suo iure potuisse, quod cum ita esse nunc etiam confirmem, tamen illud addo, summum in eo ius, summamq; potestatem tribunorum pl. fuisse: qui, si vellent, non priuatos modo, verum, & magistratus ipsos, atque etiam consulem, qui summus erat magistratus, prohibere concione poterant, itaque Ciceronem consulem extremo magistratus die Q. Metellus Nepos tribunus pl. concionis habendæ potestate priuauit, & Q. Metellum Celerem consulem à L. Flauio tribuno pl. in carcerem deductum, annoq; proximè consecuto M. Bibulum, item consulem, à P. Vatinio tribuno pl. historiæ narrant, non enim de Rostris modo concionantem, atque etiam de curru triumphantem detrahere tribuno pl. licebat, verum, & quoquò vellet, deducere, vel ad supplicium, si liberet; propterea quòd, cui vellet, manus inijcere, vetusto Sacratarum legum iure, poterat, ipsi, cum sacrosanctus esset, nemo poterat. Verum tribuni pl. potestatem suo loco, id est libro de magistratibus, reseruemus, interim, quod in manibus est, ipsum agamus. Cum suaserant, dissuaserant ve legem primo loco magistratus, qui legem ferebat, secundo priuati, tertio reliqui magistratus, tum præsentibus sacerdotibus, vt Dionysius scribit, & diuina exponentibus, sitella, vel vrna (sitellam Cicero, vrnam Lucanus vocat) deferebatur: in quam siue tribuum, si tributis comitijs lex ferretur, siue centuriarum, si centuriatis, nomina co-

nijcie-

nijcebantur, deinde, ſortibus æquatis, hoc eſt, ita agitata ſitella, ne qua ſors ſubſultaret, atque exiſteret, ſed pariter omnes æquatæ iacerent, ſortitio fiebat: quæq; prima vel tribus, vel centuria, quæ ſecunda, quæ tertia de ſitella exijſſet, eundem, quem ſors dederat, in ſuffragio ferendo locum atque ordinem tenebat, hæc dum agerentur, ſi quis tribunus pl. legi vellet intercedere, locus erat, nunquam autem ante ſuaſionem diſſuaſionemq; legis interceſſionem fuiſſe, declarant illa proxime recitata, quæ Liuius libro XLV. Cicero in oratione pro C. Cornelio tradiderunt, Et quoniam de interceſſione, quæ legem impediebat, mentionem facimus: (neque enim legi tantum, verum & ſenatus conſultis, & prætorum decretis, aut iudicijs interceſſum eſſe, animaduertimus) omnibus de cauſis, quæ, quo minus promulgata lex perferri poſſet, impedimento fuerunt, dicendum nobis eſt. Hæ quatuor traduntur: prima, interceſſio, cum tribuni pl. quorum proprie intercedendi ius erat, edita voce illa, Veto, de qua meminit Liuius, intercedebant: cuius generis exempla non deſunt: altera, cum is, qui promulgarat, vel amicorum precibus adductus, vel ſenatus auctoritate commotus, vel ipſe ſua ſponte conſilium mutabat: quod C. Manilius, & L. Cæcilius, vterque tribunus pl. diuerſis temporibus fecerunt, ille in lege de libertinorum ſuffragijs, hic in ea, quam de minuenda ambitus pœna promulgauit. Tertia ratio fuit, cum neque intercedente tribuno, neque eo, qui promulgauerat, conſilium mutante, comitiales dies, ideſt eos, quibus agi cum populo licebat, conſul eximebat, vel ſupplicationibus decernendis, vel ferijs indicendis, non ſolum ijs, quæ Latinæ dicebantur, quas indicere ſoli conſules poterant; ſed etiam ijs, quæ imperatiuæ, quas non modo conſulibus, verum etiam prætoribus ipſorum arbitratu licebat imperare, quo genere vſum eſſe Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum conſulem, vt C. Catonis tribuni

buni pl. legibus obsisteret, videmus in epistola, Placiturum, libro II. ad Q. fratrem. Quartam causam, quæ & ipsa comitijs, quacunque de re haberentur, impedimento esset, obnunciationem inuenimus; quam omnes plane magistratus habebant, vt in oratione in Antonium II. Cicero significat his verbis: Nos nunciationem solum habemus, consules & reliqui magistratus etiam spectionem, quo loco duas dictiones, nunciationem, & spectionem, habeam alterius sedem occupasse, facile crediderim; vt augures spectionem duntaxat habuerint, magistratus, si modo augures essent, vt erat Antonius, idem consul, & augur, simul cum spectione etiam nunciationem, hoc est obnunciationem, idq; cum ad ipsam Ciceronis sententiam magis quadrare, qui diligenter animum intenderit, intelliget; tum Festus Pompeius ita esse, deprauatis ille quidem verbis, satis tamen aperte significat in dictione spectio, legamus igitur in ea oratione sic: Nos enim spectionem solum habemus, consules & reliqui magistratus etiam nunciationem: vt augures intelligat, cum Nos, dicit erat enim ipse augur; cum vero Consules, subjcit, in eo notet Antonij consulis insciam; qui se id auguratus iure posse diceret, quod, quia consulatum gerebat, multo facilius poterat, præterea, vt de magistratibus obnuncia ntibus haud parum sæpe legimus, ita de auguribus de cœlo seruantibus, seruare autem de cœlo, spectio est, quæ tolleretur, si verum illud esset, Nos nunciationem solum habemus. Quòd si quis dixerit, ideo verum esse, nunciationem solum habuisse augures, quia spectionem, nisi iussi à magistratibus, non haberent: facile refelletur, nam si augurum spectio non est, quia pendet à magistratuum voluntate: ne nunciatio quidem erit, quia pendet a spectione, qui enim esse potest nunciatio, nisi spectio antecedat? præterea, si spectionem augur non habet, nisi iubente magistratu, ne nunciationem quidem habet, nisi eodem vo-

lente, neutram igitur habebit: quandoquidem non ipsius sed magistratus in vtraque potestas est, quo modo igitur consistit illud, Nos nunciationem solum habemus, siue nunciationem pro renunciatione, siue pro obnunciatione accipias? Obnunciatio autem duarum rerum obseruatione fiebat, velcum de cœlo fulsisset, aut tonasset; [erat enim in augurum disciplina, vt Ioue fulgente, tonante, comitia dimitterentur] quo genere impedimenti Pompeius Magnus in secundo consulatu, cum prætorem creari rum omnium integerrimum, M. Catonem videret, ipse autem, hominem flagitiosissimum, P. Vatinium, Cæsaris gratia, vellet, comitia dissoluit; vel cum aues aduersa portenderent, auium porro vel cantus, vel volatus obseruabatur, nec omnium erat eadem significatio, cum quædam à dextra volantes, quædam à sinistra prosperos euentus ostenderent, itaque sinistra Romanis læta, vt Græcis dextra: ijsdem tamen & sinistrum fulmen triste omen fuit ad comitia, cum ad cæteras res esset optimum, & si bubo volaret à sinistra, præclare Lucanus hoc de genere lib. III. cum neglectam veterem comitiorum rationem significaret, illa pronunciat: - Fingit solennia campus.

Nec cœlum seruare licet, tonat augure surdo;
Et lætæ iurantur aues, bubone sinistro.

Redeo ad institutum. Sortitione tribuum aut centuriarum facta, dicebat is, qui legem ferebat; Si vobis videtur, discedite Quirites, de quo Pediani verba subscribam: Cum inquit, id solū supereſt, vt populus sententiam ferat, iubet vnūquemq; is, qui fert legē, discedere, quod verbū nō hoc significat, quod in communi consuetudine est, de eo loco, vbi lex fertur sed in suā quisq; tribū discedat, in qua est suffragiū laturus, populus enim confusus, vt semper alias, ita & in concione. Liuius autem lib. II. vbi de lege Lectoria loquitur, Consul, inquit, Appius negare ius esse tribuno in quenquam, nisi in plebeium: non enim populi, sed plebis eum

magi-

magistratum esse, nec vllum ipsum summouere pro imperio posse more maiorum: quia ita dicatur: Si vobis videtur, discedite Quirites, vbi Discedite, dictum apparet, ad suffragia ferenda libro vero III. vbi de Terentia lege agit idem significat, cum ait: Quemadmodum se tribuni gessissent in prohibendo delectu, sic patres in lege, quæ per omnes comitiales dies ferebatur, impedienda gerebant, initium erat rixæ, cum discedere populum iussissent tribuni; quòd patres se summoueri haud sinebant. Cum igitur de concione iussi discedere, in suam quisque tribum, aut centuriam abijsset; priuatos homines inuenio, qui de lege laborarent, non modo populum, vt legem acciperet, ante lata suffragia rogasse, verum etiam, cum suffragia lata essent, ne quid fallaciæ committeretur, ipsos aut tabellas distribuisse, aut distribuentibus præfuisse, idq; diribere proprio vocabulo dicebatur, quod muneris quia fere obiri curariq; ab ijs soleret, qui neque ætate graues, neque gestis honoribus insignes admodum essent, id sibi & à senibus, & à dignitate præstantibus præcipue contigisse, glorioſe commemorat Cicero in Pisonem. Hoc, inquit, certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum, & quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excusatione, vel honoris; id in salute mea, nullo rogante vos vestra sponte feciſtis, eodemq; verbo eadem de re vsus est in ea post reditum in senatu, cum ait: Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiæ totius, ordinumq; omnium, quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, custodesq; vidistis? Nec dubito, quin legendum sit, diribeantur, non diripiantur, in ea in Pisonem, in eo loco, An expectas, dum de te LXXV. tabellæ diripiantur? pro distribuantur, vt de te iudicium fiat, sic & Plinius manifeste accepit libro XXXVI. cap. XV. Hic est, inquit, ille domitor orbis populus, qui gentes, & re-

gna diribet. Ciſtis autem ſuffragiorum cuſtodiendis certos homines in comitijs præfuiſſe, qui Nongenti ſint appellati, idem Plinius lib. XXXIII. cap. II. ſcriptum reliquit. Tabellis diſtributis, primo loco ea tribus, aut centuria ſuffragium ferebat, quæ omnium tribuum, aut centuriarum nominibus in ſortem conjectis, prima de ſitella, de qua iam diximus, ſorte exierat: eaq; prærogatiua dicebatur, quia prima rogaretur à magiſtratu, qui comitia habebat, at in prima tribu, aut centuria, quis primus? videlicet is, quem magiſtratus legem ferens deligebat: deligebat autem, quem & dignitate præſtare, & rogationi ſuæ præter cæteros fauere iudicabat, vtrumque cognoſcitur in oratione pro Plancio: in qua ita ſcriptum eſt. Nam quòd primus ſciuit legem de publicanis, tum cum vir amp'iſſimus conſul id illi ordini per populum dedit, quod per ſenatum, ſi licuiſſet, dediſſet; ſi in eo crimen eſt quia ſuffragium tulit, quis non tulit publicanus? ſi quia primus ſciuit vtrum id ſortis eſſe vis, an eius, qui illam legem ferebat? ſi ſortis: nullum crimen eſt in caſu, ſi conſulis, ſplendor etiam Plancij, hunc à ſummo viro principem ordinis iudicatum, quo conſtat, ideo primum Plancium ad ſuffragium ferendum à Cæſare conſule lectum eſſe, quia primus ordinis equeſtris iudicaretur, quod ipſum confirmant illa pro domo ſua: Conſulari homini P. Clodius euerſa rep. ciuitatem adimere potuit, concilio aduocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſeruorum, Sedulio principe? dixit enim, Sedulio principe, pro primo omnium ſuffragium ferente, quod apertius proxime oſtendit, cum ait Sin autem is primus ſciuit, erat enim quodam modo legis ornamentum, cum is eam ſciſcebat primus, cuius in ciuitate non leuis eſſet auctoritas, quod etſi ſatis clare indicant ea, quæ ex oratione pro Plancio recitauimus; tamen in hac ipſa pro domo ſua idem fit illuſtrius, ſubiungit enim poſt ea, quæ proxime ad exemplum attuli, non ma-

gno

gno interuallo: Tu huius, vt acta tui præclari tribunatus hominis dignitate honestes, auctoritatem amplecteris, quasi Clodius Sedulij, tanquam clari hominis, nomen publicis in tabulis ad legem honestandam scripsisset, aut fortasse etiam in æs simul cum ipsa lege incidisset, nam, vt dicam quod sentio, suspicor de mendo, vbi Sedulij mentio fit in ea pro domo sua, quod enim legitur, Quid te audacius, qui in eius nomen incideris? id non placet, non enim cum audacia casus congruit, nam incidere, verbum est in casu positum, audacia vero voluntatis est, non enim qui incidit, audax est, sed imprudens, & inscius, qui vero audax, is non incidit, sed incurrit, & irruit, quare aliter suspicor à Cicerone scriptum esse & forte sic: Quid te audacius, qui in æs eius nomen incideris? leges enim in æs incidi solitas, paulo post docebimus. Cum igitur ab eo, quem magistratus ipse primum delegisset, deincepsq; ab aliis eiusdem tribus, aut centuriæ perlata suffragia erant; tum suffragijs in vtranque sententiam dinumeratis, & eorum numero punctis notato, eius tribus, aut centuriæ voluntas cognoscebatur, eaq; à præcone renunciabatur, & eadem in reliquis tribubus aut centurijs ratione seruata, ex maiore tribuum centuriarumue numero vel antiquabatur, vel sciscebatur lex, hoc autem, dirimere suffragia, & diremptio suffragiorum dicebatur, itaq; vetera habent exemplaria Varronis de re rust. lib. III. Dum dirimuntur suffragia, vis potius Villæ publicæ vtamur vmbra, quàm priuati candidati tabella? quod aperte declarat Lucanus, quem locum deprauari & vt alijs in locis, diribet pro dirimit, reponere, facile non fuit, in illo versu, lib. V. Et non admissæ dirimit suffragia plebis. & ad Q. fratrem lib. III. epist. IIII. lego, diremptis tabellis, non vt vulgo legitur, & vt habent libri quoque manuscripti, diruptis, item in oratione pro Plancio, diremptio, non direptio. Diremptis igitur suffragijs, vel de antiquata lege, vel de accepta

cogno-

cognoscebatur, ac de antiquata nihil est dicendum, scitam autem, atque acceptam, omnium ciuium iureiurando confirmari solitam legimus, itaque Q. Metellus, ille Numidicus; ne in legem Saturnini per vim latam iuraret, in exilium abire maluit, sibiq; potius de patria, quàm de sententia, decedendum putauit, quem anno post XLIII. imitatus non est M. Cato, is quem Vticensem historici nominant: qui cum leges P. Clodij nullo neque iure neque more rogatas putaret, in eastamen iurauit, consilio vsus optimo, vt Cicero ait in ea pro Sextio, nam ab eo, quod omnino ne fiat, fieri non potest, cum periculo dissentire, temeritatis videtur esse. Post iusiurandum, in æs lex incidebatur: quod indicat Liuius lib. III. his verbis: Prius quàm vrbem consules egrederentur, leges X. virales, quibus tabulis duodecim est nomen, in æs incisas in publico proposuerunt, atque hoc libro X. Dionysius confirmat, & Cicero in oratione III. in Catilinam, Memoria tenetis, inquit, Cota, & Torquato cos. complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas, cum & simulacra Deorum immortalium depulsa sunt; & statuæ veterum hominum deiectæ; & legum æra liquefacta, quod ipsum versibus deinde persecutus est in secundo de consulatu suo, vt libro I. & II. de diuinatione patet, eandem consuetudinem probant illa, quæ in I. Philippica scripta sunt. Forum sepietur: omnes claudentur aditus, armati in præsidijs multis in locis collocabuntur, quid tum? quod erit ita gestum, id lex erit: & in æs incidi iubebitis? quod etiam non multo ante dixerat: Quæ illæ in æs incidit, in quo populi iussa perpetuasq; leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? exemplis non egemus: sed vnum Suetonij, quod in C. Cæsaris vita legimus, quod apertam rem multo etiam illustrius ostendit, apponemus. Marcus, inquit, Claudius Marcellus consul, edicto præfatus, de summa se rep. acturum, retulit ad senatum, vt ei succederetur ante tempus: quoniam

niam, bello confecto, pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne absentis ratio comitijs haberetur; quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset, acciderat autem, vt is, legem de iure magistratuum ferens, eo capite quo à petitione honorum absentes summouebat, ne Cæsarem quidem exciperet per obliuionem; ac mox lege iam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Hic illud occurrit. Si tum denique in æs leges incidebantur, cum perlatæ essent, quod proxima Suetonij verba ostendunt: cur in oratione pro Milone, cum de legibus nondum latis, sed quas Clodius ferre cogitarat, mentionem facit. Incidebantur, inquit, iam domi leges, quæ nos nostris seruis addicerent? cur non scribebantur potius, quàm Incidebantur? an incideret Clodius leges nondum latas? dicamus, quod omisit Pedianus interpræs, qui in arte Ciceronis indicanda parcus nimis est, sicuti in exponenda historia satis liberalis, notat Cicero confidentiam Clodij, hominis audacissimi; qui domi suæ leges non modo scriberet, sed etiam, quasi latas, incideret, quas, quo iure quaue iniuria, cum suis operis & seruis omnino perferre constituerat, & est oratoris artificium, ad odium concitandum ea de inimico dicere, quæ etiam si fortasse facta non sunt, fieri tamen potuisse, eius, in quem dicitur, ante acta vita declarat, nihil erat, quod in Clodium, quamuis atrociter excogitatum, non verisimile videretur ideo, Incidebantur potius, quàm scribebantur, dixit, vel vere, vel quod magis puto, ὑπερβολικῶς, & tamen verisimiliter, vt de P. Clodio, quem omnium audacissimum fuisse constabat. Ne illud quidem prætermittam, non in tabulis modo æneis, sed etiam in columnis incisas esse leges de tabulis dubium non est: quas etiam aliquot, in hunc vsque diem seruatas, ipsi vidimus, de columnis autem Cicero pro Balbo sic: cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio, Postumo Geminio cos. quis ignorat? quod quidem

dem

dem nuper in columna ænea meminimus post Rostra incisum & perscriptum fuisse, qua ipsa de re Liuius libro II. sic: Tantum sua laude obstitit famæ consulis Marcius; vt nisi fœdus cum Latinis, columna ænea insculptum, monimento esset, ab Sp. Cassio vno, quia collega abfuerat, ictum; Postumum bellum gessisse cum Volscis, memoria cessisset, & Varro, vt apud Macrobium legimus, antiquissimam legem in columna ænea scripsit incisam fuisse, cui mentio intercalaris asscriberetur, nec deest Dionis in historia testimonium; qui lib. XLI. columnas, quibus incisæ leges legerentur, de cœlo tactas memoriæ prodidit. Scripta iam lege, promulgata: perlata, in æs incisa, (his enim quasi gradibus ad id, quod in lege vltimum, ac summum est, peruenimus) vnum restat, vt vbi custodienda reponeretur, ostendamus. Scire igitur oportet, non eandem legum omnium fuisse rationem, sed aliquot, maximeq; tabulis æneis incisas, in publico proponi solitas, vt oculis ciuium paterent; quod exempla demonstrant; quæ vero æneas in tabulas essent incisæ, eas adærarium delatas, quò scilicet & senatus consulta, ibi cum publicis pecunijs, omniumq; publicarum rationum libris conditæ asseruabantur erat autem ærarium in Saturni Opisq; templo, templum autem in vico Iugario, id Capitoli radices, vnde septies millies H-S. à Cæsare dictatore depositum, post illius interitum M. Antonius consul abstulit, etsi tantum Opis in Philippica I. & II. vbi hac de re Cicero loquitur, mentio fit; puto, quod duabus cellis simulacra Opis & Saturni separatim dedicata colerentur, & ad Opis cellam propius, quàm ad Saturni, eam pecuniam Cæsar locasset, primis tamen reip. temporibus legem Iciliam in templo Dianæ, quod in Auentino monte fuit, repositam esse, legimus in historia Dionysij. Quæ ad rationem perferendæ legis attinerent, quæ fere ponderis alicuius esse viderentur; omnia, vt arbitramur, persecuti sumus, nam in quo differrent

legum

legum ferendarum comitia à cæteris comitijs, vt de magistratu creando, de reo iudicando, quia conuenire magis in librum de comitijs hæc tractatio videtur, qui post hunc de legibus exibit, hic omittimus. Locum ferendæ legis interdum Prata Flaminia, qui postea circus Flaminius dictus est, interdum etiam lucum Petelinum, quandoque Capitolium, sed plerunque forum, aut campum Martium fuisse legimus, de Pratis Flaminijs, luco Petelino, Capitolio, Liuius testis est: de foro, declarant illa pro C. Rabirio Postumo: Si lex ferretur, conuolaretis ad Rostra, erant enim Rostra in foro, dixit autem, Conuolaretis ad Rostra cum hoc subintelligeret, vt inde legem dissuaderetis, & aperte in oratione I. in Antonium, & in V. & pro domo, & vbi non? de campo, inde constat, quod, cum leges centuriatis comitijs sæpe latæ sint; centuriata porro comitia in campo esse habita, omnes historiæ narrent: manifestè sequitur, vt leges centuriatis comitijs latæ, in campo latæ sint. Hic oritur alia consideratio, loco ne sacro, an profano ferretur, sacro potius, quàm profano, crediderim: primum, quòd in Rostris, qui locus erat auguratus, templumq; dicebatur, sæpe à magistratu ferretur: itaque pro Sextio, Princeps, inquit, rogationis Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit, occuparat enim vt legem ferret, quod illa verba pro Milone declarant. Potuit ne Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulso? occuparat autem Rostra, non templum alicui deo sacrum: quod ipse Cicero declarat infra, in eadem pro Sextio, subiungens, Tribunos pl. ferro è Rostris à Clodio pulsos, Fabricium intelligens, sed clarissime in Vatinium his verbis: Cum L. Vectium indicem in Rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris, & Liuius lib. VIII. Naues, inquit, Antiatium partim in naualia Romæ subductæ, partim incensæ: Rostrisq; earum suggestum in foro extructum adornari placuit; Rostraq; id

templum appellatum. Altera est ratio, quòd leges à P. Clodio tribuno pl. in templo Castoris latas inuenio, quod indicat illud in Pisonem: Eodem in templo, eodem & loci vestigio, & temporis, arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti, sic enim interpretor illud. Eodem in templo, quo in templo legē de mea pernicie tulerat Clodius, eodē in templo de Macedonia tibi tradenda statim legē tulit: quā tu prouinciā ad arbitriū tuum pro meo funere, quod idem funus patriæ fuit, ipse pactus eras, itaque prouinciam lege traditam, quasi præmium à Clodio debitum, abstulisti, & apertius in oratione pro domo sua: Cum arma inquit, in ædem Castoris comportabas, nihil aliud, nisi, vti ne quid per vim agi posset, machinabare. in libris autem de inuentione, Flaminium, inquit, eum, qui consul remp. male gessit bello Punico secundo, legem agrariam per seditionem ad populum ferentem, pater suus de templo deduxit, accersitur maiestatis, & apud Liuium, ante quàm Rostra in foro extructa essent, de tribunis pl. legum rogandarum causa in templum coeuntibus, non semel mentionem fieri videmus.

Ferebat ergo magistratus legem in templo: ferebat suffragia de lege populus circa templum, locum enim tantæ multitudini vllo in templo fuisse, credibile non est; cum vero lex à magistratu ferretur, eodem in templo alios quoque magistratus astitisse, eos nimirum, qui cum magistratu legem ferente consentirent, legimus in oratione in Vatinium: Quæ quidem leges, inquit, anno post, sedentibus in templo duobus non consulibus, sed proditoribus huius ciuitatis, ac pestibus, vna cum auspicijs, cum intercessionibus, cum omni iure publico conflagrauerunt.

Ostendi latam in templo legem, cum in foro ferebatur, hoc est tributis comitijs, quid, cum in campo, centuriatis? tum in templis deorum non existimo, quæ in campo nulla fuisse legimus: quo tamen in loco à magistratu ferretur,

cum

eum locum ante auguratum fuisse crediderim, nam si tributis comitijs semper in templo; cur centuriatis, quæ maiorum rerum causa habebantur, profano in loco lex ferretur? sed fortasse videri possit infirma coniectura, addamus exemplum, vt dubia res testimonio probetur. Liuius igitur lib. III. Tribuni, inquit, vt impediendæ rei nulla spes erat, de proferendo exercitu agere, eo magis, quòd, & augures iussos adesse ad lacum Regillum, fama exierat, locumq; inaugurari, vbi auspicato cum populo agi posset: vt quidquid Romæ vi tribunicia rogatum esset, id comitijs ibi abrogaretur. Inter leges autem, quæ in foro, & eas, quæ in campo ferrentur, dixi iam hoc interfuisse, quòd in foro tributis comitijs ferrentur, in campo comitijs centuriatis, nunc adiungo, primum illud, centuriatis comitijs eas esse latas, quæ è S.C. ferebantur: deinde illud; quæ centuriatis comitijs ferrentur, eas si è S. C. non ferrentur, patribus quidem auctoribus semper esse latas, quod non à primis reip. temporibus, sed tantum post Publilij Philonis dictaturam obseruatum est, hunc enim dictatorem legem tuliisse, vt legum, quæ comitijs centuriatis ferrentur, ante latum suffragium patres auctores fierent, scribit Liuius lib. VIII. quo significatur, non omnes antea leges, quæ centuriatis comitijs ferrentur, è S. C. aut patribus auctoribus esse latas, quòd si factum nunquam antea non erat, consuetudine seruata, quæ in Numa rege creando est inducta; vt scilicet, ante quàm populus suffragium iniret, patres in incertum comitiorum euentum auctores fierent; Publilius in plebem propensus, quia plebeiæ gentis erat, quod senatui liberum erat, id necessarium fecit; quodq; more factum erat, id vt lege fieret, sua lege sanxit. Neque vero, quod ait Liuius, Patres auctores fierent, expono, patres S.C. probarent, fiebant enim dicere & relata, & disputata S. C. quid porro referri & disputari opus erat id, quod omnino probari à senatu Publilia lex iuberet? nam

de quo fit S. C. id, eiusmodi est, vt improbari & abijci potuerit: est autem & probatum, & acceptum, quia maior pars senatus ita senserit, at in hoc non, vtrum vis licere, neque plurium senatorum voluntatem spectari, Publilius voluit, sed, quasi ab vniuerso senatu iam probatum esset, ita vellent nollent, patres auctores esse, ergo sic existimare debemus; quæ leges centuriatis comitijs ferrentur, eas post legem Publiliam aut è S.C. aut certe patribus auctoribus esse latas; quæ vero ante legem Publiliam centuriatis comitijs latæ erant, alias è S.C. alias sine S.C. patribus tamen auctoribus, alias neque patribus auctoribus. Nihil ne igitur interfuit, dicet aliquis, inter leges, quæ patribus auctoribus, & eas, quæ è S. C. ferrentur? nihil, mea sententia, ante legem Publiliam, nam, siue è S.C. siue patribus auctoribus ferrentur; è senatus voluntate ferebantur post legem autem Publiliam multum inter huiusmodi leges interfuit, atque adeo tantum, quantum inter secundam & aduersam voluntatem interest, nam secunda senatus voluntate ferebantur eæ leges, quæ S.C. probatæ iam erant: aduersa vero non nunquam eæ, quarum patres auctores fiebant, probabant enim inuiti, lege coacti, itaque honorificentius habebatur id, quod è S.C. centuriatis comitijs latum esset, quàm id, quod ijsdem comitijs patribus auctoribus, sed extremis reip. temporibus nullam legem centuriatis comitijs sine S.C. patribus auctoribus latam inuenio, permultas autem S.C. ijsdem comitijs: siue, quòd abrogata sit Publilia lex: siue, quòd, cum idem Publilius eodem tempore, postea quàm Q. Hortensius dictator legem tulisset, vt eo iure quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur; nihil attinuit patres auctores de eo fieri, quo vel si auctores ipsi non fierent, tamen omnes ciues æque tenerentur, itaque magistratus aut è S.C. centuriatis comitijs, aut si senatus dissentiret, tributis leges tulerunt (quamquam & leges multæ tributis comitijs ex S.C. latæ

sunt

sunt) cum duabus legibus, Publilia, & Hortensia, eandem vim haberent leges tributis comitijs latæ, quam habuerunt antea leges eæ, quæ centuriatis comitijs, patribus auctoribus, latæ erant, non enim, quod ait Cicero Philippica X. Legem Pansa comitijs centuriatis ex auctoritate nostra laturus est, eo sensu dictum existimo, quòd eam legem patribus auctoribus Pansa laturus esset; sed ex auctoritate nostra, expono ex S.C. loquitur enim de Cæsaris actis; quæ lege confirmari, & sanciri, senatus cupiebat, cum porro cuperet; nimirum S.C. potius, quàm alia quauis ratione, declararet, quòd si cui, auctoritatem senatus pro S.C. vsurpari, nouum est: nihil errabit, si vt de latinè loquendi consuetudine recte iudicare possit, Ciceronis libros diligenter euoluerit. Hìc fortasse quæretur; ante Publiliam legem omnes ne leges, quas senatus, siue centuriatis, siue tributis comitijs, ferri cuperet, ferentur è S.C. an vero aliæ è S.C. aliæ vero sine S.C. tantum patribus auctoribus, vtrunque factum est, nam neque omnes è S.C. neque omnes patribus auctoribus latæ sunt, de latis è S.C. testimonium res non desiderat: exemplorum enim plena sunt omnia, patribus autem auctoribus minus quidem multæ, sed aliquot tamen latæ sunt, vt Petilia de ambitu, à tribuno pl. tributis comitijs lata; de qua Liuius libro VII. Quæretur etiam (pergam enim dubitando, quò non solum veterum librorum obseruatio, sed ipsa me coniectura ducit) vtrum centuriatis comitijs leges à maiore tantùm magistratu, an etiam à minore ferrentur, faciamus, quod oratores solent: qui cum testibus rem probare non possunt argumentantur à simili, & hoc genere sæpe fidem faciunt, item nos, cum centuriatis comitijs à minore magistratu leges latæ sint, nec ne, affirmare non possimus; quia neutrum ab antiquis traditum est; similitudinem sequemur, & quod in creandis magistratibus fieri solitum est, idem in ferendis legibus obseruatum esse dicemus, nam si creandis

magi-

magistratibus centuriata comitia nunquam, nisi à maiore, magistratu esse habita sunt: itidē, ferendis legibus nunquā nisi à maiore, esse habita, consentaneum est, illud autem est, esse igitur & hoc dicemus, neque enim, cur non sit, aut ratio suadet, aut exempla demonstrant.

De legum tempore, quæ notauimus, hæc sunt: neque omnibus diebus licuisse legem ferri, neque, quibus liceret, per omnes horas, licebat fastis tantùm diebus, nefastis non licebat, nec vero fastis omnibus, sed comitialibus duntaxat comitialibus autem ita licebat, si nemo de cœlo seruaret, quæ duabus legibus, Aelia, & Fusia, sancita erant, id annos prope centum ante Ciceronis ætatem, vt scripsit ipse in oratione in Pisonem, institutum, ad extrema fere manfit reip. tempora. Pisone autem & Gabinio cos. P. Clodius tribunus pl. Ciceronis ac bonarum partium inimicus, vt armaret immoderata licentia tribuniciam potestatem, dierum discrimen, & auspiciorum impedimenta sustulit, neque enim tantum, vt omnibus plane fastis ferri lex posset, verum etiam, ne quis per eos dies, quibus cum populo liceret agi, de cœlo seruaret, rogationem tulit, idq; postea seruatum esse videntur illa significare, quæ scripta sunt in oratione de prouincijs: Aut statuendum vobis est, legem Aeliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere; cum lex feratur, de cœlo seruari, obnunciari, intercedi licere. Ergo, ante legem Clodiam, non omnibus diebus, sed fastis, non omnibus fastis, sed comitialibus, nec comitialibus, si quis de cœlo seruaret, ius ferendæ legis erat: post legem Clodiam, non omnibus quidem diebus, sed omnibus tamen fastis, quod ante non licuerat, etiam si de cœlo seruaretur, ferri lex potuit. Horæ vero, quibus agi cum populo posset, omnes erant intra ortum solis, & occasum, reliquis non licebat, ante primam enim horam nihil agi licuisse cum populo, cum ait Dio in extremo lib. $\lambda\theta$, non

expo-

expono, ante primam horam Romani diei, cuius initium à media nocte sumebatur, sed ante lucem, ante auroram, quod ipse quoque Dio sic interpretatur, his verbis: ὁ γάλζας ὁ σείρουσε κύρα, καὶ ὑπὸ τὴν ἕω στρατηγῶν τὸν ψῆφον ἔθηκεν ἔδοξε: καὶ περ οὐκ ἔξον ἐκ τῶν νόμων, πρὶν φράτην ἀραγνῶσθαι, ἐν τῷ δήμῳ τι χρῆμα ἰσθῆναι, quòd si non ante primã; sequitur, vt nec post extremam, ideſt eam, quæ diem claudit, agi cum populo licuerit: siquidem neque vespertina S.C. rata fuisse, neque prætori vrb. ius dicere post Solis occasum licuisse, traditum est, sicut igitur non omnibus diebus ferre legem licebat, ita nec omnibus horis: quibus autem horis; ijs ita licebat, si neque fulgeret Iuppiter, neque tonaret. Nunc de causis agamus: quæ ipsa quoque nostri promissi pars est. A corruptis moribus manasse leges, nemini dubium est, nam vbi continenter & sobriè viuitur, vbi colitur pietas, vbi iustitiæ locus est; quorsum ibi lex feratur? nec sanis corporibus quæsita medicina est: nec, qui leniter & sedato cursu amnes fluerent, sed incitatis, extraq; ripas diffluentibus aggeres obiecti, ac vetustissimi mortalium, prorsus omnem vim, atque omnem luxum ignorantes, tranquillam vitam, ipsa natura duce, viuebant, post erupit iniuria; & quod quisque potuit, id quisque velle, neglecta ratione, cœpit, tunc necessario leges latæ, & iniecta licentiæ quasi fræna, quæ si quis recte agere sua sponte nollet, eum pœnæ metu in officio continerent, itaque, conseruandæ augendæq; ciuitatis causa, & vt esset bene viuendi norma, legem inuentam, manifeste cognoscitur, neque minus ad hunc finem spectarunt, quæ de religione, quàm quæ de bello leges latæ sunt, quæsita pietas in deos videtur; quæsita populo voluptas, vt in ludis: omnia tamen ad publicam vtilitatem referebantur, cuius autem legis vitiosa ac turpis origo sit; ea lex nominanda non est, nam legis causa iustitia, & lex ipsa iusta ac sancta debet esse, inde enim

publi-

publicum exoritur commodum, publicum dico, & quo munitur imperium aduersus hostilem vim, & quo priuati ciues, sua quisque bona, suum quisque ius, aduersus priuatorum iniurias tuentur, quòd si hoc in omni bene instituta ciuitate, multo magis agnoscitur in rep. Romana: quæ dum optimis legibus paret, malas autem vel abrogat suffragijs populi, vel tollit S. C. orbem terrarum pene vniuersum imperio comprehendit, quæq; ciuitates aut malas leges habuerunt, aut bonis non recte sunt vsæ, aliæ vi externa, aliæ domestica seditione conciderunt, quod & apud veteres sæpe accidisse legimus & nostra non semel tempestate vidimus. Superest de potestate legis, ea quæritur, primum vtrum maxima, deinde si maxima, vtrum perpetua, quod pro nostra consuetudine breuiter ostendemus. Erat in lege summa vis; non solum, quia, quod erat lege sancitum, Quirites omnes tenebantur; quod tribus legibus, vna consulari Valeria, Horatia, duabus dictatorijs, Publilia, & Hortensia, sancitum supra diximus; (paucas tamen excipio, quibus non omnes plane ciues obstringebantur; quo de genere fuisse legem de repetundis, iam ostendimus; lata enim est post illas tres, consularem vnam, dictatorias duas à nobis proxime nominatas; & quodcunque postremum populus iussit, id ius ratumq; esse XII. tab. lege sancitum est) verum etiam, quia, non vt prætoris edictum, item lex annuo spatio terminabatur, sed vigebat vsque dum alia lege abrogaretur, abrogari vero omnes licuit, præter Sacratas; quæ violatæ sæpe, abrogatæ nunquam sunt, abroganti vero non eadem, quæ violanti legem, pœna sancitur; ceteræ leges & abrogari omnes potuerunt, & abrogatæ multæ sunt, tametsi nulla lata lex est, quæ ipsa se contra abrogationem quasi sanctionis sepimento non munierit, graui pœna, multave ei, qui abrogasset, irrogata, at multi multas abrogarunt, neque tamen vllam propterea subiere

pœnam

pœnam, dixi iam, plus fuisse potestatis in eo, quod postremum populus iussisset, quàm in eo, quod antea iusserat: id lege XII. tab. sancitum esse, iussum autem populi & suffragia fuerunt, quibus abrogabantur leges, itaque, non quid antea populo placuisset, sed quid ei postremum placeret, spectari solebat, sensit autem in hoc genere populus non semper è rep. nam quemadmodum sæpe malas leges bonus populus, sic interdum bonas malus abrogauit, à senatu verò nunquam lex vlla, nisi reip. causa, sublata est; vt, cum Appuleiæ, Mario consule referente, S. C. damnatæ sunt; quod ab hoste reip. L. Appuleio Saturnino rogatæ essent: aut, cum Liuiæ consilio Philippi consulis sublatæ, quia contra auspicia, quæ seruari lex Aelia iubebat, à M. Liuio Druso latæ iudicarentur; Erant enim quatuor omnino genera, (vt ipsa fere Ciceronis verba vsurpem, quæ sunt in oratione pro C. Cornelio) quibus per senatum more maiorum statuerétur aliquid de legibus, vnum eiusmodi, placere legem abrogari, vt Q. Cæcilio M. Iunio cos. quæ leges rem militarem impedirent, vt abrogarentur, atque hoc genere non abrogabat legem Senatus (nam abrogare proprie populus dicebatur) sed, vt abrogaretur, statuebat. Alterum genus erat: quæ lex lata esse diceretur, ea non videri populum teneri, vt L. Marcio Sex. Iulio cos. de legibus Liuijs: quæ vt vno S. C. tollerentur, Philippus consul. Liuij inimicus, obtinuit à senatu, ideo autem, huiusmodi legibus non videri populum teneri, Senatus decernebat, quia, contra auspicia latas esse, augures monuissent, tanta Romæ fuit in auguribus auctoritas, de quibus libro II. de legibus hæc à Cicerone scripta legimus. Quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid, leges, non iure rogatas, tollere? nihil domi, nihil militiæ, per magistratus gestum, sine augurum auctoritate posse cuiquam probari; quæ ipsa, & alia in libro de religio-

ne tractabimus. Tertium, de legum derogationibus, quo de genere persæpe S.C. fiunt, vt de lege Calpurnia de ambitu, quæ derogaretur. Quartum genus, quod ea Ciceronis oratio mutila admodum est, neque in ipsa, neque in Pediano interpræte, ac ne alibi quidem, quod sciam, inuenitur; me tamen in eam partem coniectura ducit, vt existimem, cum aliquem senatus hostem iudicaret, simul, vt eius quoque leges, quæ quidem aduersus remp. essent, tollerentur, eodem S.C. aut alio, proxime facto, iudicasse, quarum enim maxime legum causa pernicioſus patriæ ciuis damnatus sit, & à rep. remotus; eas ipsas leges in rep. non hæsisse, sed abiectas illico esse, etiam si ab historia non probatur, veri tamen simillimum est, quale fuit, quod de legibus Saturnini proximè, & de legibus M. Antonij in prima huius libri parte diximus. Recte igitur semper, & iustissimè senatus. A populo vero, aut ab ijs, qui mercede conducti speciem quandam populi præseferebant, temeritate potius, aut fraude, quàm consilio, aut ratione, salutares ciuitati leges non nunquam abrogatæ sunt, vt rogante P. Clodio tribuno pl. Aelia de auspicijs, Fusia de diebus comitialibus. Postremum illud est, cum, verbo quidem, neque à Senatu, neque à populo, tacito autem omnium consensu per desuetudinem leges abrogabantur, id quod & Iulianus iurisconsultus notauit.

Erat igitur in lege vis non solùm maxima; quod Cicero in Philippica II. satis plane narrat, cum ait. In publicis actis nihil est lege grauius: verum etiam perpetua: siquidem vetustate neque tollebatur lex, vt edictum; neque debilitabatur, vt S. C. nisi si leges essent eiusmodi, vt reip. minimum consulere viderentur, nam has contrario vsu non solum debilitatas, verum etiam plane extinctas, neque damnatum esse quenquam, quia feciſſet aduersus eam legem, quæ iam exerceri desijsset, satis constare

stare video, leges autem multæ, quandiu Resp. stetit, perpetuo iure valuerunt, cum ipso libertatis initio, à primis consulibus, ac iam ante à primis Regibus latæ essent, quibus ego de legibus loquor, cum perpetuam vim legi tribuo, nam pernicioſas leges, nec iure rogatas, non perpetuo iure esse, sed tolli quamprimum vtile est: cuiusmodi multæ S.C. sublatæ sunt, populus autem, quem sæpe à reip. commodo malæ rationes auerterent, rectam in dijudicandis legibus normam non agnouit, sed vtiles sæpe abrogauit, sæpe sciuit inutiles.

Illud tamen, quia pertinet ad abrogandi rationem, quod in Festo Pompeio notaui, non omittam: in sanctione legum adscribi solitum, ne per saturam abrogari, derogarive liceret. Erat enim satura, lex multis alijs conferta legibus, accepto nomine à genere cibi, ex varijs rebus condito, id autem eo placuit in sanctione adscribi, quia in lege multis legibus permixta & confusa subesse fraus, quæ populum falleret, facile poterat; at in simplici lege, si de abrogando, derogandove populus rogabatur, non difficile erat, id quo de rogabatur, quale esset, intelligere.

Addam & illud, fractam esse legis vim, non modo cum alia lege nominatim abrogaretur, sed etiam, cum non omnino tota, sed eius pars lege posterius lata tolleretur; quod derogare, dicebatur; aut, cum nulla superioris legis mentione facta, aliquid ei contrarium posteriore lege rogaretur: quod erat, obrogare, atque hoc quidem de genere, apud Liuium libro IX. P. Sempronius tribunus pl. aduersus Ap. Claudium censorem in concione ita disputat: Ideo Aemiliæ potius legi paruerunt, quàm illi antiquæ, quia hanc postremum populus iusserat, & quia, vbi duæ contrariæ leges sunt, semper antiquæ abrogat noua, est etiam in II. de inuentione ita scriptum: In duabus contrarijs legibus, vtra posterius lata sit, considerare oportet, nam postrema quæque grauissima est.

Omnino, quod legis vim maximam fuisse dixi, eo dixi, non solum quia nihil esset lege grauius, & in publicis actis nihil obseruaretur magis; verum etiam, quia legis sententia pertineret ad omnes ciues, & omnibus æqua iura describeret, præsertim à quo tempore Q. Hortensius dictator rogationem tulit, de qua iam meminimus, vt quod plebs sanxisset, eo Quirites omnes tenerentur, veruntamen duo genera legum excipio, alterum, quo non omnes ciues, alterum, quod omnes quidem, sed dispari iure compræhenderet; primum enim illud apud Ciceronem lib. III. ad Atticum obseruaui; quam legem aliquis tribunus pl. ferret, ea lege collegas eius obstrictos minime fuisse, deinde; vt omittam leges alias, quibus senatores tenebantur, cæteri autem erant ordines liberati; quam legem, ne quis iudicio circumueniretur, C. Gracchus tulit, eam pro plebe, non in plebem esse latam, declaratur in oratione pro Cluentio, posteaq; L. Sylla Felix, cum eius rei quæstionem sua lege constitueret, populum R. quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare nouo quæstionis genere ausus non est, ergo hac lege, quæ primum Semproniæ fuit, de C. Gracchi latoris nomine; deinde Cornelia, postea quàm L. Sylla, lege lata, quæstionem & ipse eiusdem rei constituit; qua deinde potius, quàm Sempronia, eius generis iudicia sunt administrata; hac, inquam, lege, vt est in oratione pro Cluentio, senatores, & ij, qui magistratum gesserant, soli tenebantur, vt quemadmodum recte agentibus plura præmia, sic plura peccantibus iudiciorum pericula proposita essent. Lege etiam Iulia de pecunijs repetundis equestrem ordinem non fuisse alligatum legimus in oratione pro Rabirio Postumo; in oratione vero pro Cluentio quæ lex item de pecunijs repetundis nominatur, qua & ipsa præter ordinem senatorium nemo tenebatur, Iulia non fuit, vt ex temporum examinatione, quæ me sæpe magis erroribus expediuit, facile conieci,

nam

nam cum, Iuliam de repetundis latam esse à C. Cæsare in primo consulatu, notum sit, vel ex historia, vel è Ciceronis orationibus, atque epistolis; orationem autem pro Cluentio annis aliquot ante Cæsaris consulatum Cicero prætor habuerit: sequitur, vt omnino, quod ad nomen attinet, diuersæ leges fuerint. Quænam igitur fuit, dicet aliquis? Cornelia, L. Syllæ: ex qua multa in suam legem postea Cæsar transtulit, de qua sic in ea pro Postumo: Si est hoc nouum in lege Iulia, sicuti multa sunt, seuerius scripta, quàm in antiquis legibus, & sanctius iudicata: sane etiam consuetudo huius generis iudiciorum noua, sin hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Seruilia: Per Deos Immortales, quid agimus iudices, aut quem hunc morem nouorum iudiciorum in remp. inducimus? Reliquum est, vt de lege agamus, quæ omnes quidem ciues, dissimili tamen conditione astringeret, at hoc quidem cum multis exemplis probare possim, vno contentus ero. Fuit igitur huius generis Tullia de ambitu: qua lege aliam plebi, aliam senatoribus irrogatam esse pœnam, constat ex oratione pro Murena, id quod ostendimus iam, cum de legibus capitalia crimina vindicantibus ageretur.

✠

LILII GREGORII

GYRALDI

FERRARIENSIS,

DE

SEPVLCHRIS

Et vario sepeliendi ritu

AD LECTOREM.

Inferias tumulosq; tibi, supremaq; iusta,
Hoc collecta breui codice, Lector habe.
Quod superest, lethi memores viuamus & ipsi;
Et sic, vt morti vita superstes eat.

Digitized by Google

GYRALDI

DE

SEPVLCHRIS

LILIVS GREGORIVS GYRALDVS,

IOANNI FRANCISCO PICO

MIRANDVLAE PRINCIPI.

S. P. D.

EX quo tu me, PICE optime, ex urbana tempestate naufragum, & omni ex parte quassatum, rerumq; omnium inopem, in hoc florentissimo tuo oppido Mirandula, quasi in portum collegisti, ubi, ut alter Alcinous iactatum Vlyssem, me ultra merita fouisti, sæpiusq; inter loquendum à me petijsti, an quicquam inter naufragij tabulas reliqui superfuisset, quod si non publicè & passim omnibus exponi, priuatim saltem & seorsum ab amicis præsertim intimis conspici posset: & inter a-

lia me rogasti de sepulchrorum, & sepeliendi ratione, quod tu scilicet iam supergressus septenarij, & nouenarij anni ancipitem climacterа, sepulchrum tibi mediteris. Quare cum inuolucrum, nescio quo fato, mecum enatasset, illud his diebus, quibus tu apud Clementem VII. Pont. Max. & Carolum V. Augustum Cæsarem Bononiæ abfuisti, tanquam magno interpolaui, non quidem, vt illud venale haberem, sed ea tantùm ratione, vt aliquam tibi, si non gratiam referrem (qui enim id possem?) at saltem illius significationem præ me ferrem. Vale, ex arce tua Mirandulana, mense Aprili M.D.XXXIII.

cuius anni mense Octobri infelix Princeps & vita, & oppido a fratris filio per nocturnas insidias priuatus est, & ego miser omni fortuna exutus, vix viuus euasi.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS, DE SEPVLCHRIS

Et vario sepeliendi ritu,

AD CAROLVM MILTHZIEN. GERMANVM.

VNT plerique, CAROLE, qui nullis sumptibus, nullis quantumuis immodicis expensis parcunt, vt vel ædes sibi magnificas, vel illustria monumenta construant, non illa quidem perpetuò duratura, vt quæ omni tum fortunæ, tum temporis iniuriæ sint exposita, qui tamen haud immeritò nonnullam alicuius temporis gloriam consequuntur: ex ijs enim eorum quædam animi magnitudo conspicitur. Tu vero cum didiceris nulla esse monumenta perenniora ijs, quæ animo, & ingenio pariuntur, omni ope &

ſtudio niteris, vt tibi tale compares monumentum, quod duret æternum. Nam cum ſis nobiliſſ. familiæ genitus, in qua cum plureis, tum litterarum omnis generis, tum armorum ſtudijs excellentes floruere, non ſolùm in iſta veſtra tota, vt eſt latiſsima, Germania cogniti, ſed ob eorum domi, foriſq; egregia facinora per omnem ferè Europam celebrati, quibus ne tu degener eſſe viderere, in Italiam commigraſti, luculenta tibi optimarum artium, virtutumq; omnium monumenta paraturus, atq; in primis ſanctiſſ. tum pontificijs, tum ciuilibus legibus ſtrenuè operam impendis, quarum auſpicio vides iuſtiſsimè cuncta regi, cædes tolli, ius & æquum coli, mores cuſtodiri ciuitates deniq; & reſp. florere. Sed interea & humaniorum ſtudiorum non aſpernaris elegantiam, nec minus etiam amplecti videris eius facultatis profeſſores, quos & tua liberalitate, munificentiaq; demereris, amantiſsimoſque tui efficis, vt qui illius ſententiam optimè teneas, nullum præclarius, nec perennius eſſe monumentum aſſerentis, quàm bonarum litterarum. Nam per Deum immortalem, quid Simandio, quid Meridi, quid Artemiſiæ, quid alijs demum penè innumerabilibus, ingentes moles verius quàm ſepulchra ſtruxiſſe profuiſſet, quarum nunc vix nomina reſtant, niſi litterarijs monumentis potius, quàm cæmentitijs, & marmoreis ſtructa

fuiſ-

fuissent? necdum earum in præsentia alia manet imago, nisi quàm fidelissimo litterarum stylo scriptorum bonorum manus formauere. Errat CAROLE, errat profectò quicunque vel Bryaxin, vel Phidiam, vel Polycletum, vel Lysippum, aliumue quemuis ex eiusmodi celebratis artificibus, aliquid ex marmore, alioue quouis metallo, seu materia effinxisse putat, quod elegantius, perfectiusq; fuerit, quàm quæ vel ab Herodoto, vel Diodoro, vel Plinio, aliisue scriptoribus expressa sunt. Qua ex re, recte, vt opinor, ille qui interrogatus quo vellet artifice potius, quoue metallo effingi; malle se, ait, excellentis scriptoris laudibus describi, quàm vllo quantumuis præcioso metallo ab optimo quoq; artifice effingi: illius enim scripta, quàm mundus ipse, tandiu duratura. Sed quorsum, fortasse rogas, hæc tam altè repetita? Non aliam certe ob causam, nisi vt, quod vulgò dicitur, te sponte currentem impellerem, & ad bonas artes capessendas animarem, simulque vt aliqua ex parte tuis in me meritis hoc libello sub tuo nomine edito, gratiam referrem. Nam si quo minus alia re possum, hoc saltem efficiam, vt ne erga te penitus ingratus fuisse videar, tuæq; vel beneuolentiæ, vel liberalitati minus respondere.

Nunc de libello pauca præfabor, quem de vasis sepulchralibus, varioq; gentium sepeliendi ritu, inscrip-

ſcripſimus. Nam cum de vaſis ingens opus multis digeſtum voluminibus in manu habeam, in quo vaſa ipſa, quantum in me eſt, *ſuis reddo officijs; in hoc de ſepulchralibus egi. Vas etenim, vt primo eius operis volumine definiui, eſt quicquid quippiam intra ſe continet, vel quod ad eum vſum comparatum eſt. Vnde ſicut ſacris, medicinæ, coquinæ, rei nauticæ, alijſq; rebus propria & peculiaria vel communia vaſa adſcripta oſtendimus, ita huic iuxta de ſepulchralibus vaſis nomen indidimus. Verum quoniam ſepulchrorum variæ ſunt ſpecies, varij quoq; ſepeliendi mores, quapropter in hoc ſcripturo mihi de ſepulchris, viſum eſt paulò altius rem repetere, deq; vario ſepeliendi ritu, multiplicique inſtituto, tibi, & ſi per te alij forte legerint, non, vt puto, ingrata, nec inutilia colligere: quæ vt aliud nihil faciant, nos certe mortis memores efficient, mortaleſq; eſſe docebunt, nihilq; in hac mortalitate diù duraturum. Eà vero nunc demum ratione hoc quicquid eſt libelli exſcriptum ad te miſimus, vt, ſi editione, an potius ſepultura, dignus tibi viſus fuerit, meritam ſortiatur conditionem. Vale.*

LILII

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS, DE SEPVLCHRIS ET VARIO SEPELIENDI RITV, AD CAROLVM MILTZ GERMANVM.

PLVTONEM, quem tum Ditem, tum Sumanum Latini, Sabini Soranum vocauere, sepulchrorum, funerum, & exequiarum inuentorem antiqui crediderunt, cum harum rerum nulla, vt ferunt, apud gentes antea in vsu fuisset: atq; hac ipsa causa, vulgò creditum fuit, vt inferis Deus & vita functis imperaret. Libitinam quoque Romanos Deam sepulchrorum præsidem coluisse accepimus, in cuius templo, quæ ad sepulturas necessaria essent, venderentur, eandemq; cum Proserpina, seu potius Venere, Deam esse arbitrati sunt. Cuius non absimilis fuit, quam Epitymbiam Venerem Delphici vocauere. Sed & Vbidi-

nam

nam eandem ferè cum Libitina Græci quidam fecere. A Libitina certe libitinarij apud Latinos dicti, qui à Græcis νεκροθάπται, & νεκροφόροι dicuntur, vt est apud Vlpianum de institoria, dicuntur & vespillones. Fuit vero vsque adeo antiquis sepulchrorum cura, vt non aliunde templorum, & sacrarum ædium originem deductam, diligentissimi scriptores tradant, Eusebius, & Lactantius. Qua de re & Clemens Alexandreus in adhortatione quapiam ad Græcos, si ita recte προτρεπτικὸμ interprætamur, sic scriptum reliquit: Superstitio, inquit, templa condere persuasit: quæ enim prius hominum sepulchra fuerunt magnificentius condita, templorum appellatione vocatà sunt. Nam apud Lariseam ciuitatem, in arce, in templo Palladis Acrisij sepulchrum fuit, quod nunc sacrarij loco celebratur. In arce quoq; Athenienſi, vt est ab Antiocho in nono historiarum scriptum, Cecropis sepulchrum fuit. In templo vero Palladis, quam Poliada Græci appellant, iacet Erichthonius. Ismarus autem Eumolpi, atque Dairæ filius, in Eleusine vnà cum Celei natabus sepultus, & reliqua, quæ multa Clemens colligit, & ab eo Eusebius, quæ in Latinis codicibus non habentur. Sed vt templa, ita & simulachra atque idola, à sepulturis originem traxisse, sunt qui videri velint, quos inter Diophantes Lacedæmonius, qui antiquitatum libros XIIII. scripsit. Is Syrophanem ait Aegyptium hominem locupletissimum filio superstitem, eius desiderio simulachrum domi constituisse, ad quod familiares confugerent, cum domini iracundiam, furoremque euitare vellent: quo modo familiares à domino veniam consecuti, simulachrum ipsum floribus, & coronis ornare soliti erant, & odoramenta, aliaque eiusmodi adolere, quæ sunt postea ad sepulchra translata. Si quis tamen in vniuersum sepeliendi causam indagare voluerit, multo erit illi maxime elaborandum (alia enim alijs gentibus causa extitisse videri potest) vt ex ijs, quæ infrà narrabi-

mus

mus facile perspici poterit. Si tamen accuratius res ipsa perpendatur, duplicem in primis eam esse videbimus, vt scilicet posteri sibi quoq; moriendum esse admoneantur, & simul omnibus illuc tendentibus, recte, ac sancte viuendum esse: quibus rebus ad bene beateq; viuendum naturæ quodammodo iure impellimur. Vnde & eadem (vt opinor) ratione diuus Plato suæ philosophiæ scopum, finemq; in mortis consideratione esse statuit. Anneus tamen Seneca, non defunctorum, sed viuorum causa sepulturam inuentam esse voluit, vt scilicet hominum cadauera visu & odore fœda, à viuentium medio amouerentur: id quod ego factum crediderim, posteaq; iam cœtus hominum vrbes ac ciuitates constituere cœpisset. Sed vtcunq; his altius fortè repetitis omissis, iam sepulchrorum varias formas, variasq; figuras & lineamenta breuibus circunscribam, quæ tum à me conspectis monumentis & sepulchris, tum ex probatissimis auctoribus collegi. Nam cum in primis sepulchrum omne duabus rebus constet, forma, & inscriptione, antiqui maxime studuerunt, vt ad commensum & symmetriam vtrunq; constituerent, vt videlicet monumentum inscriptioni, & inscriptio monumento quadam congruente ratione responderet. Sed de horum altero nos architectorum præcepta instituent, de altero antiquitatum exempla nos instruent, & quæ tot extant eulogia, & collecta & edita vulgò. Tituli enim qui Epitaphia dicuntur, auctore Platone, quatuor versiculorum numerum excedere non debent, vt transiens viator facile perlegat. Verum hoc ab eo dictum quidem præclarè, sed suæ secundum instituta ciuitatis. Nam aliter factitatum non solum à Græcis suis, sed & à Latinis nostris barbarisq; videmus. Inoleuit etiam plerisq; antiquorum vsus, vt soluta frequentius oratione, quàm versu Epitaphia sepulturis inscriberent: cum è contrario Græci, & ij quidem antiquissimi, non nisi versu sepulchris inscriptiones adhiberent, quæ &

quod elego plerunq; carmine fierent, ἔλεγα à Græcis fæpe vocata reperies. Epitaphia vero ipſi legimus Græcis litteris, Latinis, Hetruſcis, Aegyptijs, Hebræis, & barbaris cæteris. Sepulchri igitur formam alij, & ij quidem quorum corpora non cremabantur, non maiorem apud antiquos, quàm vt corpus caperet, faciebant: quod & à pleriſq; hoc quoq; tempore ſeruari videmus. Antiqui vero id in vaſis, interdum ſtantis forma, interdum columellæ, nonnunquam arculæ, vel plutei ſpecie conficiebant, nonnulli in tabellæ ſcriptoriæ planitiem effingebant alij amplius quiddam & maius, vbi & titulos & rerum geſtarum monumenta inſcalpebant, quidam in ſcrinij marmorei, nonnulli in lectuli ſpeciem ſepulchra ſtruxere; quidam & gradus his addidere, alij ſacella proxime erexere. Fuerunt & qui columnas ingentes, aut pyramides, vel obeliſcos, proceroſue coloſſos erigerent. Verum in columnarum genere illæ præcipue celebratæ, quæ ad pedes plus minus centum ductæ ſunt, quæ circum vndiq; ſignis aſperæ, & rerum hiſtorijs circumueſtitæ, intra autem gradus habent ad cochleam, quibus ad ſummum earum vſq; aſcendi poteſt, quales adhuc Romæ cernuntur. Fuerunt & qui cryptas ſubterraneas, quas Græci hypogæa, Latini conditoria nuncupant, ſepulchris diſponerent, cuiuſmodi me vidiſſe cum aliubi, tum Romæ, & Baijs ſuccurrit. Sunt & eiuſmodi quædam Chriſtianorum hypogæa prope templa, vt Veronæ, & adhuc toto ferè in Latio conſpiciuntur buſtuaria familiarum, & domeſticorum tellure ſuffoſſa, diſtinctis paruo per parietes interuallo buſtulis, quibus crematorum reliquiæ condebantur: ſtantq; breues tituli, piſtoribus, coquis, tonſoribus, aliptis, & cæteris eiuſmodi ex familia. Sed & effigies tum gypſo, & polline marmoreo ac calce fictas, tum marmore ſculptas, tum diuerſo metalli genere formatas, in ſolatium & memoriam antiqui exprimere conſueuerunt, quarum mentio frequens apud

cele-

celebratos auctores, M. Tullium, Plinium, Lactantium, Statium, Martialem, item historicos: quam consuetudinem & nostra demum hac tempestate ab aliquibus nouari iam planè vidimus.

Nunc ex qua materia sepulchra confici soleant, res ipsa, & locus, vt ostendam, exposcere videntur. Nam veluti varia fuit & diuersa sepeliendi ratio apud nationes, & vario subinde tempore, ita varia quoq: fuit, & diuersa, ex qua monumenta conficerentur, materia. De sepulchris igitur nos ita statuimus, vt alia animata dicamus, alia in anima. Animata rursus in ea quæ ratione pollent, & quæ rationis expertia sunt, partimur. Nam alijs homines ipsi sepulchra fuere, vt eorum penes quos mos fuit & mortuos vorare, & humana carne vesci, vnde & illis vocabula Androphagi, & Anthropophagi, vel eorum, qui potu defunctorum cineres hauriunt. Alijs sepulchra fuere animalia bruta & rationis expertia, vt qui suorum cadauera canibus, vel vulturibus, cæterisq; feris exponerent. Inanima vero sepulchra appellamus, quæ ex diuersa sunt confecta materia. Alijs item elementa ipsa sunt sepulchra, vt eorum, quiterra conduntur, qui aqua summerguntur, qui igne cremantur, qui per aera suspensi, arboribus vel patibulis suffiguntur. Ac de his quidem omnibus est à nobis copiosius agendum, cum de singulis nationibus institutа trademus. Ex omni præterea metallo sepulchra, & loculos factos partim legimus, partim ipsi vidimus: ex auro videlicet, argento, ære, orichalco, ferro, plumbo, stanno, electro, magnete: plurimum vero ex marmore, eoq; diuersi generis. Item ex coctilibus fictilibusq; vasis, tegulis, plinthis, ex argilla, cretaue, sed & ex ligno, ligneisq; arcellis, vitreis etiam num vasculis, & crystallinis, alijsq; eius operis.

His ita de forma, & materia sepulchrorum à nobis breuiter expositis, illud iure subdemus, sepulchrorum iura semper sacra habita, non modo Græcis ipsis, & Romanis, sed

& Iudæis, & barbaris quoq; nationibus. Nam (vt alias nunc mittam) vide quanto studio, ac diligentia apud Mosen Abrahamus ille vir sanctissimus, vxori, sibiq; ac posteris suis sepulchrum pararit. Scythæ quoq; qui immaniores cæteris habentur, cum Darius Hystaspis eos bello lacesseret, eisq; à Persis obijceretur, quod prælium detrectarent, inter alia quæ responderunt, sunt (dixere) paterna nostra sepulchra, quæ cum inueneritis, agite, tentate illa labefactare, tunc certe intelligetis simus vobiscum nos pro paternis sepulchris pugnaturi nec ne: interea nisi nos ratio traxerit, prælium non conferemus. Ex quibus facile cognoscere possumus, quo cultu, ac reuerentia apud barbaros Scythas essent sepulchra, si nulla alia ratione ad prælium trahi poterant. Sed quò paterni sepulchri summa esset religio, præter id quod de Scythis diximus, Thamyridis quoq; fabula astruit, quæ & in prouerbium vsq; cessit, in eos qui furore, & insania corripiuntur, qui in patrios cineres minxerunt, cuius & noster Horatius in Poetica meminit. Scribit M. Cicero, quod sepulchorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moueri, neq; deleri potest, atq; vt cætera extinguuntur, sic sepulchra sanctiora fiunt vetustate. Terra, inquit Plinius, nos à reliqua natura abdicatos tum maxime vt mater operit, nullo magis sacramento, quàm quo nos quoq; sacros facit. Scribit & Plutarchus in Numa, sacros vocari vita functos, quorum videlicet sacra sint sepulchra. Nostra quoque Christianorum lege, sua sepulchris inest religio, & idcirco etiam violatoribus sua proposita sunt supplicia. Vetus eiusmodi extat Romanorum lex: Vbi corpus demortui hominis condas, sacer esto, nostri vero id Pontificis auctoritati subesse voluerunt. Illud quoque Romanorum legibus cauebatur, ne quis vestibulum, aditumue ad sepulchrum vsucaperet, nèue bustum violaret. Perstat & Græca sententiola, quæ & in prouerbium cessit, ne moue non mouenda, hoc est,

extra

ἀνίστημι λίθον. Extant & hac de re cum Imperatorum, tũ Pontificum nostrorum leges, tum diuinitus à M. Tullio tradita instituta. Quin etiam & τυμβορύχοι (sic enim sepulchrorum effossores, ac violatores Iurisperiti græca voce nuncupant) seueris pœnis plectuntur. Scribit Vlpianus, sepulchri violati actionem infamiam irrogare. At vero Paulus, reos sepulchrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humilioris quidem fortunæ summo affici supplicio, honestiores in insulam deportari, aut relegari, aut in metallum damnari. Hanc tamen sepulchrorum religionem contra hostes haud valere, Caius Iurecons. arbitratus est, cum ita prodat: Sepulchra, inquit, hostium religiosa nobis non sunt, ideoq; lapides inde sublatos, in quemlibet vsum conuertere possumus, nec sepulchri violati competit actio. Porrò & sepulchra venditare, apud antiquos, ignominiæ, & probro dabatur, adeò vt nomen apud Hebræos immutatum ijs, qui id fecissent: vt Ephroni contigit, qui ea causa Ephran appellatus est, signante (inquit Hieronymus) scriptura, non eum fuisse consummatæ, perfectæq; virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Subdit idem: Sciant igitur qui sepulchra venditant, & non coguntur, vt accipiant precium, sed à nolentibus quoq; extorquent, immutari nomen suum, & perire quiddam de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur occulte qui inuitus acceperit, hæc ille. Nec hoc loco illud omittendum, quod etiam si fundus in quo sepulchra sunt, venditione alienetur, ad ea venditori ius adeundi superesse: quod his ferme verbis Pomponius asserit; Dominis, inquit, fundorũ in quibus sepulchra fecerint, etiam post venditos fundos adeundorũ sepulchrorũ ius esse. Sed cum sepulchrorum iura sacra semper habita ostenderimus, nunc illud pariter non ignorandum, antiquissimi fuisse instituti, vt intra vrbem, & domi quoq; defunctorum cadauera conderentur: vnde & remansit larium

&

& penatum religio, qui ea de causa domi à gentibus colerentur. Verum ea mox consuetudo, vt fœda, ac tetra, antiquata, & in totum sublata, adeo vt etiam XII. tabul. legibus vetitum sit, id quod & senatusconsulto Duillio consule approbatum est: ex qua re in vsu loquendi verba illa venere, educere, & efferre. Vestales tamen & Imperatores Romani huic legi & S.C. subijci noluerunt. Plutarchus Fabritijs, & Valerijs concessum ait, vt in foro sepelirentur, eorum tamen posteritati metsi id sibi liceret, suppositâ tantùm face, in foro cadauer efferebant. Eius præterea qui triumphasset, vbi extra crematus fuisset ossa & cineres in vrbem deferri, & componi, decretis permissum fuisse, Pyrrhon Lyparæus tradit M. Cicero eadem penè quæ Plutarch. scribit in libro de legib. Appianus verò sophistes & nobilis historicus, inter causas, quas enumerat, cur Patritij agrarias leges contemnerent, & hanc affert, quod indignarentur, impiumq; ducerent, suorum parentum monumenta in aliena iura transire, atq; id pietatis & religionis causa. Plato etiam in illis suis legib. agros & in primis steriles sepulturis destinauit. Sed quod extra vrbem antiq; mortuos sepelierint, præter ea quæ attulimus, & quod adhuc monumenta penè innumerabilia huiusmodi conspicimus, inscriptiones quoq; sepulchrorum & epitaphia id manifestè comprobant: nam ferè omnia quæ hactenus conspexi Latina, has, vel his similes notas habent, IN AGR. P. quæ quot agri pedes sepulchrum occuparet, significabant. Est apud Vlpianum Iureconsul. id obseruatum, D. Adrianum pœnam aureorum XL. statuisse in eos qui in ciuitate sepulchrum fecissent, quos fisco inferri voluit. Eandem quoq; pœnam in magistratus statuit, qui id passi forent: quin & locum publicari mandauit, indeq; cadauer transferri. Sepeliebant autem Romani secus maximè militares & publicas vias, inter quas in primis Flaminia, & Latina celebrantur, vt apud Athenienses

nienses Ceramicum, apud Corinthios Sinopæi Diogenis sepulchrum, apud Syracusas Archimedis: & hæc in agris quidem, vt mittam plurima, quæ apud auctores & leguntur & adhuc secus ipsas vias cernuntur. Quibus vero de causis extra ciuitates cadauera sepelirentur, inter alias potissimũ has afferri video, vt scilicet libera vrbs tetro cadauerum odore minus pestilenti aere afficeretur, & vt illac transeuntes viatores ad laudes accenderentur, monerenturq; ad præclara facinora obeunda, neue si ita accideret, paterentur hostes in suorum maiorum monumenta grassari, & perinde alacriori etiam animo à mœnibus vrbis propellerent. Addit his Cicero, ne rogi fortassis aliquando igne vrbs conflagraret, aut incenderetur. Nunc Christiani nostri, (prò maiorum nostrorum sancta instituta deperdita) non intra vrbem modo defunctorum corpora condunt verum &, si Deo placet, in templis, ipsisq; delubris, & sacellis, in quibus diuorum cineres & reliquiæ tantùm seruari, & venerari maiorum nostrorum religio fuit, nefariorum, & scelestissimorum hominum, vtinam, & non etiã impiorum, fœdissima cadauera condunt: quod fieri præter maiorum leges, & instituta, cum Pico sæpius & Marardo, & nunc tecum quoque CAROLE vehementissimè doleo. Ad huius enim rei ministerium, quæ græco vocabulo à dormitione, & quiete dicuntur κοιμητήρια, à maioribus nostris constituta fuerunt: quo modo etiam Lacedæmonij, qui ex Lycurgi lege suos in vrbe secus Deorum templa mortuos sepelire consueuerunt. Saitæ tamen Aegyptij suos tantùm Reges, quos vt Deos venerabantur, intra templorum septa condere soliti fuerunt, id quod & ab alijs factitatũm auctores prodiderunt, & nos nonnihil infra. Legi & apud Athenæum, nobile illud scortum Laidem in Veneris templo apud Peneum fluuium sepultam fuisse. Sed hac de re satis.

Non

Non alienum à proposito opere me facturum reor, si tibi hoc loco repetam, qua sit ratione factum, vt ex tam paruis initijs, tam magna sumpserit incrementa sepeliendi mortalium cura. Nam cum primum domi, vt retro diximus, sine vlla pompa defunctorum corpora conderentur, idq; postea per leges esset abrogatum, ne tetro scilicet cadauerum odore viuentes infestarentur, ad tantam demum magnificentiæ pompam, ne luxum dicam, deuentum est. Sed enim cum id maxime curandum esset, quod & Plato scribit, hominem ita habendum vt neque mortuus, neque viuus hominum cœtui, ac societati esset incommodo, cœperunt ergo in agris primum loca, in quibus sepulturæ fierent, excogitare, inibiq; ad sepulturæ indicium, lapidem, seu tegulam, nonnunquam & cespitem, tumulumq; erigere, aliquando cippum, & testas, glebasq; aggerere, interdum arborem serere, quod & diuo Platoni in legibus placuit, & nunc aliquando Turcis, ne videlicet feræ, animaliaue bruta sepultorum ossa effoderent. At veroredeuntes posteri ad agros, Vere iam florente, charissimorum iacentium cum reminiscerentur, pro tempore floribus, & sertis, cæterisq; eiusmodi reliquis suorum memoriam celebrabant: ex qua re annua, & tot alia mortuorum sacra adinuenta, de quibus ita cecinit ingeniosissimus Poeta Naso:

Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsa fruges, paruaq; mica salis.
Inq; mero mollita Ceres, violæq; soluta.
Hæc habeat media testa reperta via.
Nec maiora veto, sed & his placabilis vmbra est.
Adde preces positis & pia verba focis.

Sed cum nonnulli essent, qui suorum vel propinquorum, vel amicorum minus desiderium ferre possent, tertium, septimum, nonum, & quidam trigesimum, & quadragesimum, non sine quadam numerorum religione, dies de-

fun-

functorum manibus & memoriæ statuerunt: quorum dierum non modo apud gentes mentio, & summa observationis cura, sed & in præsens à nostris ij magna diligentia custodiuntur. Hinc ab antiquis Græcis sacra illa, Necysia, Ennata, Enagismata, Cterismata, Tarchymata, hinc Triacas, & Triacontades dies legimus institutas: hinc à Latinis iusta, exequiæ, inferiæ, parentationes, nouendialia, denicalia, februa, feralia, & cætera huiuscemodi: quæ omnia tum lacte, & vino, tum sertis, & floribus, tum reliquis alijs rebus, quæ, vt ait Ouid. ab antiquis celebrabantur. Afferebantur & interdum epulæ, dapesq; ad sepulturam, vbi quoq; antiqui epulabantur. Vnde sunt apud autores ferales cœnæ, silicernia, & funerum fercula, quem morem vix dum Christiana lex compescuit. Extant certe D. Ambrosij, & aliorum post eum contra hanc consuetudinem orationes, & decreta: in cuius quidem vicem (adeo difficillime potuit aboleri) in quibusdam adhuc regionibus in parentationibus perseuerat, vt domi amici, & cognati conuocentur, peractisq: ad sepulchrum iustis, & funeralibus, domi conuiuia, & quidem lautissima agitant in quibus & demortui laudes, & viuentium solatia à sacerdote, vel pro eo ab alio, post epulas funebri oratione referuntur. Sed præter antiquorum conuiuia, etiam ludos funebres in funeribus, & quidem magnificentissimos excogitarunt, quos celebri apparatu non modo actitasse Romanos legimus, sed ijs longe prius Græcos, vt vel Homero in Patrocli funere teste, cæterisq; Poetis, didicimus. Processit vero, & in tantum excreuit apud gentes immodica sepulchrorum cura, vt aliquæ nationes etiam mortuorum monumenta impensius studiosiusq; curarent, quàm viuorum domicilia: eos in primis falli existimantes, qui breuioris, & momentaneæ vitæ ædificia magnifica construerent, sepulchra vero in quibus æternum, vel certe diutissime quiescendum sit, negligerent, atq; inter hos

maxime fuere Aegyptij, quorum moles immanes (sic enim verius quàm sepulchra dixerim) a scriptoribus celebrantur. Rectius autem, ac sapientius illi mihi feciſſe videntur, qui in sepulchrorum sumptibus & eorum luxu, ne immodica erogaretur pecunia, modum per leges posuerunt. Pittacus quidem vnus, vt plerisq; visum est è septem Græciæ sapientibus, apud suos lege cauit, ne in construendo tumulo, quam treis columellas plus expenderent, cum antiquiores etiam aliqui gleba tantùm contenti, & cespite, corpora obtegerent: ibi enim fortunarum dispendium fieri non debet, quo incommutabili naturæ lege omnes peruenire compellimur. Et propterea à quibusdam legibus, interdictum accepimus, ne maiore opere ac impensa monumentum conderent, quàm quod triduo decem homines conficere possent. Plato quidem decentissima monumenta parētibus, tēperatissima tamen, fieri præcepit. Idē alio loco Philosophus de sepulchrorū institutione plura præcepit, & Platonē secutus M. Tullius, quæ tibi breuitatis causa prætereo. Sed quoniā omnibus per te scribēdo prodesse cupimus, hac causa nec illa omittā quæ ad vocabulorū & vocū proprietates hac in re pertinere videbuntur, vt qui in varijs legendis auctoribus occupantur, planè intelligant quid quisq; senserit. Cadauer igitur propriè defuncti corpus à cadendo dicitur, quod Græci νεκρὸν vocauere: tametsi latine quidā mortuale, interdū morticiniū verterunt, vt Hieronymus, & sacræ scripturæ interprætes. Transfertur tamen, & ad inania quæ sunt, vt vrbium, ædium, & statuarum cadauera appellentur: id quod & Græci quoq; vt cum de Corinthijs fractis signis, νεκροκορινθίοις dixerunt. Sepultos quoquo modo conditos, humatos vero humo iniecta contectos dici accepimus: quem morem ius pontificale confirmabat. Nam priusq; gleba iniiceretur, locus vbi corpus crematum esset, nihil religionis habebat: iniecta vero vbi tumulo gleba fuisset, & humatum, & gleba vocabatur

cabatur, ac tum deniq; multa religiosa iura complectebatur. Hanc rem, & Virgilium in VI. attigisse sunt, qui affirmant, cum ait de Palinuro: *Aut tu mihi terram injice.* Item Horatium in eo: Quanquam festinas, non est mora longa: licebit. Iniecto ter puluere curras.

Sed & sepultos dicimus, & tumulatos, & conditos, & funeratos legimus: item sitos: vnde siticines vocabulum deflexum existimatur: de quo hæc ferè Gellius, & Marcellus ex collectaneis Attei Capitonis. Siticines, inquiunt, appellatos legimus, qui apud sitos, hoc est, vita functos canere soliti essent. Amplius addit Gellius, siticines proprium habuisse tubæ genus, quo canerent, à cæterorum tubicinum proprietate differens, quos sicinnistas (ait) vulgus dicit. Qui rectius locuti sunt, sicinnistas, littera, n, gemina dixerunt. Sicinnum enim genus veteris saltationis fuit, quæ & sicinnis dicitur, de qua in dialogis nostris de Poetis commodius ex Polluce, Athæneo, Suida, Ammonio, alijsq; meminimus. Nec illud ignores velim, funus proprie dici cadauer iam ardens, vel incensum: exequiæ dum portatur: reliquiæ iam crematum, & ustum: conditum verò iam sepultum. Sed iam vasa ipsa, hoc est, sepulchrorum nomina quibus frequenter auctores vsi sunt, & cuius causa libellum concinnauimus, adscribemus. Sepulchrum ergo à sepeliendo dictum, vt inuolucrum ab inuoluendo: verum vsu aspirationem sumpsit: vnde & sepulchretum Catullus formauit, pro loco vbi multa sepulchra sunt: sicuti à Græcis Polyandrion dicitur, quod nos Christiani cœmeterion vocamus. De Polyandrio apud nos D. Hieronymus, & alij quidam eius ordinis scriptores. Dicimus & tumulum, à terra in cumulum erecta: & sarcophagum, à saxi carnem exedentis genere. Tumba quoque non nunquam vocatur sepulchrum: vnde & tymbion, & hemitymbion, pro parua sepultura. Cicero tamen tymbon bustū interpretatur: vnde et maleficæ mulieres, quæ in sepulchris versantur, tymba-

des nuncupatæ. Pro sepulchro etiam interdum, arca, vrna, & cippus capitur: Item monumentum, quod, & Græci μνημον. Vocatur, & olla, & solium, præcipue Plinio, Curtio, & Suetonio. Vsi sunt, & veteres puticulo pro vetusto sepulturæ genere. Petronius Arbiter, alijq; nonnulli conditorium sepulchri genus faciunt, id scilicet quod Græci hypogæum, quod subterraneum esset, vocauere. Conditiuum videtur à Seneca quadam epistola dici. Mausoleum præterea, ab eo quod in Caria fuit regis Mausoli ab Artemisia regina conditum, sæpe vocatum legimus. Nostri etiam Christiani conchylia quandoq; appellauerunt. Item ciboria, de quibus ex Græcis, & Latinis alio loco plura. Sunt item quæ Græci ἤρια, quæ ideo sic vocata in Theocritum grammatici tradunt; quod mortuus injiciatur terra, quæ ἔρα dicitur. Alij ἤρια nuncupant, quæ nostri suggrundaria, infantium sepulchra, eorum videlicet qui quadragesimum diem necdum expleſſent. Rutilius Geminus, & Platiades auctores. Sunt qui suggrundia, & suggrundaria vocent, quorum M. Varro meminit, sed non pro sepulchri specie. Coragium Fulgentius pro virginali sepulchro, vel funere interprætatus est, cuius rei causa à quibusdam accusatur, parum animaduertentibus, hoc sine afflatu scribi, illud choragium cum afflatu. Meminit, & Festus Pomp. Sunt & illa apud Iureconsultos sepulchrorum genera, quæ gentilia, & familiaria dicuntur, hoc est, quæ toti familiæ, & genti comparata sunt. Sunt item hæreditaria, quæ hæredes sequuntur. Lectuli vero, & lecti [sic enim vtroque modo vocati sunt] quibus cadauera ad sepulchrum deferuntur, tum feretrum etiam, tum capulus, tum sandapila, tum demum & loculus. Videtur, & locus exposcere, vt eorum quoque, qui funera curant nomina breuiter annotemus. Sunt vero in primis libitinarij, vt supra meminimus, sic à Libitina Dea nuncupati, qui græcè dicuntur, teste Vlpiano, νεκροδαπται, & interdum, παρα-

&

& νεκροφόροι. Sunt & pollinctores, sic vocati, quod pollincere apud veteres funus curare significaret, quo verbo vsus est Plautus. Sunt & vespillones ea ratione dicti, quod vesperi in primis sepelirentur vita functi. Sunt & sandapilarij à sandapila feretro nuncupati. Erant & designatores, de quibus alibi facta mentio. Sed enim nec hoc est prætermittendum, euerriatorem vocari eum, teste Festo Pompeio, qui accepta hæreditate, iurè iusta facere defuncto debet: qui si non fecerit, seu quid in ea re turbauerit, suo capite luat. Id nomen ductum à verrendo. Nam exuerræ sunt purgatio quedam domus ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per euerriatorem, certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum.

His ita expositis, iam varios sepeliendi ritus, moresque adferam, si tamen illud te prius admonuero, eos quondam qublico fere hominum consensu sepulturæ honore carere, qui sibi manus iniecissent, quique, vt est Pythagoræ sententia, iniussu Imperatoris ex statione, & præsidio decessissent, hoc est, qui se interemissent. Dignissimum enim esse ait Egesippus, eos qui Dei patris imperium non expectarent, priuari quodam quasi matris gremio terræ sepulchro. Alij tamen his dextram à cætero corpore abscindebant, ea ratione, ne membrum, quod vesano quodam furore in corpus sæuierat suum, cum eo pariter sepeliretur. Eadem à Iosepho traduntur. Hoc idem supplicium in patricidas, & matricidas sacrilegos antiqui irrogabant, vt ijdem Egesipus, & Iosephus sunt testes: quos tamen patricidas Romani in culeum, cum simia, gallo, & vipera insutos, in mare, vel flumen proijcere solebant: & meritò, vt indigni, qui aliquo vitali fruerentur elemento, qui eos, à quibus vitam accepissent, ingratissimi violassent, perdidissent. Sed ipsos iam sepeliendi ritus prosequamur, atque à Romano populo, vt cæterarum gentium Principe exordium sumamus; tametsi apud eos non vna, nec semper

per eadem fuerit consuetudo, nec ab omnibus obseruata, quod, vel ex his quæ scribit Plinius, facile cognoscas. Ipsum, inquit, cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur, atque postquam longinquis bellis obrutos erui cognouerunt, tunc institutum. Et tamen multifarie priscos seruauere ritus, sicut in Cornelia domo nemo ante Syllam dictatorem traditur esse crematus, idque eum voluisse, veritum talionem, eruto scilicet C. Marij cadauere. Sed & Numæ Pompilij corpus in arca lapidea conditum legimus, quod multa post secula à Cn. Terentio in Ianiculo effossum, scriptores monumentis prodidere: qua de re ex diuersis authoribus multa Plinius, & Plutarchus, vt Lactantium, & cæteros mittam. Mansit vero apud Romanos cremandi consuetudo, vt à nostris quibusdam obseruatum est, vsque ad Antoninorum Imperatorum tempora, quibus à plerisque desitum est corpora cremare, & rursus terræ condere cœptum est. Romani igitur vbi animam ægrotus exhalare cœpisset, qui proximiores erant, si domi moriebatur, spiritum ore excipiebãt, morientisq; oculos caludebant, quos oculos scribit Plinius rursus in rogo patefacere, Quiritũ magno ritu sacrũ fuisse: ita more condito, vt neq; ab homine supremũ eos spectari fas sit, & cœlo non ostendi nefas. Legetamen Mania cauebatur, vt auctor est Varro, & Marcellus, ne filij parẽtibus luci claro oculos fugillarent: minus enim licebat, vt filij parentũ oculos in obitu fugillarent: quo loco Nonius fugillare, pro occludere exponit. Scribit Plutarchus eos vulgò infelices vocari, quorum oculos propter absentiam non potuerunt parentes obtegere. Postquam ergo moriens exhalauerat animam, cadauer ij quos libitinarios, & pollinctores appellatos diximus, lauabant, vngebantq; & si cremandum foret, pyra lignis, alijsq; rebus struebant pro hominis conditione. Non enim eadem omnibus, nobili, ignobili, patritio, & plebeio. Defuncti corpus albis vesti-

bus

bus induebatur, vt Plutarchus scribit: tum in pyra vestes, vnguenta, aromata, & id genus cætera disponebantur: inde funerationem, quam appellabant, faciebant, hoc est, funeris pompa ducebatur. Filij operto capite parentes sequebantur, vt auctor est Plutarchus. Idem hoc tempore custodirur à necessarijs, & familiaribus in Italia, variè tamen. Filiæ vero nudis, & passis crinibus sequebantur: cuius rei causas inquirit idem ille Plutarchus, inter quas commemorat, quod illa lugentibus accomodata sunt, quæ minus sunt vsitata. Nam cum mos esset, vt magis mulieres operto capite in publicum prodirent, & contra viri aperto contraria in luctu factitari solere ait. Apud Græcos si quid aduersi accidisset, mulieres totondisse, viros comas aluisse, consueuisse. Alias insuper causas attulit, quas breuitatis causa missas facio. Fuit vero antiquis mulieribus eiulandi mos, & comas, genasq; lacerandi, id quod & hodie quo tibi hæc scribimus, in Sabinis, & toto fere Latio, & supra Latium, perseuerat: quod tamen Romanis mulieribus duodecim tabularum legibus fuerat interdictum. Verba legis hæc sunt: Mulieres genas ne radunto, mulier faciem ne carpito, mulieres lessum funeris ergò ne habento. Est autem lessum, vt Lælius & M. Cicero interprætantur, lugubris eiulatio, quam rem Sextus Aelius, & L. Attilius, alioqui doctissimi, haud sane perceperunt. Sed missis his difficultatibus, cœptum sequamur institutum. Cum digitus defuncto incidebatur, ad quem seruatum iusta fierent, reliquo corpore combusto (quod factum, teste Pompeio Festo, membrum abscidi mortuo dicebatur) mox cadauer curatum ad pyram sandapilarij, & vespillones efferebant. Quo in loco is, qui necessitudine defuncto maiore iunctus erat, auersus rogo facem ardentem inferebat: vnde & consuetudo illa manst, vti faces, & funalia funus antecedant, & subsequantur. Antiquiores nobiles nunquam fere soli comburebantur, apud exteras nationes di-

co,

co, id quod ex poetis in primis collegimus, Virgilio, Statio, & alijs. Sed, & Homerus in Patrocli funere famulos, equos, canesque crematos cecinit. Apud barbaros vero etiam vxores, & seruos, vt retro planius ostendemus. Illud obseruatum est quoque, vt maioris ætatis homines ad tubam efferrentur, quod & ad hunc diem ciues Romani custodiunt: minores vero natu ad tibias. Fuit enim opinio, vt scribit Macrobius, mortuos ad sepulturam cum cantu prosequi, quoniam animæ ipsæ post corporis vincula ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cœlum ipsum redire creditum est antiquis. Sunt qui ideo factum putent, quod anima ipsa à plerisque harmonia existimata est, quod in primis credidit Herophilus, & eum secuti. Mox vbi vstulatum cadauer fuisset, bustum dicebatur, cinersque, & ossa cado colligebantur, amicis, & cognatis circunstantibus: tum defunctus funebri laudatione à propinquo laudabatur, quod cum ex alijs scriptoribus, tum ex Suetonio præcipue, & Cornelio Tacito didicimus.

Perfectis his, præfica nouissimum verbum illud alta voce pronunciabat, ILICET, quod est quasi ire licet. Tum cineres, & ossa sepulchro inferebantur, ante quod aram fieri solitam, Maurus Honoratus scribit. Postquam vero omnia completa fuerant, extremum vale alta voce pronunciabatur hoc pacto, Vale, vale, vale, nos te ordine quo natura permiserit sequemur. Sed meo quidem iudicio melius nullus, nec elegantius omnia ferè quæ diximus executus est, quàm suo carmine Virgilius in sexto Aeneidos, cum de Miseni funere ita cecinit:

Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pingvem tedis & robore secto,
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantq; super fulgentibus armis.

Pari

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpusq; lauant frigentis & vngunt.
Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasq; super vestes velamina nota
Conjciunt. pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, & subiectam more parentum
Auersi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fusoq; crateres oliuo.
Postquam collapsi cineres & flamma quieuit,
Reliquias vino, & bibulam lauere fauillam,
Ossaq; lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ,
Lustrauitq; viros, dixitq; nouissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
Imposuit, suaq; arma viro, remumq; tubamq;
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumq; tenet per secula nomen.

Atq; hactenus quidem Virgilius. Sed nunc videamus quandiu fas esset lugere defunctos. Scribit Plutarchus, Numam Pompilium apud Romanos pro ætatibus, temporibusque defuncti, lugendi modum statuisse. Puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem, neq; etiam plus mense qui vixisset vsque ad annos decem: & reliqua quæ de græco exemplari castigato petenda sunt, cum Latinum mendosissimum sit. Mulieribus quidem viduis decem menses, hoc est, per annum lugere maritum fas fuit: tantus enim à Romulo annus institutus fuerat. Vnde in Fastis Poeta Ouidius.

Per totidem menses à funere coniugis vxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

cum de anno decemmestri ageret. Idem Plutarchus à Numa institutum ait, vt quæ ante decem menses à mariti morte mulier nuberet, prægnantem vaccam immolaret.

Leguntur & in Iustiniani Augusti Codice adhuc illa verba; Si qua ex fœminis perdito marito, intra anni spatium alteri festinarit nubere, probro notetur. Scribit Anneus Seneca, annum fœminis ad lugendum maiores constituisse, non vt tandiu lugerent, sed ne diutius. Viris nullum legitimum tempus fuisse, quia nullum honestum. Hæc ille. Aliquos tamen in repub. viros excellentes annuo matronarum luctu ornatos, legimus in historijs, vt Iunium Brutum, & Valerium Publicolam. Idem ex vsu nostris mulieribus in marici funere permittitur. Sed mali adeò mores ætatem nostram inuasere, vt quæ quintumdecimum diem, vel vigesimum non expectauerint ad secundas nuptias, ego ipse viderim. Sed mores hos longe funere peiores, satyricis perstringendos mittamus. At enim vt honestum humanumq: putamus mortuos lugere, ita Stoicos quosdam inhumanos non satis probamus, qui maximum flendi ius in diem vnum duntaxat statuunt, idq; Poetæ Græci testimonio comprobatum volunt, qui Nioben infelicem illam matrem post tot filiorum necem de cibo cogitasse inducit: quibus & ego alios possem Poetas, & Græcos, & Latinos adducere, qui eam nimio lachrymarum fletu in saxum diriguisse cecinerunt; perpetuis quasi lachrymarum guttis manans. Sed nos hæc fabulosa mittamus. Ludos quoq; funebres, & Græci, & Romani instituerunt, vt supra meminimus, quos incœptari tuba vel ex hoc Virgilij carmine cognoscimus. Et tuba commissos medio canit aggere ludos. Qui vero ludis præerant, designatores vocabantur: quo nomine, & qui funera curant, nonnunquam dicti sunt. Funebrium autem ludorum principium à Græcis incœpisse, manifeste ostendit Homerus, à quo suos funebres ludos Virgilius, & Statius desumpsere. Ea vero funera, quibus ludi adhibebantur, simpludearia dicta sunt, vt ex Ticinio antiquissimo Poeta colligitur. Indictiua autem ea dicebantur, quibus

non

non modo ludi adhibebantur, sed & designatores, atque ideo amplissima putabantur. Dicta verò eo nomine, quod per præcones indicerentur, vt Festus subinnuit: tametsi eo loci perperam quidam inductiua supposuit. Lectos præterea, & lectisternia in Romanorum exequijs deferri, ac constrúi solita à potentioribus legimus, vt in Marcelli pompa sexcenta, in Syllæ sex millia, quod pro fortunæ qualitate scribit factum Seruius grammaticus. Sed & nonnunquam imagines, & signa in funeribus præferebantur, vt Lactantius, seu Lutatius grammaticus obseruat in Papiniana Thebaide; in miraculum videlicet spectantium. Idem etiam innuit Horatius, cum ait, Atque imagines ducunt triumphales. Statius quoq; Exin magnanimum series antiqua parentum. Inuehitur, vt historicos hoc loco, Suetonium, & alios missos faciam. Solebant cum primis reges, ac principes vrbium antiquitus, quod & nostris temporibus fieri vidimus Pontificib. Maximis, tumulari condiq; cum gemmis, alijsq; opibus, vnde exit illud Satyrici Persij.

Osi ebullet patrui præclarum funus. Tametsi passim alio modo exponi à grammaticis soleat. Certe ego in vrbis direptione cum alia sepulchra, pleraq; effodi vidi, tum Iulij secundi sepulchrum, ex quo inter cætera Cæsariani milites anulum sustulerunt, in cuius pala Sapphirus erat inclusus ingentis precij, quem Augustinus Triuultius Card. multis aureis redemit. Vidimus præterea & arma & ocreas vetustis in monumentis repertas. Sed & historiæ de sepulchris agunt, in quibus thesauri inuenti sunt. Redeo nunc ad sepulturas. Erat & earum genus illud, quam nostri imaginariam, & inanem, Græci cenotaphion vocant, cum mortuo iusta absente cadauere persoluerentur. Cenotaphium Tranquillus Suetonius honorarium tumulum appellasse visus est, cum de Druso agit. Cæterum, inquit, exercitus honorarium ei tumulum excitauit,

circa quem deinceps statuto die quotannis miles decurreret, Galliarumq; ciuitates publice supplicarent. Funus imaginarium in Pertinace Capitolinus vocat. Funus, inquit, imaginarium ei, & censorium ductum est. Legitima vero sepultura vocabatur, cum defuncti corpus adesset. Erat & aliud sepulturæ genus, quod per pulueris, vel terræ vel glebæ iniectionem celebrabatur, cuius Maro, & Horatius, alijq; meminere, atq; in hos in primis gramatici. Id vero secundum pontificalem ritum, & circa cadauer, & circa absentis corpus solennibus quibusdam sacris fieri consueuerat, quod, & M. Cicero in legibus affirmat, & nonnihil ego suprà retuli. At si fortè defunctus domi non extinctus erat, cui ex quiæ celebrandæ fuerant, domum referebatur, vbi dies septē seruatus, octauo incendebatur, nono sepeliebatur, vnde & nouēdiales pulueres vocat Horatius. Sed & ludi funerales, nouēdiales aliquādo dicti sunt & sacra ipsa nouendialia. Quare nos nostro quodam hendecasyllabo, rudes, & inertes semper sepulturis, & cadaueribus quasi vultures inhiantes, sacerdotes nouendiales, vulturios, iocose certe, si minus recte, appellauimus: ita enim ad Alexandrum Rangon, nostri Herculis fratrem, cum nephriti ego, & renum doloribus vrgerer, nec orationi dicendæ propterea interesse possem, cecini:

At vobis male sit mali dolores,
Bonis qui bona semper inuidetis,
Quin vrgete popas rudes inertes,
Istos vulturios nouendiales.

Ad hæc, & denicales feriæ ab antiquis celebrabantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur, παρα τὸ νεκρὸν nuncupatæ, vt putat Sextus Pompeius, quanquam, & non fortassis ineruditè, si à denarij numero deriuentur. Post nonum enim diem quo tumulo cineres condebantur, decimo purgabantur. De his & Columella, & Festus Pompeius meminerunt. Sed & M. Tullius in libris de legibus

gibus, tametsi locus parum sincerè legitur, vt est locupletius obseruatum in nostris annotatis. Februa quoque à Romanis mense Februario Diti patri celebrabantur, de quibus, vt alios mittam, copiosè, & ornate agunt Ouidius Fastorum libro secundo, & Festus Pompeius.

Videtur, & hoc loco operæprecium tibi referre Cæsarum, & Imperatorum consecrationem, quam ἀποθέωσιν Græci vocant, idq; Herodiani præcipue verbis, vt sunt à Politiano in latinum conuersa. Mos est, inquit, Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filijs, vel successoribus moriuntur: quiq; sunt eo honore affecti, relati dicuntur inter diuos. Est autem tota vrbe quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus: quippe functum vita corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quamsimillimam effingunt, eamq; in regiæ vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum, atque sublimem, vestibus instratum aureis, & quidē imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit: circa lectum vero vtrinq; magnam partem diei sedent, à læua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextra vero matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honorabiles, claraſque reddit. Harum nulla vel aurum gestans, vel monilibus indutæ, mœrentium speciem præbent. Hæc itaque per septem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectumq; velut ægrum, deterius se habere subinde pronunciantibus, dein vbi iam visus obijsse diem, lectum humeris attollunt equestris, senatorijq; ordinis nobilissimi ac lectissimi iuuenes, ac per viam sacram in vetus forum deferunt, vbi magistratus Romani deponere imperium consueuerunt. Vtrinq; autem gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus est, è nobilissimis, atq; patritijs altera fœminarum illustrium hymnos in defunctum, pæanaſq; canentium, verendo, ac lamen-

lamentabili carmine emodulatos: quibus peractis, tollunt iterum lectum, atq; extra vrbem perferunt in Martium campum, vbi quam latissime campus patet. Suggestus quidam specie quadrangula lateribus æquis assurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam: id quidem interius totum est aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro stragulis atque eboreis signis, varijsq; picturis exornatum: infrà vero alterum minus quidem positum est, sed forma, & ornatu persimile, portis, ianuisq; patentibus: tertium item, & quartum semper superiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est ominum breuissimum, perueniatur. Possis eius ædificij formam comparare turribus ijs, quæ portibus imminentes, noctu igne prælato naues in tutas stationes dirigunt, pharos vulgò apellant. Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata, & suffimenta omnis generis, fructus, herbas, succosque omnes odoratos conquirunt, atq; aceruatim effundunt: quippe neq; gens est, neq; ciuitas, neq; qui honore vllo aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisq; suprema illa munera principis honori deferat. Vbi vero ingens aromatum aceruus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant vniuersi equestris ordinis certa quadam lege, ac recursu, motuq; pyrrhichico, numeroq; in orbem decurrentes. Currus item circumaguntur, insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant ducum omnium Romanorum, principumq; illustrium: quæ vbi celebrata sunt, facem capit Imperij successor, eamq; tabernaculo admouet, tum cæteri omnes vndiq; ignem subijciunt, cunctaq; illico fomitibus illis aridis, odoramentisq; referta igne valido corripiuntur, mox ab extremo, minimoq; tabernaculo tanquam fastigio quodam simul cum subiecto igni Aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipsam principis animam deferre:

ac

ac iam ex illo vnà cum cæteris numinibus Imperator colitur. Atq; hæc ita quidem ex verbis Herodiani. Illud vero hoc loco tibi animaduertendum, quod tabernaculum illud extremum recte fastigium nuncupatum est: nam & hoc apud auctores, & in nomismatis quibusdam se obseruasse ait vir antiquitatum studiosus, amicus meus. Et quidem est penes me argenteum nomisma dono mihi datum à B. Diuitio Bibiennate, D. Mariæ in porticu Card. in quo insculptum eiusmodi est tabernaculum cum inscriptione, CONSECRATIO. Post hanc autem apotheosin sacerdotes, & sodales, ipsis in diuorum numerū relatis Cæsarib. de ipsorū nominib. nūcupatos attribuebāt, de quibus crebra est mētio apud scriptores. Alijs longe diuersa à Christianis fiunt, cūà Romano Pōtifice maximo, in diuorum, sanctorumq; numero quispiam refertur. Nuperà Leone X. Pont. Max. magna celebritate, & religione, cerimonijsq; omnis generis cum in maiorum, & minorum pontificum, tum cæterorum promiscua hominum frequentia celebrari conspexi, cum in diuorum numerum D. Franciscum Paludem, virum insigni pietate, ac religione, retulit. Idem postea iterum conspexi, Adriano VI. Pont. Max. in ordinem diuorum Antoninum Florentinum præsulem, & Beronem Germanum referente. Sed de his iam satis. Nunc Romanis funeribus Aegyptiorum iure subiunxerim, vt post rerum dominos, vetustissimæ gentis institutа subtexam: atque in primis de eorum Regum sepultura agam, quæ multo apparatu celebrabatur, vt Diodorus scribit. Cum enim, inquit, regum Aegyptiorum aliquis è vita decessit, illum omnes communi luctu deflent, vestes discindunt, templa clauduntur, iustitium indicitur, festiuitates non celebrantur, luto caput fœdant, totos duos, & septuaginta dies linteo, ac sindone subtus mammas cinguntur, CC. aut CCC. permixti sexus bis interdiu vrbem lustrant, luctum, lessumq; nouantes, Regisq; virtutes

ad

ad numeros commemorant: cibis coctis, vino, omni denique mensæ apparatu abstinent, non lauacris, non balneis, non vnguentis, non stragulatis lectis, nec venere deniq; vtuntur: sed per eos continuos dies mœrore, & luctu afficiuntur. Interea quæ ad pompam faciunt, comparant. Postremo verò die cadauer in arca repositum, ante sepulchri aditum collocant, libellumq; de rebus à rege gestis breuem recitant, tum si qui sunt qui velint, regem vituperant. His autem omnibus præsentes sunt sacerdotes, qui singula censent: adest & populus, qui Regum laudibus applaudit, vitijs reclamat. Quare factum est, vt Aegyptiorum Regum aliqui indigni existimati sint, vt sepulturæ honore honestarentur. Atque ita quidem Aegyptiorum Regum exequiæ celebrabantur. Priuatorum vero & popularium sic. Cum quispiam fato functus est, propinqui, & amici luto caput deturpant, ciuitatemque deflentes circumeunt, interim neque lauantur, nec nisi vile quippiam edunt, bibuntque, neque splendidis vtuntur vestibus. Sepulchrorum apud ipsos tria habentur genera, sumptuosum, mediocre, humile. In primo argenti talentum, in altero minas xx. in vltimo quid minimum exponunt. Qui funera curant, eorum impensam domesticis afferunt, petentes quanti velint funus apparari, atque ita inter se componunt. Primus igitur designator, quem Grammaticum illi appellant, humi cadauere deposito, circa illius ilia describit, quantum à sinistra parte incidendum sit: dein qui scindit, lapide Aethiopico, quantum lateris designatum est à Grammatico, aperit, statim q; currens profugit, quem tum astantes lapidibus, & execrationibus insequuntur: mox qui salitores nuncupantur, cadauer in templo delatum, per quæ facta est, scissuram expurgant, omnibus eductis intestinis, & interaneis, præter cor, & renes, quæ ab alio quopiam vino phœniceo lauantur, odoramentisq; linuntur, mox reliquum corpus cedro

vnguen-

vnguentisq; dies amplius triginta perungunt, ij quibus hæc cura est, myrrhaq; ac cinamomo, alijsq; rebus odoriferis perlinunt, quibus rebus cadauera à corruptione conseruantur. Vbi designatores ita corpus curarunt, vt integrum cum super cilijs, palpebris, cæterisq; membris in dormientis modum quiescere videatur, tum illud ipsius cognatis tradunt. Multi vero Aegyptiorum, maiorum suorum corpora domi multo sumptu sic expurgata condiunt, & eorum etiam imaginibus valde oblectantur. Alij autem antequam sepulturæ mandent, cum iudicibus ad hanc rem destinatis diem indicunt exequiarum. Mortuum enim Acherusiam paludem, quam, & Styga quidam nuncupant, transiturum existimant, quam prope Memphim esse auctores prodiderunt. Hanc rem ex Seneca aliter Seruius recitat: ait enim circa Syenem locum esse, quem Aegyptij phylas vocant, apud quem palus est Styx, quod tristitiam transeuntibus gignat, limosa, & papyris referta: vltra quam breuis est insula, quæ Abatos appellata est, quod sit inaccessa, cuius & Poeta Lucan. meminit:

Hic Abatos, quam nostra vocat veneranda vetustas.

Lectum est etiam quod vicini populi suorum cadauera ad alteram regionem transferunt. Sed si quis fortè in fluuio pereat, nec eius corpus inueniatur, post centum annos ei persoluuntur officia: atq; hinc illud propterea dictum est à Virgilio: Centum errant annos. Transmissa vero palude, adstant iudices amplius quadraginta in hemicyclo præparato, trahiturq; nauis, quæ ab illis βάρις dicta est, à Græcis ἐπιζάθρα, ad hoc opus ab illis comparata, quibus ea cura imminet. Eam vero nauim, nauta qui ab ipsis Charon nuncupatur, regere dicitur, cui pro naulo danacen soluere consueuerunt (id oboli seu pecuniæ genus est à danais, hoc est, vita functis, vel quod δανὰ arida dicuntur, appellatum, adeo vt inde prouerbium emanarit, Da-

nace, quod dicitur de vltimis bonis, alijs vel consumptis vel amissis) Sanè Græci scriptores Melittutan massam quampiam melle conditam, seu offam esse tradunt, quæ cum danace, vel obolo vita functis dabatur in portitoris mercedem, alij tamen offam Cerbero offerri prodidere. Sed ad Aegyptiorum instituta redeo, quę primum ab Orpheo, & mox à Virgilio, de Charonte, & inferis tradita sunt, id quod, & ante me antiqui Grammatici obseruauere. Igitur vltra ripam antequam in arcam corpus condatur, deducta in palude naui, volenti cuicunq; mortuum accusare conceditur. Si quis ab iudicibus fuerit, vt malus, reprobatus, sepultura caret: & qui itidem iniuste damnasse conuincitur, graui pœna punitur. Post hæc cognati compositio luctu, & lachrymis demortui hominis laudes recensent, non eo vtique modo quo Græci, & Latini consueuerunt, qui genus, familiam, opesq; celebrant; sed defuncti ipsius à pueritia facta, mores, doctrinam, iustitiam, continentiam, pietatem, religionem, cæteraſq; virtutes perstringunt, deosq; manes inuocant, precanturq; vt inter pios illum reponant, quibus tota adstantium concio læta quadam voce respondet. Tum demum cadauer à domesticis, & familiaribus sepelitur in proprijs sepulchris. Sed quibus ea desunt, domi apud firmiorem parietem arca suspenditur. Qui vero ob aliquam ignominiæ causam sepultura priuantur, domi quidem sine arca seruantur: quorum si ignominiam, & delicta posteri eleuent, magnifice, vt alij, tumulantur. Fuit & illa apud Aegyptios consuetudo, vt creditoribus in pignus darent parentum corpora, quæ, qui non redemisset, perpetua infamiæ nota inurebantur. Lucianus tamen, & Sextus Empericus hoc tantum de Aegyptiorum sepulturis tradunt, eos intestina educere, dein corpora salire. Chrysippus, & Cicero condire, & domi seruare. Plutarchus in Sympolio, cadaueta aperire, apricoq; aliquo loco soli exponere, intestina

in

in flumen iacere, reliquum purgatum corpus asseruare. Strabo vero, ab alijs quidem cadauera in flumen præcipitari, ab alijs vero vitro circundata domi seruari, ab alijs in vasis fictilibus, alueolisq; quibus dã circũ templa defodi, & condi. Herodotus, & Herodotũ secuti, scribunt in hunc propè modũ: Vbi vita functus homo est, ferro incuruo, inflexoq; ad hoc parato cerebrũ per nares mortuo educi, locũ medicamẽtis expleri, intestinisq; purgari, & lapide, vt diximus, Aethiopico ilia discindi, odoramentis compleri, mox consuto ilij vulnere nitro saliri. LXX. dies, quod vltra non liceret, lugeri (quare Moses cum de Iacobi morte agit, qui in Aegypto decessit, illum, ait, Iosephi filij iussu ibi tum præpotentis, more Aegyptio quadraginta diebus cõditum, defectumq; septuaginta fuisse) inde cadauer linteamine inuolutũ, gummiq; illitũ, in ligneã hominis effigiem ad hoc paratam componi. Alterum dehinc subdit idem Herodotus mediocrium sepulturæ genus, tum, & tertium, sed quæ nihil ferè differant, nisi sumptu, vt etiam ante diximus. Demum vero subdit: Vxores tamen insignium virorum non statim vita functas tradunt condiendas, ac ne eas quidem fœminas, quæ conspicuæ valde, & maioris momenti fuere, sed triduo atq; quatriduo exanimes custodiunt, ea scilicet causa, ne cum ipsis mortuis salinarij concubant. Quippe aliquando aiunt, quendam ex ipsis coeuntem cum recenti formosæ mulieris cadauere deprehensum, remq; à socio indicatam. Id quoque obseruant Aegyptij, vt cum quis Aegyptius, vel hospes compertus sit mortuus, siue flumine submersus, siue à crocodilo raptus, ei ciuitati vbi repertus, vel ad quam delectus sit, necessarium esse illum condire, & honestissimo funere in sacris monumentis sepelire, quæ nulli, nisi Nili sacerdotibus fas sit attingere: eos enim supra homines nescio quid existimant. Cur vero Aegyptij, vt pleriq; omnes, suorum cadauera non cremarent, hanc Herodotus rationem af-

fert: Aegyptij, inquit, persuasum habent ignem animatam quandam esse belluam, quæ, quæcunque nanciscitur, deuorat, atque consumit: at cum est expleta, ipsam, & quæ ab ea vorata sunt, vnà emori: & propterea nec cremare, nec belluis offerre corpora, vt aliæ pleræque nationes, Aegyptij statuerunt, sed ea condire, ac salire ne etiam à vermibus consumi possent. Atque hactenus de Aegyptiorum funeribus dictum.

Eundem ritum ab Assyrijs seruari quidam tradunt: verum illi potius cæra, & melle mortuos condiunt, asseruantq; conditos. Reges suos in paludibus relinquunt. Sed & quæ Scytharum, & Gerrhorum præcipue instituta legimus, hoc adscribamus loco, atq; Regum in primis, quorum ab alijs est diuersus sepeliendi modus. Nanque, vt Herodotus scribit, rex vbi decessit, ingentem, & quadratam scrobem effodiunt, dein Regis corpus exenterant, cæraque illud vndique circunlinunt, aluum optime expurgant, & silere contrito, thymiamate, apij semine, & anisi complent, resutumq; cadauer ad alias gentes plaustro deferunt, quod illæ excipientes aurem recidunt, crinem circuntondent, brachia circuncidunt, frontem, nasumq; sauciant, manum sinistram sagittis traijciunt, postmodum cadauer ad aliam rursus gentem, cui imperitent, carpento deuehunt, atq; inde referũt, eo vnde prius discesserant, omnibus regem comitantibus ad id destinatis. Simul ac vero lustratæ sunt omnes nationes, quibus rex viuens imperabat, apud illas, quæ in extremis habitant, reponunt, cadauerq; supertorum in loculo componentes, hastas hinc, & hinc defigunt, & desuper ligna disponunt, & pallio contegunt. In altera vero loculi parte aliquam ex Regijs concubinis iugulatam sepeliunt, atque vna pocillatorem, coquum, equisonem ministrum, & qui regis erat à nuncijs, equosque, & aliarum rerum omnium primitias, cum ijs etiam phialas aureas, aliaq; huiusce modi. Hanc tamen

Scr-

Seruius Grammaticus Indorum esse consuetudinem existimauit. His autem, quæ iam retulimus, circa regis inferias expeditis, humum certatim omnes iniiciunt, quammaximum tumulum struere parantes. At vbi annuum exactum est spatium, itidem rursus agunt, quinquagintaque ex seruis ingenuis strangulatos mactant, totidemq; equos, quos eductis intestinis palea replent, eosq; tum quinquaginta iuuenes tum equos tignis traijcientes, dirum spectaculum sepulchro regio circumponunt. Atque hæ quidem Scytharum regum inferiæ. Priuatorum vero, & reliquorum ad hunc modum fieri solent. Defunctorum corpora condiunt, eaq; plaustris imposita proximi ad amicos circumferunt: qui cadauer suscipientes, epulum ijs, qui illud sequuntur exhibent, & in hunc modum quadraginta diebus priuatorum hominum comitatus circumagitur, post hæc humatur, si prius tamen cadauer hoc modo expurgauerint. Caput cerebro euacuant, abluuntq; circa corpus tria ligna statuunt hinc inde procumbentia: circum hæc lanea pilea obtendunt, quammaxime possunt constipantes, & in scapham inter ligna pileaq; positam, lapides igne candentes iniiciunt, super quos semen cannabis, quæ apud illos preciosissima nascitur, imponunt, vnde vapor exhalat omni Græcorum suffimento odoratior: quo stupentes odore Scythæ eiulant, flentq; id quod est apud eos lauacri loco. Neque enim corpora lauant, sed eorum vxores aquam infundentes, cupresso, cedro, aut thuris ligno, ad scabrum aliquod saxum corpus atterunt, mox cum intumuerit, illud medicamentis quibusdam perlinunt, & simul faciem, quæ postero die, amotis medicamentis, conspicua splendidaq. apparet.

Alios esse Scythas legimus, qui inter epulas defunctorum corpora deuorant, quod Lucianus, & Tertullianus scribunt. Sed quoniam ampliſſima latiſſimaq. est Scytharum Regio, sunt ex ijs aliqui, quibus ferè perpetuæ sunt

niues,

niues, qui parentum cadauera inter niues ipsas,& glaciem truncis affixa arborum suspendunt arbitrati flagitium, & scelus esse ea terræ mandare. Scribit Stobæus, Tauros gentem Scythicam, qui & Taurici dicti sunt, cum regibus extinctis gratissimos eorum amicos sepelire. Si vero amicus aliquis Regi interierit, pro illius merito Regem, aut totam, aut partem auris abscindere. Apud eundem Stobæum legimus, Sindos id moris habuisse, vt tot pisces in sepulchrum conijcerent, quot hostes,qui sepeliretur interfeciſſe constaret.

Aethiopas diuersos esse auctores,qui de orbis situ scripserunt, manifeste ostendunt. Atlanticos tamen in Africa in primis celebratos inuenio, quorum sepeliendi institutu Scythicis subiungere non ab ordine alienum mihi visum est, si prius tamen de regum morte in medium attulero. Scribit Diodorus, sacerdotes, qui circa Meroen insulam deorum cultui assistentes inseruiunt, maximam, præcipuamq; auctoritatem habere, eamq; in primis, vt cum opportunum eis visum sit, & expedire, regibus significare vt sponte mortem oppetant, quibus dicto audientes Reges, nullatenus abnuentes, voluntariò eam subeunt; aliquosq: apud illos esse, qui cum rege libenter occumbant. Nec deesse, qui si fortè rex aliqua sui corporis parte debilis sit, vt Regem imitentur, ea se parte mutilant, priuantq; adeo verum est, quod à Lepido Poeta canitur, Mobile mutatur semper cum principe vulgus, quod & à philosopho multo ante scriptum fuerat. Priuatorum vero Aethiopum, quemadmodum diuersam eorum regionem, ita varia quoque sepeliendi institutio. Alij quidem defunctos in fluminibus abijciunt, id elementum optimum sepulchrum arbitrantes. Sextus quidem Empericus hos Ichthyophagos nuncupatos ait, hoc est, vt quidam verterunt Piscedulos: idque ea ratione ab ipsis fieri prodit, vt à piscibus cadauera vorentur, quod piscibus ij victitent. Alij

sunt

sunt Aethiopes, qui vitreis vasis conclusos mortuos suos conseruant, vt nepotibus, & posteris eorum sint notæ effigies, & idcirco eorum sæpe sint memores. Herodotus tamen rem ita explicat: Postea quam, inquit, Aethiopes, qui Macrobij vocantur, mortuum arefecerunt, totum gypso indicunt, picturaque exornant, & eius quoad fieri potest effigiem repræsentant: dein sepulchrum ei è vitro quod apud illos abundat, & passim effoditur, circundant, in cuius medio defunctus interlucet, nihilque fœditatis, vel retri odoris exhibet, sed omnia penè viuo assimilis. Sepulchrum hoc ipsum propinqui per annum intra ædes seruant, omniumque illi rerum primitias offerunt; anno verò exacto efferunt, extraque vrbem statuunt. At eorum alij fictilibus vrnis condientes, circa templorum septa sepeliunt, & per hoc maximum habent iusiurandum. Quidam & satis hoc attribuunt, vti retro diximus.

Indorum quoque multiplex variaq; sepeliendi consuetudo. Quidam parentes priusquam annis, aut morbo aliquo in maciem, seniumque eant, velut deorum hostias mactant, cæsorumque visceribus epulari fas, & maximè pium est: at vbi senectus, aut morbus incessit, procul à cæteris abeunt, mortemque in solitudine nihil anxij solicitiue expectant. His prudentiores, quibus sapientiæ studium contingit, mortis tempus non expectant, sed semet ignibus ingerendo, eam læti, ac hilares accersunt. Scribit Egesippus, eos primum protestari, quod discedere velint, nec ideò vllum obstrepere. Deinde vbi apparatus mortis processit, eos lætos insilire ardentem pyram, & adstantibus vale dicere: dolore quidem mulieres quasi subsidio destitutas, & paruulos liberos, quod derelinquantur. Alios verò cæteros benedicere, nec inuidere, quod meliores ipsi ad splendidiora loca, & ad puriora consortia festinent. Hoc idem, & suo carmine Lucanus testatur: Quique suas struxere pyras, viuiq; calentes Conscendere rogos. Hunc, in-

super,

super, & alium alias nationes moriendi morem habere legimus, vt diceemus. Padæos gentem Indicam, scribit Herodotus, ægrotantes interimere, ac epulari, mulieresque mulieribus idem officij præstare, etiam si se negent ægrotare: qua causa, inquit, pauci apud eos ad senectutem peruenire dicuntur: & si perueniant, mactant, itidem comeduntur. Plinius apud Indos linum gigni prodit, quod Latini viuum, Græci asbestinon ex argumento naturæ vocant, quod ignibus non absumitur. Ex eo factas Plinius se vidisse mappas ait, & ego ab alijs hoc tempore audiui, ex eo funebres confici solebant tunicæ, quæ regum fauillam corporis cremati ab reliquo separarent cinere. Maurus verò Honoratus in commentarijs Virgilianis Indorum consuetudinem scribit fuisse, vt quoties eorum reges moriantur, cum his dilecti equi, serui, & vna de vxoribus, quæ regi charior fuisset, incenderetur: inter quas de hac ipsa re magna erat contentio. Solinus, alijq; nonnulli, non modo regum vxores hoc facere, sed & priuatorum prodiderunt. Solini verba adscribam. Apud Indos, inquit, quibus ad viuendi rationem propensior cura est, multæ vxores in eiusdem viri coeunt matrimonium, & cum maritus homo esse desierit, apud grauissimos iudices suam quæq; de meritis agunt causam; & quæ officiosior cæteris sententia vicerit iudicantium, hoc palmæ refert præmium, vt arbitratu suo ascendat rogum coniugis, & vmbris eius semetipsam det inferias; cæteræ nota viuunt. Lucianus vero Indos μύελω, hoc est, medulla circunlini. Alij Indis qui Macrobij cognominati sunt, hoc ipsum attribuunt. In vulgatis Luciani codicibus male, vt puto, νάλω pro μύελω legitur. Diuersa ab his Sextus Pyrrhonius. Indorum enim, ait, aliqui vulturibus cadauera lancianda exponunt. Aliqui Taxilis hoc attribuunt, vt Hieronymus scribit, & ante Hieronymum Aristobulus, vt est apud Stabonem, qui Taxilam vrbem locupletissimam, & insignem

...bit: quin eius regem Taxilum, quod recte ...xandrum gesserat, ab eo honoribus, ad inui... reliquorum, accumulatum. Alij hoc quod diximus ...e vulturibus, Iberas facitasse prodiderunt. Sed mirum hoc, cum Procopius hac solum causa à Persis bello prouocatos scribat, quod Christianorum ritu defunctorum corpora sepelirent: verum hoc potuit diuersis temporibus contigisse. Indicam insuper gentem Calaciæ scribit Herodotus, quæ parentibus vescatur: vnde, inquit, interrogatos à Dario quantum pecuniarum peterent, vt patres igne cremarent, illos respondisse, iube rex meliora ominari. Sunt & apud Indos sapientes Brachimanæ, qui mirabiliter mortem contemnunt, quod cum ab alijs, tum à Strabone traditur, seq; ad eius contemptum mire exercebant. Idem Megasthenes prodidit. Notissima est de Calano historia, qui se vltro incendio obtulit, cum iam mori decreuisset. Nicolaus Damascenus, & Philosophus, & historicus, scribit à se visum Zarmanuchegan Indum, qui satis fortunatus Athenis se cremauit, quod abunde vixisset: in cuius tumulo ita scriptum fuit, Ζαρμανοχήγας Ἰνδὸς ἀπ' Βαργόσης κατὰ πάτρια Ἰνδῶν ἑῶν, ἑαυτὸν ἀπθανατίσας hoc est, Zarmanochegas Indus ex Bargoa, iuxta patrios Indorum mores seipsum immortalem faciens hic iacet. Atque de Indis hucusq;

Iam vero Grecorum sepeliendi morem afferamus, quos Luciamus ait cadauera combussisse, quod manifestius ex poetis colligimus, atque in primis Homero, qui in Patrocli funere rem clarissime executus est: in cæteris ea ferè quæ nostri. Cæterum qui pro patria occubuissent, longe honestiore exequiarum honore afficiebantur, quam rem luculentissime describit Thucydides, & propterea eius fermè verbis hic tibi adscribam. Facto, inquit, triduo ante exequiarum diem tabernaculo, mortuorum ossa proponebantur, & suorum quisque reliquijs, si quid libuisset imponebat,

ductaq; terra erat, frugibus obserebatur, vt sinus & gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum, vt viuis redderetur. Verum cum apud eos increbuisset funerum, ac sepulchrorum magnificentia vsq; ad luxum, Demetrius Phalereus eam minuit lege, & ante lucem voluit cadauera efferri, sepulchrisq; nouis modum finiuit. Nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut labellum: quin & certum his magistratum præfecit. Illud præterea in humandis defunctis ab Athenienſibus obseruatum, vt orientem versus cadauera vertere solerent, contrà vero ad occidentem Megarenses, & Phœnices. Nec parua in curia omiserim Lacedæmoniorum regum funera, quæ à parcissima licet ciuitate, multo tamen, & magnifico apparatu celebrari solebant, id quod in primis ostendit Herodotus. Nam equites, inquit, per vniuersam Laconum regionem regis interitum pronunciabant, fœminæ per vrbem ollas pulsitabant. Interea dum hæc sic fierent, ex singulis domibus masculus, & fœmina sese præ luctu, & lachrymis fœdabant: quod si facere renuissent, grauibus pœnis mulctabantur. Regijs exequijs ex omni Lacedæmoniorum regione necessarios quosq; & vicinos adesse oportebat, qui simulac ad regis funus coniuncti conuenissent, promiscuo sibi vicissim frontes pulsabant cum gemitu, ac vlulatu, optimum quenq; vltimum fuisse regem vociferantes. Si quis vero eorum bello perijsset, eius simulachrum effingebant, toroq; splendide, ac magnifice strato componebant, perq; decem dies continuos quiregio funeri dicabantur, iustitium indicebatur, & silebant fora; nec interim magistratuum confessus vllus erat, verum assiduus luctus. Atque hæ Spartiatarum regum inferiæ. Ciuiles vero exequias Lycurgum ita instituisse accepimus, vt nihil cum mortuo sepeliretur, puniceo tantum amictu velatum, & oleæ fronde, cadauer terræ obduceretur. Eiusdem

dem quoq; lege ſancitum, vt in vrbe, & ſecus deorum templa ſepulchra conſtruerentur, vt Plutarchus docet, à quibus, vt diximus, Chriſtiani ipſi noſtrum inſtitutum ſumpſiſſe videri poſſumus. Lugendi vero tempus ad vndecimum diem eis præfinitum fuit, duodecimo Cereri rem ſacram faciebant, luctumq; ſoluebant.

Argiui ex Græcis omnibus in funeribus, albis veſtibus ablutis aqua, teſte Socrate, ſoli induebantur, in quibus, & ſacrum illud erat, quod ἐγκνισμα illi vocabant, in quo, & carnes coctas exhibebant, vt Plutarchus refert.

Perſæ cæra circumlitos mortuos condire ſolitos, ſcribit M Cicero, vt quam maxime corpora diuturna permanerent. Hoc & Aſſyrijs, vt paulo ante diximus, attribuitur. Strabo etiam, Sola, inquit, ſepeliunt corpora Perſæ cæra oblinentes, magos vero inſepultos auibus edendos dimittunt. D. Hieronymus Perſas ait non prius cadauera humare, quàm aut ab alite, aut à cane traherentur. Idem & Procopius. Idem & Agathius in ſecundo hiſtoriarum, cum de ſepultura ageret Mermeroes Perſarum regis viri ſtrenuiſſimi, Tunc inquit, in deſtinatum locum ſolum nundumq; cadauer regis mortui reliquerunt, canibus ſimul, & auibus eiuſmodiq; animantibus vorandum; quandoquidem, inquit, hunc Perſæ ſeruant ſepeliendi ritum, vt nudata à canibus, & feris oſſa, per campos diſperſa maneant: neq; enim aut vrna condere, aut terra obruere defunctorum corpora fas eſt Perſis. Hæc ferme ille. Lucianus tamen Perſas ſepeliri tradit. Quod autem Perſæ ſuorum cadauera non cremarent, vt Græci, in promptu cauſa eſt, quod deum ipſi ignem arbitrantur, eumq; colunt, & propterea nefas illis videtur deum hominum cadauera depaſci. At vero Curtius in lugubri veſte Perſarum coniuges, & liberos in funere tonderi prodidit, non homines modo, ſed & iumenta quoq; teſtis eſt Herodotus in vltimo, cum de nece agit Maſiſtij viri apud Perſas ſpectatiſ-

ſimi,

simi. Suetonius etiam, Tranquillus cum Germanici interitum describit, Quin & barbaros, ait, quosdam regulos ferunt barbam posuisse, & vxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus. Sed postquam incidimus in tonsuræ mentionem, scribit Plutarchus Græcos, si quid eis aduersi accidisset, viros capillos aluisse, fœminas totondisse, vt supra quoq; meminimus. Scribit Herodotus Argiuos capita totondisse cum superati à Lacedæmonijs fuissent in agri Thyrei contentione, ac si in maximo luctu constituti fuissent: vnde, ait, legem tulerunt ne quis comam aleret, donec Thyreas recuperassent. Stobæus ex Nicolao Damasceno philosopho, & historico apud Græcos doctiss. morem recitat fuisse, quod si quis apud Indos maximum aliquod peccatum admisisset, à rege tonderi iubebatur, tanquam apud eam gentem tonderi, maxima sit ignominia, ac dedecus. Sed de capillorum tonsura si minus forte accurate, copiose tamen scripsimus super illud Mosis, Non in rotundum caput attondebitis: quare iam nunc in viam redeo. Scribit Sextus Empericus, Persarum morem esse vita functos in cruce tollere, nitro salire, & postmodum corio contegere. Persarũ Magos, ac sapientes scribit Cicero suorum corpora non humare, nisi sint antea à feris laniata. Parthi eadem ferme quæ Persæ instituta seruauere hoc est, defunctorum cadauera canibus auibusq; lanianda proponere, nudaq; post ossa terræ condere.

Hyperborei ad Arcton morem hunc custodiunt: Mors illis, inquit Plinius, non nisi satietate vitæ, epulatis delibutisq; senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientium, hoc genus sepulturæ beatissimum. Eadem scribit Mela Pomponius: Hæc lex in Co insula ad Hellespontum posita fuisse proditur, vt sexagenarij acontio vitam finire cogerentur, ne videlicet desides fortium virorum cibaria absumerent.

Tro-

Troglodytarum ſepulchra fuiſſe pene ridicula videri poſſunt. Nam vt eſt à Diodoro proditum, paliuri ramuſculis corpus obligabant, ceruicemq; cruribus annectebant inde cadauer ipſum in eminentiori loco depoſitum, ſaxis & lapidibus obruebant, de in ſupra ſaxorum cumulum, nullo de ſuorum morte affecti dolore, capræ cornu deponentes cum riſu abibant. Sextus Pyrrhonius eadem fere omnia, niſi quod de paliuri ramo non meminit.

In inſulis quæ Balearides à noſtris, à Græcis Gymnaſiæ vocantur, illud quidem moris fuit, vt eius qui eſſe deſijt, lignis quibuſdam corpus membratim in fruſta conciderent, & mox conciſum in vas componerent, tum demum ſaxorum, & lapidum aceruo accumularent, id quod Diodorus Siculus ſcriptum reliquit.

At Naſamones, Africana gens, ſedentes vita functos ſepeliebant, idq; maxime obſeruabant, vt cum quis animam efflare cœpiſſet, ſedentem conſtituerent, ne ſupinus occumberet: quod ſcribit Herodotus. Silius vero Italicus, Naſamonas in mare ſua cadauera, & in pelagus proiecciſſe cecinit.

Panebi populi Libyæ cum eorum rex moriebatur, reliquum quidem corpus eius ſepeliebant, vt Stobæus tradit, caput vero abſciſſum, & inauratum, in templo ſuſpendebant, ac conſecrabant.

Nabathæi atq; Arabes necnon Sabæi defunctorum corpora ſtercoribus ſimilia putabant, atque ideo regum ſuorum, & ducum cadauera in ſterquilinijs cœno ſimoq; obtegebant, dein terra condebant.

Maſſagetæ vero Scythicagens, eos miſerrimos, ac infeliciſſimos putabant, qui infirmitate, ac morbo decubantes morerentur, taleſq; feris beſtijſq; vorandos proijciebant. Vnde cum parentes, & propinqui in ſenium vergerent, iugulabant, eoſq; in fruſtra conciſos, & ouium, ac pecudum carne permixtos, in menſa appoſitos abſume-

bant,

bant, satius rati à se illos, quàm à vermibus consumi. Idem ferme scribit Herodotus in primo. Septimius vero Tertullian. in libris aduersus Marcionem, institutum hoc Ponticis gentibus adscribit. Parentum, inquit, cadauera cum pecudibus cæsa conuiuio conuorant: qui non ita decesserint, maledicta mors est. Colchos mortuos non sepelisse scribit Stobæus, verum ex arboribus suspendisse, quod genus sepulturæ aereum fuit.

Derbices gens Scythica Hyrcanis proximi, eos qui septuagesimum annum iam excessissent iugulabant, & in conuiuijs appositos, necessarios & propinquos ad epulas conuocabant, abstinebant vero à vetularum carnibus, eas tantum præfocatas condebant. Atqui si ante id temporis spatium aliquis fato cessissent, non esse, sed terra condere solebant.

Caspij, parentibus vbi septuagesimum annum instare vident, occludunt, illosq; arcte admodum obseruant, vt fame intereant. Alij tradunt, vbi ad id ætatis peruenerint, inter syluas in lectulo destitui, finem rei obseruantibus, & prospicientibus suis. Quod si forte supra volantes aues vnguib. & rostro iacentes discerpserint, summam eos felicitatis gradum assecutos arbitrantur. Si vero à canibus & feris dilanientur, eos quidem beatos, ac felices existimant, sed non æque, vt ij qui à volucribus discerpi sint. At si nec ab his neq; ab illis, eos perinde, ac infeliciſſimos lugent.

Eruli, qui Danubij accolæ sunt, eam teste Procopio consuetudinem in sepeliendis suis habent, vt senibus quidem, & morbo male habentibus, fas non esse existimarent diutius vitam producere. Verum vbi aliquis ita esset affectus, propinquos rogare cogebatur, vt se quantocyus ex humanis delerent: tum verò proximi, & cognati ingentem pyram lignis struere, & super eam tanquam fastigium quoddam, hominem morti destinatum collocare.

Adhæc

Adhæc aliquis nulla ei necessitudine coniunctus, pugione illum conficere, cognati ignem rogo inijcere, cremati ossa legere, terra condere, legibus obligantur. At verò defuncti vxor, si non multo post iuxta viri sepulchrum laqueo vitam finijsset, perpetuæ ignominiæ nota inurebatur.

Bactriani, & Hyrcani suos ætate confectos canibus obijcere consueuere: quos quidem canes propterea publicè alebant, suæq; linguæ vocabulo sepulchrales vocabant, quia immane facinus Nicanor apud Bactrianos Alexandri præfectus cum emendare tentasset, penè, vt scribit Hiero. regnum, amisit. De Hyrcanis quidem in hunc propè modum Cicero: In Hyrcania, inquit, plebs publicos alit canes, optimates verò domesticos, atque pro sua quisque facultate canes parat à quibus lanietur, optimamq; eam censent esse sepulturam. Idem Sextus Empericus asserit. Sunt qui, & canes ipsos sepulchrales ideo nuncupent. At D. Hieronymus non à canibus solum lacerari tradit, sed & volucribus semiuiuis lancinari, atque vt canit Lucretius, Viua vident viuo sepeliri viscera busto.

Tibareni qui Scythiæ populi sunt, quos senes dilexerunt, patibulis affigunt, id quod, & Persas facere ait Sextus.

Essedones Scythiæ, & ipsi populi, parentum suorum funera cantibus læti prosequi dicuntur, conuocatisq; propinquorum cœtibus, cadauera ipsa dentibus laniant, pecorumq; visceribus mixta, vt de Massagetis retulimus, conuiuijs inter epulas apponunt. Osse autem capitis, quod cranium vocamus, & caluariam, poculi loco habent, quod & auro circumornant, vt Solinus autor est, & Mela. Alij Celtis hoc attribuunt, quod modo de capitis osse dixi. Aliter ab Herodoto traditur: ait enim, defuncti caput denudatum purgatumque inaurant, eoque pro simulachro vtuntur, agentes illi quot annis maiores, & hostias, & ce-

Albanos montis Caucasi incolas defunctorum curam nullam habuisse sunt qui tradant, eosq; cum opibus, & pecunijs reliquisq; eorum rebus preciosis quibuscumque, parentes sepelire iam olim consueuerant, ne scilicet diuitiæ post obitum relictæ defunctorum memoriam desideriumq; afferrent. autor Strabo. vnde & parum diuites fuisse à scriptoribus produntur.

Lotophagi Libyæ populi suorum cadauera in pelagus iacere consueuere, ea suasi opinione, minimum interesse humò ne an humore corpora dissoluantur.

Pæonas Laertius in stagna suos iam vita functos proijcere scriptum reliquit. Suos, & Ichthyophagi, vt dictum est.

Phryges igni cremare, vt Græci, consueuere, mox sepelire. Alia sacerdotum consuetudo, quos decem cubitis erectos sublimes constituunt super lapidum struem, nec vt cæteros defodiunt, quod idem scribit Stobæus.

Apud Lycios non morem duntaxat, sed legem etiam fuisse accepimus, vt non nisi veste muliebri lugerent: idq; ob eam rem factum, vt cultus deformitate commoti, se maturius à mœrore abducerent, cum luctum intelligerent effœminatum esse & mollem, & à viri grauitate dignitateq; maxime alienum.

Thracum varia sunt instituta, vt variæ quoque eorum gentes. Trausi enim, qui inter eos connumerantur, vbi in lucem infantes editi sunt, lugent: vbi quis naturæ concessit, læti atque hilares per iocum lætitiamq; humare soliti fuerunt, arbitrati eos ex tot vitæ incommodis liberatos. Stobæus & Causianis hoc attribuit. Certe, & Hesiodus qui & ipse Thrax fuit, natales hominum lugens, vt ille ait, gaudet in funere.

Getæ & ipsi Thraces, Gothi à plerisq; existimati, vt Hieronymus & Orosius scribunt, idem faciunt, à Zamolxi edocti. Fuit verò, vt scribit Herodotus, Zamolxis homo

Pythagoræ quondam discipulus, qui in patriam reuersus, cum animaduerteret Thraces male viuere, & inscite, eorum ipse edoctus Ionicum viuendi genus & mores, ipsis dedit & leges, docuitque, & persuasit popularibus eas seruantibus, post obitum eos ad sese in eum locum ituros, vbi superstites omnium bonorum compotes essent futuri, per hoc diuinitatis opinionem consecutus, è Thracum se conspectu abduxit atq; euanuit, maximo sui desiderio post se relicto. Ad hunc mittere consueuere cum naui quinq; remigium, nuncium quempiam ex se ipsis sorte delectum, præcipientes ea, quibus ipsi tum indigerent, eumq; ita mittentes: eorum quibusdam negotium dabatur, vt tria iacula tenerent, alijsq; comprehensis, eiusque ad Zamolxin mitteretur, manibus pedibusq; homines agitantes, in sublime iactarent ad iacula, qui si in præsens extingueren-tur, propitium sibi deum arbitrabantur: sin minus, ipsum nuncium insimulabant, adseuerantes malum illum esse virum. Hoc insimulato, alium mittebant, dantes adhuc viuenti mandata. Sed præter hæc pleraq; alia de Zamolxi à Strabone traduntur, deq; eius cultu, vt cæteros tum Græcos tum Latinos in præsentia scriptores prætereant.

Crestones & ipsi Thraciæ populi his superiores, id sepeliendi moris habent, vt quæ vxor magis à viro dilecta sit, ea mactata, cum viro sepeliatur. Sed optimatum qui apud Thraces sunt, Herodotus hanc sepeliendi consuetudinem esse prodidit. Triduo, inquit, cadauer proferunt, mactatisq; quotidie victimis comessantur, mox defient, tum defuncti corpus crematum terræ mandant, congestoq; desuper tumulo certamina proponunt, sed singulorum tantum hominum, quæ μονομαχίαι dicuntur. Sed de Thracibus in vniuersum plura Pomponius, & Solinus, qui vt sunt brevitatis studiosi, ita loquuntur: Vna inquit, gens Thraces habitant, alijs alijsq; præditi, & nominibus & moribus,

bus. Quidam feri sunt & ad mortem paratissimi, Getæ vtique. Id varia opinio perficit. Alij redituras putant animas obeuntium. Alij etsi non redeant, non extingui tamen, sed ad beatiora transire. Alij emori quidem, sed id melius esse quàm viuere. Itaque lugentur apud quosdam puerperia, natique deflentur, funera contra festa sunt, & veluti sacra cantu lusuque celebrantur. Ne fœminis quidem segnis est animus: super mortuorum virorum corpora interfici, simulq; sepeliri, votum eximium habent: & quia plures simul singulis nuptæ sunt, cuius id sit decus, apud iudicaturos magno certamine affectant: moribus datur, estq; maxime lætum, cum in hoc contenditur, vincere. Mœrent alij vocibus, & cum acerbissimis planctibus efferunt: at quibus consolari eas animus est, arma opesq; ad rogos deferunt, paratiq; vt dictitant, cum fato, si detur in manus, vel pacisci, vel decernere, vbi nec pugnæ, nec pecuniæ locus sit, manentq; domi non procis nupturæ. Atq; hæc quidem ex Mela magis quàm Solino. Macedonibus nullum tam solenne munus fuisse proditum est, quàm suos sepelire.

Gallorum in sepeliendis cremandisq; cadaueribus ritus his propè verbis à C. Cæsare sexto belli Gallici commentario refertur. Funera sunt, inquit, pro cultu Gallorum magnifica, & sumptuosa, omniaq; quæ viuis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulò supra hanc memoriam (hoc est, ipsius Cæsaris) serui, & clientes, quos ab ijs dilectos esse constabant, iustis funeribus confectis vna cremabantur, & hæc quidem Cæsar. Mirum vero est quod de ijsdem tradit Pomponius: Aeternas, ait Druidas apud eos animas asserere, vitamq; esse alteram ad manes. Itaq; cum mortuos cremant, ac defodiunt, acta viuentibus olim negotiorum ratio, etiam & exactio crediti, defertur ad inferos, erantq; qui se in rogos suorum velut vna victuri libenter immitterent. At verò

Massilienses inter Gallos olim eruditissimi, vtpote à Græcis oriundi, eodem die quo funus esset elatum, domestico sacrificio adhibito, necessariorum, ac cognatorum conuiuio celebrato luctum finire consueuere.

Germanorum vero funera ita describit Cornelius Tacitus, vt eorum nulla esset ambitio: id solum obseruarent, vt clarorum virorum corpora certis lignis cremarentur, struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumularent: sua cuiq; arma, quorundam igni, & equus adijciebatur, sepulchrum cespes erigebat, monumentorum arduum, & per operosum honorem & grauem defunctis aspernabantur, lamenta, & lachrymas cito, dolorem & tristitiam tarde ponebant: fœminis lugere honestum. Vtriq; verò, hoc est, Germani, & Galli hac tempestate, vt Christiani, Christianorum exequijs, & ceremonijs mortuos sepeliunt.

Iudæorum consuetudinem esse corpora condere, quàm cremare, more Aegyptio, idem Tacitus auctor est, quod & in Iudæorum sacris libris manifestius conspicitur: quem morem & hodie ab ijs qui dispersi, ac palantes, nullis certis sedibus vagantur, seruari videmus. Condiri vero odoramentis, & aromatibus, candidisq; inuolui linteaminibus, cum eorum, tum euangelica doctrina docet. Magnos autem adeò sumptus aliquando in suis sepeliendis fecisse scribit Iosephus, vt plerique ea causa ad inopiam redigerentur. Illud addit diuus Hieronymus: Flentes, inquit, vsque hodie Iudæi, nudis pedibus in cinere volutati, sacco induti, ex superstitione pharisæorum prius cibum lentis accipiunt, signantes quali edulio primogenita perdiderunt. Et merito, ait Hieronymus, quia resurrectionem CHRISTI non credentes, Antichristi parantur aduentui. Hoc quidem ille, qui & alio loco, libro scilicet in Hieremiam tertio: Mos, inquit, hic fuit apud veteres, & vsque hodie in quibusdam permanet Iudeorum, vt in luctibus incidant lacertos, & caluitium faciant, quod & Iob fecisse legi-

legimus. Manifestius hoc propheta ipse: Non sepelientur, ait, neq; plāgentur, & non se incident, & neque caluitiū fiat pro eis, & no frangent inter eos lugenti panem ad consolandū super mortuum, & non dabunt ei potum calicis ad consolandū super patre suo, & matre, & domū coniuij nō ingredieris, vt sedeas cum eis, & comedas & bibas. Quæ prophetæ verba morem ostendunt, hæc facta fuisse in funeribus. Sepeliri vero in agris, & obstrui sepulchrorum ostia saxis & lapidum molibus, antiquis mos fuit. Nunc quidem, vt plurimum exilia sunt, cippo tantum & gleba terræ contenti, vel tegula fictiliue plintho, vel si qui magis, marmoreo lapide. Illud vtique Iudæi religiose antiquitus obseruarunt, vt nec hostem quidem insepultum dimitterent, nedum qui patibulo fuisset affixus.

Turcarum quoque funera his addere par visum est. Solent igitur, qui inter Turcas optimates sunt, sua sibi sepulchra construere, ijs potissimum in locis, vbi solitarium sit solum, & nullo in viridarijs tempore cultum, scilicet & in specubus: tametsi apud eos etiam sint cœmeteria, vbi populares passim, & vulgares terra, vt nostri, obruuntur. Potentiorum, inquam, & optimatum funera eorum sacerdotes, quos patrio illi vocabulo Thalassamanos vocant, pro hominis fortuna & conditione multi comitantur, idem hoc carmen continentes, Deus est Deus & verus Deus, & Magman Dei nuncius. Efferunt vero Turcę cadauera in caput, vt Hebræi quoque, non in pedes, vt nos. Consequuntur funus necessarij, ac propinqui, & post hos hinnientes equi, hamis quibusdam naribus affixis: & cum his humi tracta insignia & vexilla ducunt, & hastas fractas, & eiusmodi cætera. Nonnunquam & equos inuersis ephippijs constratos. At vero Turcarum reges alij templa & xenodochia sibi pro sepulchris construunt, quibus & prouentus annuos, & redditus opulentos adscribunt, ad inopum & pauperum subsidia. Solent id quoque plerique

eorum

eorum principes efficere, vt circum sepulchra platanos cæteraſq; arbores virentes serant, simul & violas, & halantium florum omne genus, addunt & his marmoreos titulos suis prescriptos litteris. At vero Turcarum sepulchra obtecta sunt quædam, quædam detecta, hoc est, sub diuo vt apud nos quoque. Primatum quidem sepulchra quotidie fere nouis stragulis, ac pallijs obteguntur. Adduntur & his diademata, quæ vulgo Turbant vocantur, varijsq; omnia floribus inspargunt. Luctus vero funerum Turcæ finiunt tertio plerumq; die, & nonnunquam octauo, vocatis ad epulas, & conuiuia amicis & propinquis, vbi & sermones habentur tempori, & rei congrui. Non ideo tamen fœminæ, matres scilicet, & vxores, sororesq; ac eiusmodi reliquæ à luctu cessant, quin frequentius sepulchrum adeunt, suamq; sortem deflent, eiulatum nostratium haud parum imitantes. Atq; hactenus quidem pauciorib⁹ tibi quam potui Turcarum funera sum executus.

Nunc summatim nostra Christianorum instituta tibi attingam, quod ea notissima sunt. Defunctorum nos corpora, vt antiquitus Romani, lauamus, & vt cuiusque vitæ conditio, proprio habitu, hoc est, vt Pontifex pontificio, rex regio ornatu, vel vt sibi quisq: testamento legato iussisset, induimus, & humanæ redemptionis insigni præeunte cruce, præcedentibus omnis ordinis sacerdotibus, vltimo loco subsequentibus necessarijs & propinquis, pullatis attratisq; cadauere sandapila medio loco constituto, ad templa & cœmeteria deferimus, vbi de more peractis iustis, vel terra condimus, quod vulgare, & plebeium est, vel marmoreis sepulchris, quod ciuilius, vel porphyreticis labris, vel aheneis, quod principum est & potentiorum nonnulli etiam balsamo, alij sale, & melle condiunt, & intemplorum fornicibus arculis picatis cæratisue suspendunt obtectis fericeis aureisue tegumentis, cum tamen illud à nostris maxime proprium existimetur, terram terræ reddere

dere, quæ (vt canit Lucretius) quoniam omniparens eadem rerum est commune sepulchrum. Sed & apud Xenophontem Cyrus id sepulturæ genus commendat, quod & antiquissimum fuisse M. Tullius declarat.

Hactenus quidem, quantum memoria complecti potui, de varijs gentium sepeliendi institutis disserui, quibus, vt puto, longe facilius Silij Italici carmina intelliguntur, quæ sunt in XIII. Punicorum, quo nullus, vt mihi quidem videtur, varios sepeliendi ritus breuius complexus est, vt eo loci facile iures, oratoris patres eum quam Poetæ potius obiuisse. Ita enim Scipionem cum Apij vmbra loquentem inducit:

Nanque, inquit, ista per omnes
Discrimen seruat populos, variatq; iacentum
Exequias, tumuli & cinerum sententia discors.
Tellure, vt perhibent, is mos antiquus libera,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur,
Regia eum lucem posuerunt membra, probatum est.
Hyrcanis adhibere canes. Aegyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exanguem haud separat vmbram.
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virum, & longum myrrhata reponit in auum.
Quid qui recluſa nudos Garamantes harena
Infodiunt? quid qui sauo sepelire profundo
Exanimes mandant libycis Nasamones in orit?
At Celtæ vacui capitis circundare gaudent
Ossa (nefas) duro, & mensis ea pocula seruant.
Cecropidæ ob patriam mauortis sorte peremptos,
Decreuere simul communibus vrere flammis.
At gente in Scythica suffixa cadauera truncis,
Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.

Hæc Silius. Sed iam sepulchrorum miracula, quæ toto terrarum orbe clarissima habita sunt, libello modum ponam

ponant. Etenim superius gentes memorauimus, quarum in construendis monumentis ingens fuit ambitio, atq; in primis Aegypti, cuius reges, & pyramides primi, & obeliscos, & irremeabiles struxere labyrinthos. Nam & Hecatæus, qui tempore Lagi Thebas profectus est, vt fidelius Aegypti historias conscriberet, & post eum alij tradunt, Aegyptiorum regum vetustissima sepulchra talia fuisse, vt eis nulla alia comparari possint. Aegyptij verò sacerdotes, quadraginta septem regia monumenta commemorant, quæ miraculosissima fuerint: ad Lagi tamen Ptolemæi tempora decem, & septem duntaxat superfuisse dicuntur. Celebrant item ea in quæ Iouis concubinas Aegyptij conditas asserebant. Verum illud multo maxime celebratur, quod Simandij regis fuisse perhibetur, cuius in præsentia formam tibi perscribam. Eius sepulchri circuitus decem stadiorum fuit, cuius aditus porta, quæ duorum ferme iugerum latitudine, altitudine quadraginta quinque cubitorum fuit, variis constructa marmoribus, qua primum ingressis offerebatur peristylus qua quauersum quatuor iugerum, in quo, pro columnis animalia sex, & decem cubitorum ad morem antiquum insculpta fuerant. Tota verò superioris tecti structura ex duorum passuum lapidibus, stellis dispositis colore cæruleo, erat adornata. Dein alter erat aditus, & priori porta non absimilis, verum sculpturis multo copiosior: in cuius ingressu tres erant statuæ ingentes positæ, Memnonis (vt aiunt) opus: quarum vna colossi instar erat altissimi, hinc, & hinc pusillas duas filias, vt videbatur, habens, mirabili tum naturæ, tum artis ingenio. Titulus in eo talis, Rex regum Simandius sum. Siquis qualisue fuerim, & vbi iacoam nosse velit, meorum aliquid operum exuperet. Erat & signum aliud matris viginti cubitorum, in cuius capitis vertice tria regia ornamenta cum essent, id (puto) innuebant, quod filia, vxor, & regis mater fuisset. Post hæc & alter peri-

peristylus erat longe superiore pulchrior, in quo Bactriana ipsius Regis pugna erat efficta. In medio peristyli duo erant tingentes statuæ ex vnico marmoris frusto confectæ, ad quas ex peristylo tres aditus patebant: tum ædes erant suspensæ columnis, & in ea ligneæ statuæ innumerabiles, hinc iudices, & inde principes videbantur. Dehinc ambulatorium, & regis signum Deis immortalibus ex sibi allatis tributis dona offerentis, quotq; annuatim millia ex tributo Rex acciperet. Post hæc etiam fuit bibliotheca cum huiuscemodi inscriptione, Animi medicamentum. Et post ipsam bibliothecæ inscriptionem, omnium deorum Aegypti imagines, & regis munera offerentis. Domus hæc sequebatur, in qua Iouis & Iunonis lectisternia viginti, & statuæ regis ipsius, vbi Rex erat sepultus. Circum hanc domum erant habitacula varijs depicta animalibus, quæ versus sepulchrum ascendere videbantur. Circuibat monumentum aureus circulus vnius cubiti crassitudine, ambitu verò, & circuitu trecentorum sexagintaquinque, in quo dies anni, & astrorum cursus inscriptus erat, quem circulum vsque ad Cambysis tempora permansisse, testis est Diodorus Siculus. Et tale quidem Simandij Regis monumentum fuisse legimus. Meridis verò regis sepulchrum Labirynthus fuit omnium maximus qui traduntur in Aegypto: de illo cum variæ à scriptoribus scribantur, eorum opiniones, non est quod hoc loco referam. Pyramidum quoq; amplitudinem portentosam, sepulchrorum causa, construxit, vt Diodorus, & Herodotus alijq; affirmant, tametsi Plinius præter hanc, & alias afferat. Sunt qui id operis Aegyptios ab Aethiopibus mutuatos existiment, apud quos primum erectæ fuerunt. Sed enim pyramidum aliæ quidem trium laterum, aliæ quatuor fuisse, manifeste ex auctoribus colligimus. Illa autem inter reliquas celebrata est, quæ Amasidis regis fuisse creditur. Item ea quam sibi Chemis rex posuit, quem Cheopen, ni fallor, vocat

Herodotus. Fuit & illa quæ Rhodopidis meretriculæ fuisse traditur, illius in quam Rhodopidis quam Charaxus Sapphus frater perdite amauit: quam rem periniquo animo Sappho tulisse, liquidò ex eius carminibus patet. Falluntur nonnulli, qui putauerunt Mycerini hanc fuisse pyramidam, cum alia quidem illa fuerit: de quo, & illud passim ferebatur, quod is fato functam filiam in boue lignea condidisset, & apud se, illius vt desiderium leniret, in aula regia asseruabat, iussitque, vt qui mysterijs, & sacris præessent, illi quotidie parentarent. Vidimus, & ipsi Romæ, si non tantas, similes tamen, vt quæ C. Cæstij fuit. Fuerunt, & obelisci aliqui eadem sepulchrorum causa erecti (vt Aegyptios taceamus) duo illi qui erant in monumento Augusti Romæ, ab Ammiano celebrantur, quorum alterius hoc tempore ingentia frusta, & crepidines repertæ sunt. Stat & adhuc qui in Vaticano à Claudio Cæsare positus fuit. Mausoleum vero in Caria ab Artemisia Regina in Mausoli viri, & fratris memoriam constructum, & inter septem orbis miracula repositum fuit: vnde, & apud Græcos de re magnifica prouerbium καρικὸν τεῖχος. Sed & Porsenæ Regis Labyrinthus apud Hetruriæ ciuitatem Clusium, sepulturæ loco ab eo rege positus fuit, in quo, & pyramides addidit, vt ex Varronis auctoritate Plinius recitat. Huius quidem Labyrinthi, & hodie vestigia cernuntur. Quid? non ne notum est, & vrbes nonnullas conditas pro sepulchris? vt Antinoi ciuitas ab Adriano constructa in dilecti adolescentis memoriam, & monumentum. Quid? non ne Bucephalam ab Alexandro de equi sui nomine? Sed & flumina sepulchri loco nonnullis fuisse legimus, vt est de Tiberino apud Romanos. Nota est historia, vt apud Medos Hydaspes, de quo in Poetis agemus. Item fluuius Pythopolites à sepulchro Pythei Regis, de quo Plutarchus agit. Maria etiam sepulchro con fucre, vt Icarium, Aegæum, Hellespontus,

Ery-

Erythræum à summersis, sepultisque regibus nuncupata. Verum hoc de Erythra adnotaui, quod in Tyrina fuit non longe à Carmania sepultus, cum huiusmodi inscriptione:

Hic tumulus pelago late dominantis Erythræ. Græcum vt legi hic apposui, si minus, vt ego latine retuli, tibi placeret: ἐνθάδε τάφος ἄλος παμμεδέοντος ἐρυθρου. Celebratur, & apud barbaros Nini Regis sepulchrum. Nam, vt scribit Diodorus, sepultus fuit Ninus in regia, molis ingentis condito à se monumento, nouem stadiorum altitudine. Ctesias Gnidius non nouem, sed decem prodidit: ex quo loco facile vrbs tota spectari poterat. Vnde poeta Ouid. de Pyramo & Thysbe, qui mutuo amore concordes Babylone fugiebant, ita cecinit: Conueniunt ad busta Nini, quem locum admodum ieiunè exposuisse videntur interpretes. Laudatur item Zarinæ sepulchrum, quæ Sacarum Regina fuit. Erat vero pyramis trilatera, quæ in summitate, & altiore fastigio colossum aureum habuisse fertur. Helenes Iudææ memorabile monumentum fuisse cum Iosephus, & Egesippus indigenæ, tum Græcus Pausanias prodiderunt. Nitocris etiam Assyriorum Reginæ sepulchrum ea ratione celebratur, quod posteros elusit, thesauros sub eo mentita, quo multo post Darius est deceptus: in eo enim multo labore effosso, has litteras inscriptas reperit: Nisi pecunia esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, non defunctorum vrnas aperuisses. Sed pluribus hoc Herodotus. Artachæi Xerxis præfecti memorabile quoq; fuit monumentum, quod ab vniuerso illo Xerxis exercitu tellure congesta constructius fuit. Sed & Sardanapali sepulchrum epitaphiumq; celebratum est. Nec minus & Cyri Regis, quod non ad Aegyptiorum regum luxum, Rex potentissimus sibi parauit, sed ad plebeiam fere mediocritatem: quod cum Alexander recludi mandasset, nihil in eo, præter clypeum putrem, & arcus

duos Scythicos & acinacem reperit. Q. Curtius regem miratum ait. Verius tamen ab Arriano laudatur, eiusq; Cyri epitaphium. Commendatum quoq; Augusti Cæsaris monumentum, quod Romæ lapide quadrato constructum legimus, & arbore opertum perpetuo virenti, in cuius monumenti summitate Augusti ipsius statua erat posita, cuius reliquiæ molis non procul à Tybri extabant superioribus annis: hodie qui marmora effodiunt, funditus pene diruere. Manet adhuc Adriani moles, quam bellis Gothorum penè disiectam, statuisq; ac signis nudatam scribit Procopius, demum à Romanis Pontificibus, postquam vrbem Romam adepti sunt, instauratam, muris propugnaculisq; & fossis munitam quà non Tybri alluitur, in arcis munitissimæ formam redactam nunc conspicimus. Nunc tibi mitto Iouis sepulchrum, quod fabulosum multis est carminibus decantatum, vt cum alij tum Picus Mirandulanus in suis commentarijs luculenter ostendit. Mitto, & Taphosirin vrbē in Aegypto, in qua sepultū Osirin nomen indicat. Mitto & Serapidis sepulchrū quod Ruffinus, Alexandrinæ quod Plutarchus, Isidis quod Diodorus, cōmemorant. Mitto & Mahometis, vel vt rectius vocatur Magmedis, Turcarū prophetæ, quod ex Magnetis fornice, & chalybe aere suspenso vulgus fabulatur. Mitto & alia pene innumerabilia, diuorum, Pontificum, Cæsarum, Regum. Sed non sine piaculo illud prætermiserim, quod omnes summo cultu summaq; reuerentia, si minus corpore, animis saltem purgatis adire debemus, quod est in Iudææ vrbe Hierosolyma, CHRISTI Dei & Seruatoris nostri, cuius ò posseſſores essemus, qui eius nomine, vtinam non immeritò, Christiani nuncupamur.

Hactenus tibi de sepulturis, & vario sepeliendi ritu CAROLE differui: scio plurima me fugisse, multa tamen de industria prætermisi; quæ tamen non adscripsisse, minoris sint momenti. Quod si studium hoc nostrum aliqua

ex

ex parte tibi non aspernabile visum fuerit, multum mihi collatum arbitrabor, præcipue cum te tuapte natura, & instituto ad bonas artes semper propensioris animi fuisse intelligam, teque ab auunculo tuo viro integerrimo ac probatissimo, non declinare conspiciam. Supereſt verò mi Carole, vt quoniam mortale nobis contigit corpus, animus vero immortalis, enitamur, vt animi memoriam post mortem relinquamus immortalem, dumq; sepulturas hasce legimus, earum iacturam facilem esse putemus: quin illud potius agamus quod Pericles ait, vt exuti mortalitate sine sepulchro, sine etiam titulo, si ità contingat, nostri memoriam magis apud Deum immortalem in cœlo, bonorum omnium operum remuneratorem, quam in sepulchris, & marmoratis eorum inscriptionibus conseruari putemus, mortisq; ipsius memores semper dum viuimus simus Nam nec aliâ ob causam, vt à principio diximus summũ in philosophia finem Platonem in assidua mortis cogitatione posuisse videmus, nisi quod per eam, & vitia fugimus, & ad virtutes accendimur, quibus rebus in supremi, & tremendi tempore iudicij, vnà cum corporibus non iam mortalib. surrecturi, donati illustri sempiternoq; domicilio, cum Deo glorioſissimo optimoque æternùm beato æuo perfruemur.

DE SEPVLCHRIS ET VARIO sepeliendi ritu finis.

DE
LAVDIBVS
VITAE RVSTICAE
ODE
HORATII
EPODON. SECVNDA
AB. ALDO. MANVCCIO
EXPLICATA.

Digitized by Google

DE
LAVDIBVS
VITAE RVSTICAE
ODE
HORATII
EPODON SECVNDA
ARALDO MANTOCIO
EXPLICATA.

Digitized by Google

PERILVSTRI IVLIO CONTARENO GEORGII FILIO

ALDVS MANVCCIVS S. P. D.

VALEANT Principes, & si qui Principum nomine gaudent, quandoquidem, quæ prima nobis esse debent, otium, & quies, atque animi tranquillitas, procul ijs absunt, certe, si per eos hoc dicere mihi liceat, quod licere volo, nulla me vitæ meæ satias ita tenet, vt meam cum illorum vita permutare cupiam, animus Princeps est, isq; dum regit, Rex est, qui ab eo regitur. Rectèq; admodum à Platone scriptum est, priuatos ingenium Principis sequi. Regibus igitur relictis, ad eos, qui in priuata vita Reges sunt, meus se deinceps conuertat animus, ad Teq. præcipue, IVLI CONTARENE, in quo nihil Regium desideratur. Hoc vt mihi magis ex animo contingere possit, Horatium adiui, eius vitæ laudes decantantem, quæ à curis seiuncta sit. Feciq; libenter, vt quæ ipse elegantissime scripsit, quæ à me hisce diebus sunt publice interpretata in Academia Bononiensi, in qua biennium iam eloquentiam profiteor, in Tuo no-

mine appareant, & Reges ipsos pudeat, Reges esse, cum Tu mihi Rex sis, eumq; Te esse ostendas, qui Regum gloriam obscures. Totus es in litteris, in quibus quantum proficias, mirum dictu est, ijs enim rebus abundas, quæ ad hoc maxime facere videntur. Huiusce Ciuitatis vel muta facies Te inuitat, Tua ad probitatem directa natura Te allicit, Doctorum virorum consuetudo, quibus cum familiarissime es, Ascanij Persij, Camilli Camilij, & Darij Socini, multum cum ad hoc addat, minimum tamen addit. Spatium enim non relinquis, in quo excurrere, & se exercere possit eorum industria, ità assidue versaris cum libris, domesticis tuis, qui vere Tui familiares sunt. Sed hæc maxima, sunt in Te minima, eo enim vitæ genere vteris, quod ad probitatem attinet, vt annos prudentia vincas. Videre mihi videor non pictam, non adumbratam, sed vere veram, Clarissimi Patris Tui Georgij imaginem. Facileq; licet augurari, cum Eum Tu ætate æquabis, ijs rebus omnibus, quæ Eum in Illustrissima, & Augustissima Vrbium Regina, inter Illustres, Regiosq; Proceres illustriorem reddunt, longe a Te superatum iri. Præcipiat animo gaudium Pater Tuus, absentisq; desiderium æquo animo ferat, qui aliquando in Patriam, gloria onustus, amicis carus, Familiæ iucundus, Patriæ ipsi vtilis, reuertaris. Firma ego spe nitor, eum Te fore, qui splendori splendorem adiungas. Meam interim obseruantiam Tibi non ingratam esse, vt mea causa plurimum lætor, sic eadem causa notam omnibus esse volui.

Bononiæ. IV. Id. Mai. CIↃ IↃXXCVI.

HORA-

HORATII

ODE

II. EPODON

BEATVS ille, qui procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fenore; (ci;
Neque excitatur classico vt miles tru-
Neque horret iratum mare;
Forumq; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos;
Aut in reducta valle mugentium
Prospectat errantes greges;
Inutilesq; falce ramos amputans,
Feliciores inserit;

Aut preſſa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oues;
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus auris extulit;
Vt gaudet inſitiua decerpens pyra,
Certantem & vuam purpuræ,
Qua muneretur te, Priape, & te pater
Siluane tutor finium.
Libet iacere modo ſub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in ſiluis aues:
Fonteſq; lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leues.
At, cum tonantis annus hibernus Ioui
Imbres, niueſq; comparat;
Aut trudit acres hinc, & hinc multa cane
Apros in obſtantes plagas,
Aut amite læui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pauidumq; leporem, & aduenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiſcitur?
Quod ſi pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulces liberos,

Sabina

Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli,
Sacrum vetustis extruat lignis focum
Lassi sub aduentum viri;
Claudensq; textis cratibus laetum pecus,
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes ineptas apparet;
Non me Lucrina iuuerint conchylia,
Magis ve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare.
Non Afra auis descendat in ventrem meum,
Non Attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum:
Aut herba lapathi prata amantis, & graui
Maluae salubres corpori,
Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hædus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut iuuat pastas oues
Videre properantes domum;
Videre fessos vomerem inuersum boues
Collo trahentes languido:
Positosq; vernas, ditis examen domus
Circum renidentes lares.

Hæc

Hæc vbi locutus fenerator Alfius,
Iam iam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

RA-

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

FINGIT Alfium quendam feneratorem, quasi mutato consilio, ad vitam rusticam animum adijcientem, captum eius vitæ commodis, ipsius secum laudes recensere. Sed eundem, cum omnem suam occupatam hic, atque illic, pecuniam exegisset, vt eam in aliquod rusticum prædium impenderet, mox ad ingenium redeuntem, eam denuo proximis Kal. fenori dedisse.

Duo hinc habemus obseruatu digna;

alterum, neminem sua sorte contentum viuere; quam thesin fuse persecutus est, Satyra prima primi libri Satyrarum;

alterum, esse perdifficile, ac fere τῶν ἀδυνάτων, hominem ingenium mutare, eum maxime, qui diu aut virtuti, aut vitio, fuerit assuetus.

Fructus autem, ex, hoc, is elicitur.

Videmur enim à Poeta, persona Alfij notante, tacite admoneri, ne diu nimis indulgeamus naturæ nostræ, ad vitium aliquod propense; ne postea, cum velimus habitum virtutis, cum vitio illo pugnantem, nobis adscisce re, id facere in nobis non sit amplius situm, vel certe difficillimum eueniat, vt euenit Alfio.

Hæc est, vt sic dixerim, Odes huius medulla, cuius si quis solum corticem inspiciat, longe alium ex ea sensum eliciet.

Quod attinet ad methodum, qua vtitur in hac Ode Horatius; dico, totam hanc Odem esse vnicam ratiocinationem: quam hoc modo nectere possumus.

Illud nos beatos efficit, in quo maxima est voluptas, cum minimis coniuncta molestijs.

At

At huiusmodi est rustica vita.

Ea igitur nos beatos efficit.

Subiicet Horatius huius ratiocinij primam propositionem, & in solo eius assumpto probando, ac declarando, commoratur.

Propositio enim prima, vt notissima, fuit iure silentio prætereunda, quare ratio est enthymematica.

Assumptum vero erat, Vitam rusticam nos efficere beatos. Hanc propositionem probat, non alio argumento, nisi eius vitæ commodis sigillatim enumerandis.

Et, quoniam, vt vulgo dicunt, contraria iuxta se posita magis eluceſcunt; vt illustriora nobis essent vitæ rusticæ commoda, statim Horatius ponit nobis ante oculos incommoda vitæ vrbanæ; & aliorum; inquiens,

Procul negotijs,
Solutus omni fenore,
Nec excitatur classico,
Nec horet iratum mare,
Forumq. vitat, &
Superba ciuium Potentiorum limina. &c.

Nunc ad explanationem verborum accedamus.

BEATVS *ille, qui, procul negotijs,*
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fenore;]

Sententia periodi huius clara est: Beatum inquit esse illum, qui longè à negotijs, & molestijs vrbanæ vitæ, rure degens, terram colit, quæ fuit priscorum vita mortalium; si tamen is ita se exerceat, vt propria, non aliena, rura, proprijs, non alienis, aliunde vè locatis, aut conductis, bobus aret, qui enim in alieno loco, atque alienis iumentis, opus facit, is pauper, ac non satis commode degens, existimandus est.

Felices igitur prorsus iudicat eos, qui, relictis ciuilibus negotijs, agri colendi studio se oblectant. nam *omnium rerum* (vt grauissimè inquit Cic. in Officijs) *in quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Et in Catone Maiore dicit: *Mea quidem sententia, haud scio, an vlla beatior esse possit vita.* (de rustica loquitur) *neque enim solum officio delector, quod hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris, sed & delectatione, & saturitate, copiaque, rerum omnium, quæ ad victum humanum, cultumq; etiam Deorum, pertinent.* Ibidemq; plura de Agriculturæ laudibus. Simili modo Virg. lib. II. Georg. describpturus laudes vitæ rusticæ, orditur:

O fortunatos nimirum, sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus: & quæ sequuntur.

Quem locum egregiè videtur esse imitatus Horatius, vt eruditi annotarunt: si modo, antequam hæc pangeret Horatius, illum Virgilij locum legit.

Procul negotijs,) Non satis est, dicere vult Horatius, esse sine negotijs, siue semotum, & separatum, à molestijs vrbanæ vitæ, & negotiorum, vt beatus homo sit; sed oportet, vt homo sit procul, hoc est, longè absit, à negotijs, multi enim possunt esse sine negotijs, qui tamen otiosi proprie dici non merentur. Contingit enim aliquando, eum, qui in vrbe viuit, exsolutum esse omnibus negotijs per aliquod breue tempus: is tamen otiosus non est; cum paulò post, temporis ad respirandum vix satis nacto, noua negotia ipsi offerat, atque imponat, occasio, is certè otiosus dici non meretur, illud enim tempus, quo vacauit à negotijs, ei datum videtur potius ad se recipiendum, & ad vires reficiendas ob sustinenda noua negotia, propterea, qui vult frui otio, & dici verè beatus, oportet vt procul degat à negotijs, hoc est, vt non solum sit sine negotijs, verum etiam sine occasionibus negotiorum. Atque hoc est, *Esse procul negotijs*, occasiones inquam negotiorum non habere præsentes.

Procul negotijs,) Hæc particula orationis, vbi sine præpositione vsurpatur, ipsamet est præpositio, vt hic; vbi vero cum præpositione, tum est aduerbium.

Vt prisca gens mortalium,) Aurea fæcula designat, quibus maiores in agris viuebant, eosq; sine metu liberè colebant. Priscis enim (nomine autem Priscorum non solum primos homines, sed etiam qui postea fuerunt, modo ab ætate nostra valde remotos, appellamus) Priscis, inquam, maximum studium agriculturæ fuit, & solus ex rure victus, ac quæstus. Nam ipsorum tunc manibus colebantur agri, vt fas est credere, ait Plinius: *gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore*, illi eadem cura semina tractabant, qua bella; eademq; diligentia arua disponebant, qua castra. Est porro agriculturæ initium antiquissimum, vt potè quam primi omnium

nium Adami protoplaſti Cainus, & Abelus filij coluerunt, vt tradit Ioſephus lib. 1. Antiquitatum, quorum alter quidem, paſtione; alter vero, aratione, vitam ſuam extraxerat. Et vtriuſque Noeus, poſt Cataclyſmum, ſucceſſit, atque per manus artem acceptam alijs tradidit, ſed, hic adhuc rudi non contentus, primus quoque vineam colere inſtituit: quam eius progenies, cum alijs partibus agricolationis, in vniuerſum Terrarum orbem propagauit, ſicut,

I Aſſur, apud Aſsyrios;
II Gomes, apud Cimbros;
III Aram, apud Syros;
IV Chus, apud Aethiopas;
V Aſcanes, apud Theutonos:
VI Euryla, apud Libycos;
VII Nam, & Saba, apud Arabas;
IIX Canaam, apud Cananæos;
IX Iapetus, apud Ionas;
X Cethim, apud Macedones;
XI Tharſis, apud Cilicas;
XII Iauan, ſeu Ianus, apud Græcos, & Latinos, & alij denique, apud alios,

Hanc primum inuentam ab Oſiri, qui idem eſt cum Dioniſio, in Aegypto, teſtatur Diodorus in 1; A Triptolemo, in Græcia ab Atticis, & Eleuſinijs populis, teſtis eſt Iuſtinus in 11. A Saturno in Latio, auctores ſunt Virg. Macr. Eutropius. Cererem, quam à gerendi frugibus Gererem appellatam, alicubi Cicero prodidit, in Sicilia agriculturam reperiſſe, ſunt qui ſcribant.

Nabidi ſuo Hiſpani, alij alijs Agriculturæ inuentum acceptum referunt.

Quid? Non ne Vlyſſes, Ithacenſium Rex, armenta venundabat? Vt iure nihil tam regale videri dixerit Cicero, quam ſtudium agri colendi. Alcinoi, Phæacum

Regis, horti celebratissimi sunt. Laertesq; in agris delituit, ijsdemq; se oblectauit, quò desiderium filij sui exsulis leniret. Cato inquit, *Agricolationis opus, proximum, ac quasi consanguineum, sapientiæ.* Et Varro ait, *Colonorum quæstum maxime pium, stabilissimum, & minime inuidiosum*, Recteq. dictum à Columella, *sine ludicris artibus, atque sine cauſidicis, olim satis felices fuisse, atque futuras esse, vrbes: at sine agricultoribus, nec consistere mortales, nec ali posse, manifestum esse.*

Gens mortalium,) Gens, aliquando latissime patet, & significat genus humanum, vt hic, aliquando minus late, & significat nationem aliquam, vt Phrygum, Persarum, Romanorum: & hinc dicimus, Ius gentium, quò gentes, hoc est nationes omnes vtuntur, aliquando capitur pro ijs, qui eodem nomine sunt, & Gentiles vocantur. Sic Romani vocant gentes, Iuliam, Porciam, Corneliam, &c.

Paterna rura bobus exercet suis,) Quare paterna? quia iucundiora sunt nobis auita bona, & maxime res fundi, in quibus nati sumus, & educati, vt videantur nobis loco mutorum parentum. Iam, si dulcis amor patriæ, quantò dulcior erit propriæ domus, in qua primum de cælo spiritum duxeris, & lumen videris? Vlysses amore patriæ miro tenebatur, etsi magnam orbis partem peragrasset, & loca amœniora multò, & etiam salubriora, esset emetitus. Quanta sit Patrij soli caritas, quæ vis, ignorat nemo. Et, si cui libuerit hæc melius cognoscere, legat Patriæ encomium apud Lucianum.

Beatus igitur ille, qui ex agro à parentibus relicto victum quærit, eoq; licet modico contentus est.

Sic legimus, Aeliorum, & Tuberonum, familiam, cum decem & septem eiusdem cognominis essent, cum vxoribus, & liberis, eandem domum exiguam incoluisse,

luiſſe, eundemq. agrum Veientanum araſſe, & ex fructibus illius vixiſſe.

Bobus exerceat ſuis,) Ne quis putet, Horatium velle, eum ſolum eſſe beatum, qui proprijs manibus aret, eo quod dicat, *Bobus exerceat ſuis, & Exercendi,* verbum adiungat ei, quem Beatum vocat poteſt enim & *Exercet*, acipi etiam, pro exercenda curat, & aſſidue colit, proſcindit. Poſſunt autem multa verba hoc modo vſurpari. Sic apud Virg. *Tondere* dicitur ille, qui ſe tondendum alij tradit, in I. Ecloga, vbi Tityrus inquit Meliboeo:

Libertas, quæ ſera tamen reſpexit inertem.
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat.

Et *Exercet*, hic, idem eſt ac colit. Eodem ſenſu hoc verbo vtitur Virg. Georg. I. *Exercetq. frequens tellurem, atque imperat arvis.* Et Georg. I I. ſed paullo contractius, cum ſolam arationem deſignet, inquiens:

Aut preſſo exercere ſolum ſub vomere. Hic autem quemuis agri cultum, adhibitis tamen bobus, intelligit.

Et, quoniam adhuc improbari hoc vitæ genus poterat ab aliquo, dicente, id eſſe indignum homine, ob id, velut tacitæ occurrens obiectioni, Horatius, inquit, vitam ruſticam eſſe omnium antiquiſſimam, & priſcis hominibus aureo illo ſæculo conſuetam; proinde non eſſe ſpernendam; immo vero ceteris præferendam; ſi quidem, vt ea negotijs vrbanis procul ſit, non tamen eſt prorſus otioſa, atque iners, ſed actuoſa, quemadmodum de inceps oſtendetur, & in ijs operibus occupatur, quæ ad beatitudinem, breuiori quodam, & tutiori, tramite, nos perducunt, quam vrbana negotia, cum a ruſtica vita procul ab ſint verſutiæ, doli, fraudes, impoſturæ, adulationes, ambitio, & dominandi cupido, mater omnium vitiorum. Quod igitur ad vitæ integritatem,

&

& prohibitatem, attinet, nemo adhuc dubitarit, rusticam vitam vrbanæ vitæ esse præferendam. quod ad nobilitatem, ea primum antiquissima est omnium, ideoq; nobilissima. Vrbana quidem vita politior est, quam rustica, comptior, adde etiam commodior. Sed, nobiliorem non esse, ex eo patet, quod hodie, in nonnullis Europæ partibus, nobilissimus quisque rure degit, in vrbe sunt opifices, mercatores, & cetera plebs. Quid dicam de veteribus Romanis? nonne ab aratro addictaturam vocabantur? Apud Aristophanem vero, in Pluto, cum Chremilus, vir iustus, sed pauper tamen, Carionem seruum mittit vocatum homines vitæ probitate sibi similes, non ne rus eum legat, ad rusticos homines conuocandos, vt in domum suam conuenirent, ad visendum Plutum, qui optimis quibusque ingentes erat pollicitus diuitias? quid enim, quæso, aliud, eo nos exemplo docere vult Aristophanes, nisi, proborum hominum rus esse domicilium, in vrbe esse oratores, sophistas, parasitos, & id genus hominum, qui omnia suo metiuntur commodo. Postquamq; vrbes condi cœpere, sæcula, ex aureis, non solum argentea, & ænea, sed ferrea, euasere.

Bobus] Bubus, legendum ex Prisciano lib. VII. quo modo est in antiquo meo libro.

Solutus omni fenore;) Non alieno aere obstrictus. De duplici fenore intelligitur, & de eo, qui fenori dat, siue feneratur, & de eo, qui fenori accipit; ideoq; dicit, *Omni fenore*. Liber itaque ab omni debito, & lucro. Non igitur fenori obstrictus, neque faciens lucrum iniquum ex pecunia fenori data, sed è terra vsuram capiens, quæ est longe vberrima, & iustissima, vt pote ex manu Dei profecta.

Porro Aristoteles primo Politicorum capite 7. lucrum ex fenore maxime damnat. Inquit enim, fenus iu-

re

re meritò vituperari, atque odio haberi: eo quoniam fenerator nummum ex nummo generat, quaſi nummus vim habeat generandi, cum nullam habeat, ideoq; lucrum hoc τόκος, inquit, appellatur, quaſi nummus nummum pariat, hoc autem contra naturam eſt, natura enim nummus ex rebus naturalibus aut ingenio, aut artificio, aut labore comparatur, non ex nummo alio, nummus enim ſuæ natura ſterilis eſt, quemadmodum ergo monſtri ſimile eſt ſterilem parere, ſic eſt contra naturam nummum nummum parere, meritò igitur feneratio exoſa eſt.

Fenore;) Fenere, vetus meus liber, antique, non prorſus contemnenda lectio.

Neque excitatur claſſico miles truci;)

Diximus, ab Horatio præferri vitam ruſticam vrbanæ, non quod ſola vrbana differat à ruſtica, hoc eſt, ea, quæ intra muros degitur vrbium, ſed vrbanæ vitæ nomine ceteras omnes viuendi rationes, præter ruſticam, comprehendi voluimus: quoniam & miles, & nauta, & ſi qui alij ſunt, qui in vrbe non verſantur, etſi in vna vrbe non ſemper manent, in vrbe tamen, modo hac, modo illa, degunt, & negotiantur: & hoc modo Vrbani vocari poſſunt: præterea, moribus ſunt vrbanis, non ruſticis, maxime vero omnium nautæ, qui technas omnes norunt ac ſtruere ſolent vrbanas.

Neque excitatur &c.) Neque, inquit miles eſt, neque nauta, neque patronus, aut cliens, neque aulicus. Omnia hæc periphraſi explicat, quæ poetarum fere eſt propria, & non ſolum eſt auditu iucundior, ſed rem ob oculos ponit. Si enim dicam, Miles, iam confuſe, quid ego velim dicere, intelligis; ſi dicam eum arma tractare, & claſſica voce excitari, iam intelligis, à me & militem ſignificari, & militis opus, atque officium, agnoſcis, ac præterea meum cognoſcis de militie, & de militia, iudicium, nempe, à me exiſtimari

mari & duram, & trucem. Notandum tamen, aliquando licere vti promiscue, vel sola voce, vel vocis periphrasi: aliquando non licere vti sola voce, sed necesse esse vti periphrasi, vt hic, nam, si dixisset Horatius, Beatum esse eum, qui rure degat, & nec militiæ, nec rei nauticæ, nec foro, nec aulæ, vacet; neque periphrasi explicasset militiæ, nauticæ, & aulæ, incommoda, in eius oratione multo minus esset energiæ; neque constaret nobis, qua de causa ceteræ viuendi rationes cum rustica vita, quo ad beatitudinem, non sint conferendæ. Virg. *Ruuntq; in ferrum*.

Neque excitatur classico &c.) i. non sectatur horrenda, & periculosa bella, spe lucri, aut honorum; sed agrum suum colit.

Hinc anni labor; hinc patriam, paruosq; nepotes
Sustinet: hinc armenta boum, meritosq; iuuencos,

vt canit Maro.

Excitatus, in duobus scriptis meis.

Classico trucí;) h.e. horribili tubæ sonitu, nam *Classicum* dicimus (ait Seruius) *& tubam ipsam, & sonum*. Solebant autem veteres, cum educere legiones in honestes vellent, aut à prœlio reuocare, concentu tubarum, & cornuum, signum dare, Et illud, Classicum; hoc verò Receptui canere, dicebant.

Neque horret iratum mare;) Mare iratum, h.e. agitatum ventis, tum enim, cum aduersi perflant venti, ac vehementes admodum, maximi excrescunt in mari fluctus, quibus turget mare, vt & irati homines *Turgere* dicuntur, cum sunt irati, vt est apud Plautum.

Mare autem non propriè dicitur iratum, cum ira, vndeiratus quis dicitur, non possit esse affectio rerum anima carentium, quæ enim anima carent, animæ quoque viribus, & operationibus, carent.

Relin-

Relinquitur ergo, vt Mare dicatur iratum metaphorice. Et, quia non vtimur translatis nominibus, nisi in ijs rebus, quæ nonnihil habent similitudinis cum ijs, quibus significandis translata illa nomina prius sunt imposita, ideo, vt iratum dicatur mare, facit similitudo quædam fluctuantis maris cum homine irato. Sicuti enim is, qui est ira percitus, fremit, & verba profert quodam cum strepitu, atque insuaui sonitu, ac potius murmure; sic quoque mare ipsum ventis concitatum fremit: vnde *Fretum* dicitur angustum mare, in quo est assiduus ille, ac vehemens, fluctuum fragor, ac strepitus. Præterea, sicuti iratus homo comminatur alteri malum, (ira enim, ex Aristotele, est cupiditas vlciscendi illatam iniuriam, quæ non solet aboleri, ni malo aliquo auctorem iniuriæ multemus) sic quoque mare ipsum ventis percitum comminatur, & nauibus, & rebus quibuscumque, ipsis etiam piscibus, exitium. Hæc igitur similitudo Maris cum homine irato dedit occasionem potissimum, vt satis eleganter, atque appositè, ipsum Mare iratum dicerent.

Neque horret iratum mare;) non committit se tempestuoso, & periculis pleno, mari, causa quæstus, vt faciunt mercatores.

Forumq. vitat,] Vrbanæ vitæ descriptio, ex ædificijs, & vrbanis prædijs.

Duo autem in vrbe sunt ædificiorum genera; Publica, & priuata.

Publica, sunt, quæ sunt vniuersitatis,

Priuata, quæ priuatorum sunt ciuium, vt testatur Iustinianus in titulo secundi Instit. primo, qui est de rerum diuisione. Suntq; publica ædificia, vt theatra, stadia, basilicæ, templa, & cetera huiusmodi, in quibus forum connumeratur. Est autem Forum, locus, in quo iudicia exercentur est: quoque, in quo res prostant ve-

nales: & ob id opida multa vocata sunt hoc nomine, vt, Forum Iulij, Forum Sempronij, Forum Cornelij, &c. à nundinis, in his locis institutis: cum in hæc loca mercatores vndique confluerent, merces suas comportantes, venum eas dandi gratia. Græci hæc Εμπόρια dicunt.

Hoc loco per Forum intelligit Horatius, forum tum iudiciale, tum etiam id, in quo res vendebantur. Is enim, qui in vrbe negotiatur, aut in foro rerum venalium versatur, aut in eo, in quo iudicia exercentur: in illo quidem, si sit mercator; in hoc, si publicum aliquod onus sustineat, vel si sit aduocatus, iurisconsultus, patronus, cliens.

Sunt verò, qui in foro nihil habent negotij, atque in eo frequentes non videntur. Hi plerique, nisi in vrbe sint prorsus otiosi, (opifices excipio) frequentant tamen potentiorum limina, & in aulis sunt, plerumque obseruantes primarios homines, eosq; assectantes.

Belle igitur Horatius tetigit duobus verbis loca omnia vrbis, in quibus homines aliquid habent negotij.

Superba inquit *limina*, vel quia superborum hominum domicilia, quales sunt plerumque, & diuitijs, & nobilitate, insignes, vt Aristoteles quoque testatur in libris de Rhetorica. Vel *Superba*, μεταφορικῶς, quoniam potentiorum ædes sunt ceteris excelsiores, & magnifice extructæ, prospectibus exornatæ mirificis, & opere, & operis materia, longe post se ædificia tenuiorum hominum relinquentes, vt mos est superborum, qui primas semper sibi vindicant. Virg. Aen. 11.

Barbarico postes auro, spolijsq; superbi.

Limina autem, inquit, non ædes, partem capiens pro toto.

Sed, quid, si dicamus, emphasin in hac voce quandam esse? Non inquit, Aedes, sed, *Limina*. Forte, quoniam mos est in primis, atque exterioribus, fere

ædium

ædium partibus commorari eos, qui potentes obseruare solent: cum potentiores soleant in penitioribus ædium locis degere; non facile intus admittentes eos, qui ipsos appellatum, atque inuisum, quotidie ventitant, sinunt eos in vestibulo commorari, multo ante, quam sui copiam faciant, & alios intus admittant. Ob id forte inquit, *Superba limina.*

Alibi Horatius, nempe ode 14. lib. 11. vocat *Pauimentum superbum*, eodem loquendi schemate, Virg.

Penetrant aulas, & limina regum.

Et:

Si non ingentem foribus domus alta superbis,
Mane salutantum totis vomit adibus vndam.

Magna quippe laus nobilibus erat, quamplurimos clientes, & pauperes, amicos habere, à quibus mane salutarentur, ad forum, curiamque, frequenti comitatu, deducerentur, atque reducerentur.

Altas maritat populos:)

Adultos iam surculos adiungit arboribus, nobilia enim vina nonnisi in arbustis gigni, longo æuo iudicatum est, teste Plinio.

Propago, est vitis vetula, defossa in terram, vt plures ex ea propagentur. *Adulta* autem, inquit, nisi enim propago adoleuerit, iam maritari arbori non potest. Vulgo adhuc *Propagine* vocatur in nonnullis Italiæ locis; etsi alibi potius vocetur *Prouane*.

Maritare populus vitibus, est, eas coniugere ipsis, vt coniungitur vir vxori.

Maritantur autem vites arboribus, non tam vt fructus edant, sed vt eos edant meliores, nisi enim coniugantur, vt admoueantur arboribus, humi iacentes, reddunt quidem vuas, sed longe deteriores, cum non perflentur ab aere, neque à Sole, quod magni interest, foueantur

tur; ex quo fatuæ sunt, nullum referentes saporem, & sero ad maturitatem perueniunt.

Sunt quidem arbores quædam, hoc ingenio, & natura, vt steriles sint, nisi propè habeant alias quasdam, quarum propinquitate, occulta quadam naturæ vi, fructum ferunt. Quod attinet ad vites, ita coniunguntur arboribus, vt videantur ijs indigere ad fructus edendos; & ipsæ, vt feminæ esse; arbores autem, vt mares, attamen, & vites dicimus maritari arboribus, & arbores vitibus. Et arbores vitibus carentes vocamus Viduas, & Viduas, vites arborum adminiculo orbatas. Sic Catullus dixit, *Vitem vlmo coniunctam marito*, in Carmine nuptiali, & vitem eo carentem appellauit *Viduam*.

Horatius vero, contra, Ode 5. lib. IV. Vlmum, populumque, viduas, appellat, quæ vitibus non sunt coniunctæ, inquiens,

Et vitem viduas ducit ad arbores.

Populos:) Arbores hæ sunt albæ: ob id à Græcis dictæ λεύκαι: quo quidem eas nomine hodieq; vocant, lingua vernacula, Calabri, illam incolentes Italiæ oram, quæ Magna Græcia dicebatur. Inde *Candidam populum* dixit Virg. in Moeride Vitem magis populus alit, testante Columella. *Species* (inquit vetus interpres) *est hic posita pro specie, arbor pro arbore, populus pro vlmo: non enim populus, sed vlmos vitibus maritare, rustici consueuere.*

Altas] alij legunt, *Albas*. ego nihil muto: cum mutationis causam nullam videam, vel fere nullius momenti. Commodus certe sensus elicitur. Sic quoque, cur *Populos* mutemus in *Opulos*, quod his mire gaudeant vites, non video, cum enim lectio ferri potest, mutanda non est.

Aut in reducta valle mugentium.

Prospectat errantes greges:] Sensus: Videt armenta boum, in vallibus pascentium. Sic Virg.

Magi-

Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni
Non obstant.

Reducta autem, h.e. secreta, reparata, & etiam sinuosa, ex vetere interprete. Vt illud, *Reducta*, sit, quasi seducta, hoc est seorsim ab alijs nimium expositis æri locis à natura ipsa ducta.

Est autem *Vallis Reducta*, quæ à montibus hinc inde concluditur.

Vel, *Reducta*, h.e. recollecta, & replicata, quod est, in orbem ducta: vt sunt valles pleræque, montes, & colles, vndequaque ambientes.
Sic dixit Virg. Aen. I.

in sinus scindit sese vnda reductos.

Ideo placet etiam vltima interpretatio eiusdem interpretis, dicentis, *Reducta*, hoc est, sinuosa, quod idem est dictu, ac Orbiculari, cui mire quadrat Virgilij locus à me adductus. Sed idem interpretatur etiam *Reducta*, hoc est, depressa, quod non ita mihi probatur, quis enim ignorat, valles omnes esse depressas; cum sint in radicibus montium? Sic idem Horatius Ode 17. lib. I.

Hic in reducta valle caniculæ
Vitabis æstus. Qui locus confirmat expositionem mihi probatam: hoc est, recollecta, & montes vndequaque ambiente, in huiusmodi enim vallibus, & longe prospicere possumus, & canaliculæ æstum vitare, quin etiam hiberno tempore à ventis esse tutiores, si claudantur montibus.

Mugentium) Boum. Per eorum propriam vocem eos significat.

Prospectat) hoc est, longe, seu procul, spectat.

Errantes) hoc est, libere pascentes. Sic Virg. in Tityro:

Ille meas errare boues.

Errare autem, vt libere pascere significat in bobus, sic in alio pecore gregatim ingrediente, non id omnino significaret,

ficaret, neque de vniuerso grege proprie diceretur, sed de vno, aut altero, ex gregie illo. Ouis enim errare potius dicitur, cum amissa huc illuc vagatur.

Greges:] De Bubus *Greges* dixit, cum *Grex* plerumque de pecoribus minutis intelligatur, Armentum vero de maioribus. Cum appositio tamen etiam ad maiora transferri posse illud, monent Grammatici, tamquam generalius nomen. Ideoq; ad distinctionem adiecisse Horatium, *Mugientium*. *Greges* igitur, idest, armenta. Grex enim, vt dixi, minoris pecoris multitudo est; Armentum autem maioris, vt boum, equorum, &c.

Est profecto periucundum, in reducto, & sepositio, loco, atque opaco, quo nimirum solis radij non pertingant, vt sunt reductæ valles, longe animalia prospicere, pascentia, & herbam virentem, nam & animalium tardi gressus visum leniter mouent, & viridis herbæ color oculis tum iucundus, tum etiam saluber, est.

Rectæ autem dixit Horatius, *Prospicit*, hoc est procul adspicit, quarundam enim rerum facies non ita solet obtectare, & oculos tenere conspicientium, si proximæ sint, quis enim ignorat, collium, ac montium, & cuiuscumque tractus, ac regionis, longe esse iucundiorem, & gratiorem, prospectum, cum nimirum ea loca de longinquo conspicimus, quam cum ea videntes, pedibus terimus? hoc inde fit, quod longe positi plura videmus, quod oculos mire afficit, nempe rerum varietas; &, quæ videmus, longe videntur pulchriora, cum earum rerum vitia, propter longinquitatem non animaduertantur, sed summa rerum facies, plerumque iucundior, oculis legatur. Id euenire videmus etiam in picturis.

Inutilesq. falce ramos amputans,

Feliciores inserit.) Sensus: Aridos, & inutiles, arborum ramos falce putatoria amputat, siue circumcidit, nouosq; calamos inserit.

Hi

Hi duo versus prorsus consequi videntur superiores illos,

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Sequi enim videntur: magisq. conuenit his subdere:

Inutilesq. falce ramos amputans,
Feliciores inserit.

His postea annecti possunt hi:

Aut in reducta valle mugentium
Prospectat errantes greges.

Quos recte consequuntur hi:

Aut pressa puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas oues.

Licet in scriptis, quos viderim, omnibus ordo sit, qui est in vulgatis.

Inutiles] Steriles, infructuosos, inquit interpres. Præcipuus enim arborum vsus est fructus, quem nisi reddant, inutiles dici possunt.

Opponit autem Inutiles Felicioribus.

Amputans,) *Putare*, est, inquit Varro lib. v. de ling. Lat. *purum facere*. Igitur, *Amputare ramos* est, expurgare arbores, & hoc modo puros facere.

Feliciores) hoc est, fertiles, vt & in eo versu Virgilij,

Exijt ad cælum ramis felicibus arbos.

Felix autem dicitur arbor fertilis, vt diximus, eo quia fine suo, qui est ferre fructus, minime frustratur, quæ enim suum consequuntur finem, ea certe felicia sunt omnia.

Felici autem opponit Horatius Inutile.

Poterat etiam opponere Infelix, cum Infelix significet Sterilem.

Sic apud Liuium: *Arbori infelici reste suspendito*. Et apud Virg.

Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

Inserit

Inserit:] Insitionem casum docuisse, scribit Plinius, in hunc modum: *Agricola sedulus casam sapis munimento cingens, quo minus putrescerent sudes, limen subdidit ex edera, at illa, vinaci morsu apprehensa, suam ex alieno facere vitam, apparuitq. truncum esse pro terra.* Ibiq. plura de duplici ratione, & tempore insitionis.

Aut pressa puris mella condit amphoris;

Aut tondet infirmas oues:) Aut, inquit, mel condit, ex apiarijs collectum, aut tondet oues. Hucusque tria hæc habemus. nam aut is, qui rure degit, operam dat inserendis, & expurgandis, arboribus, aut maritandis vitibus, quod est iucundum, ob spem futuræ vindemiæ, & vtilitatem respicit, sed futuram. Aut mel colligit, & præsentem, vtilitatem spectat. Aut occulos oblectat, quod est meræ voluptatis. Laudat igitur à iucundo, & ab vtili.

Sunt autem tria bonorum genera (ex Aristotele in Rhetoricis)

Iucundum,
Vtile.
Honestum.

Pressa mella) Pressa, hoc est, expressa: nam pressis fauis mella defluunt. Premuntur enim faui, exprimuntur verò mella. De natura, generibus, probatione, mellis, & mellationis temporibus, multa eleganter scribit Plinius lib. xi.

Puris] defæcatis, & mundis.

Condit] reponit. Hinc omnia, quæ in amphoris reponuntur, *Condita* etiam vulgo vocantur. Hæc mellis collectio à vetere interprete vocatur, vnico vocabulo, *Mellamessio*, quasi Mellis messio, idem, quod Mellatio. Græce Μελίτοσις, sed apud neminem alium legitur. Est profecto ex ijs vocabulis, quæ vulgo tum temporis vsurpabantur. Nonnulla quoque, & Græci ve-

tres

res interpretes in suis Commentarijs vocabula afferunt, quæ apud veteres Græcos scriptores non reperias, non enim omnibus, quæ in loquendo vsurpamus, vocabulis in scribendo vtimur. Sic etiam idem interpres, explanans sequentem versum, *Aut tondet infirmas oues*, annotat, illud opus, *Lanitondium*, dici.

Amphoris) Vasis. Græcorum est vocabulum, Latinis etiam vsitatum. Græce, Αμφορευς, ab αμφι, & φερέω, quod circumferri possit huc, illucque.

Aut tondet infirmas oues:) Oues tondendas circa IIX. Kal. Iul. cum longissimus dies, & nox breuissima, solstitium conficiunt, tradit Plinius.

Infirmas, autem fortasse, quoniam sui curam gerere nesciunt, neque saluti suæ prouidere, præcipuè cum onustæ sunt velleribus suis, & grauatæ. Nisi maluerimus (inquit interpres) dicere eas naturaliter infirmas, ideſt parum firmas, hoc est, delicatas. cum huiusmodi pecus naturaliter infirmum sit, & nobis obnoxium.

Vel, cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit,
Vt gaudet insitiua decerpens pyra, &c.

Vel, inquit, Autumnali tempore, quam gaudet, quanta perfunditur lætitia, pyra decerpens, vuasque, & ceteros fructus, laborum mercedem suorum? *Aruis*, legitur in septem meis. *Agris*, in quinque.

Decorum caput,) hoc est, decoratum, & exornatum pomis. Autumno enim poma colliguntur, quæ Græcis eodem, quo Autumnus, nomine dicuntur, nempe ὀπωρα. Ideo depingitur Autumnus capite pomis, atque vuis, exornato.

Mitibus pomis) *Mitibus*, hoc est, maturis. Virg. Tityro:

Sunt nobis mitia poma.

Sic *Mites vuas* dixit Virg. Georg. 1.

Heu male tum mites defendet pampinus vuas.

Et idem, *Mitem vindemiam*, lib. III.

Mitis in apricis coquitur vindemia campis.

Hoc epitheton est translaticium, sumpta ab homine metaphora. Et non solum transfertur ad fructus, sed & ad res ceteras inanimes, vt ad terram. Vnde Horatius:

Mite solum Tiberis, dixit;

Item Virg. *Mitem Tibrin*.

Et hic noster verbum cognatæ significationis animatis rebus adiecit, lib. IV. ode 7. inquiens,

Frigora mitescunt Zephyris.

Dicitur autem, *Pomum mite*, cum est maturum, quod sit tractabile, & se vesci patiatur: vt *Mites homines*, qui tractabiles sunt, & facile omnes perferunt, ac patiuntur, vt Pamphilus Terentianus.

Contra, *Immitem vuam*, h. e. acerbam, hic noster vocat, Ode 5. lib. II.

Tolle cupidinem
Immitis vuæ.

Et Plinius, *Immitia poma*.

Poma, autem hic, non mala solum, sed & poma, & vuas, & cetera intellige, quæ tenera sunt cortice. Licet non desint, qui fructus duræ corticis etiam Poma vocent, vt nuces, castaneas, amygdalas, & cetera huiusmodi.

Describit hoc loco Horatius Autumnum, & per prosopopœiam illi personam attribuit. more poetarum.

Est autem sententia, vt dixi: Cum Autumnus vberes, & dulces, fructus produxit.

Vt gaudet) hoc est, quam lætus est, qua afficitur voluptate, pyra ex arboribus decerpens, suamet manu insitis, ac purpuream vuam?

Triplex ostenditur voluptas.

Primum, quia poma ex arboribus recentia colliguntur; Deinde, quia propria manu;

Po-

Postremo, quia ex ijs arboribus, quæ tu insueueris,
Pomum enim, recens, optimum;
Propria manu decerptum, iucundius, & nescio quo mō-
do videtur sapidius;
At, si ex arbore, quam tumet colueris, & in quo nonni-
hil laboraris, iucundissimum est.
Vt positum est, pro Quam.
Insitua) quæ insita sunt. Bene dicit *Insitiua*, (ait inter-
pres) quia ex semine nata degenerant, & fiunt agrestia.
Decerpens) propriè, summis captans digitis.
Certantem & quam purpuræ.)
Est Græcismus. Certo enim, Græce dandi casum ple-
rumque exigit. vt,
χαλεπώτερον ἢ δοῦναι μάχεσθαι, ἢ θυμῷ,
Sic apud Hom. Ιλ. α.
ἀνδράσιν μάχεσθαι,
Et Ιλ. β. ἠδὲ μάχεσθαι ἀνδράσι παυροτέροισι.
Et Demosthenes, Μάχεσθαι τοῖς πολεμίοις.
Sic & apud Virg.
Solus tibi certet Amyntas.
Horatio autem familiares Hellenismi.
Ode 6. *Viridiq certat bacca Venafro.*
Et Ode 1. *Luctantem Icarijs fluctibus Africum.*
Et Ode 3. *-nec timuit præcipitem Africum*
Decertantem Aquilonibus.
Et Ode x1. Epod. *Desinet imparibus certare summotus*
pudor.
Et Sat. 5. lib. 2. *-haud ita Troiæ*
Me gessi certans semper melioribus.
Et 7. *Altercante libidinibus tremis ossa pauore.*
Sic & Virg. Georg. 2.
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent.
Lucr. lib. III.

Quid enim contendat hirundo cycnis?

Hor. ep. x. lib. 1.

Non qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potentia vellera fucum. &c.

Et ep. 18. eiuſdem.

Mihi contendere noli.

Et Catull. *Noli pugnare duobus.*

Sed & Virg. *Pugnabis amori.*

Certantem autem *purpura*: hoc eſt, colore ſimillimam purpuræ, & purpureum colorem oſtentantem, rubram. qua quid poteſt eſſe tum fructu lætius, tum adſpectu pulchrius? Et non ſolum poma delectant ſapore, ſed & colore.

Qua muneretur te, Priape,) Priapus, Dionyſij, & Naiadis, Nymphæ, vel Chionæ, filius dicitur fuiſſe. præterea non longe à Lampſaco vrbem ſui nominis condidiſſe.

Præponebatur agris, hortiſq; cuſtodiendis, atque è ligno fingebatur, duo habens tela, falcem, & palum, ſeu penem, quibus fructuum fures caſtigabat. Vnde apud Virg. de ſe ipſo ita loquitur:

Hic me cuſtodem fecundi villicus horti
Mandati curam iuſſit habere loci.

Et apud hunc noſtrum, Sat. 8.

- deus inde ego furum, auiumq.
Maxima formido, nam fures dextra coercet.
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatq; nouis conſidere in hortis.

Tamquam igitur hortorum Deus, vua donabatur, & ceteris fructibus, quibus & Siluanus, tutor finium.

- et te, pater
Siluane, tutor finium.]

Siluani tres fuerunt.

Vnus

Vnus dicebatur domesticus, possessioni consecratus;
Alter, agrestis, pastoribus;
Tertius, orientalis, cui est in confinio lacus positus; a quo inter duo, pluresue fines oriuntur, ideoq; inter duo, pluresue est lacus.

Omnis autem possessio quare Siluanum colit? quia primus in terra lapidem finalem posuit. *Finium* igitur, idest, terminorum, quibus agri distinguuntur. Hæc ex scriptoribus de limitibus.

Siluanum Virg. quoque in 11x. aruorum, pecorisque, deum vocat. Ibiq. Seruius annotauit, *Publicam cæremoniarum opinionem hoc habere, pecorum, & agrorum, deum esse Siluanum.* Alij tamen dicunt, eum esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est, deum πᾶσαν ὕλην.

Libet iacere modo sub antiqua ilice,]
Nunc venit ad voluptates agricolarum, quibus illi incredibiliter delectantur. Quo autem antiquior ilex, eo grandior, patulaq; magis, vmbramq; efficiens maiorem iacentibus, aut quouis pacto recubantibus, gratissimam. Ille vero recunitus, profecto, suauissimus est, ex adiunctis non solum .n. corpus labore defatigatum reficitur, sed & sensus omnes recreantur, præsertim auditus,

aquarum sonitu labentium,
cantu auium,
strepitu fontium.

quæ non solum voluptati sunt, sed & somnum conciliant.

Modo in tenaci gramine.)
Tenax vocat *gramen*, eo quod terræ firmiter hæret. *Iacere in gramine*, inquit Horatius. Lucretius autem lib. v. ait, *Molli gramine prostratum esse.*

Labuntur altis interim ripis aquæ.)
Fluminum periphrasis.
Altæ autem *ripæ*, flumina significant profunda. Inquit-

que,

que, *Labuntur interim*, hoc est, labentes interim audit aquas. Fluuiales enim aquæ non solum labuntur interim dum aliquis iacet interdiu, sed perpetuo, & irrequieto, lapsu, fluunt. Duo libri mei habent, *Riui*, non *Ripis*, quod quibusdam magis probatur.

Queruntur in siluis aues:)

Ita, inquam, canunt, vt queri videantur, etsi hoc alij refellant.

Ego existimo, cum hæc diceret Horatius, respexisse Luscinam, quæ Philomela dicitur, cuius suauissimus est cantus, is tamen Luctus est à poetis interpretatus, vt propterea Luscinia dicta sit, quod lugens canat.

Flet Philomela nefas incesti Tereos; & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Vt ait Mart. lib. XIV.

Hoc igitur pacto Horatius speciem pro genere sumpsisse. An vero, *Queruntur*, dixit, quia, ex interprete, veteres omnium animalium voces, præterquam hominum, *Querellas* vocabant: hinc *Querulæ cicadæ*, Maro: *Querella ranarum*: & de bobus; *Atque omne querellis Impleri nemus*.

Apollonius Thyaneus, Auium cantum, sermonem earum dicebat esse, & eum optime se intelligere profitebatur.

Fonteſq. lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leues.)

Hic T. *Obſtrepunt*, non capitur pro, contra strepunt, sed pro simplici Strepo, non solum enim fontium strepitus non aduersatur somnum captantibus, sed mirifice conducit. Sicuti autem vehementes sonitus, ac strepitus, somnum fugant, sic contra mediocres, & auribus non ingrati, &, quod caput est, æquabiles, cum nobis mirifice conciliant.

Leues

Leues ſomnos.) quia meridiani ſomni leues, graues autem nocturni. Eo quia, fatigato corpore, longo interuallo temporis ſilentibus omnibus, facile ſenſus omnes veluti obſtupeſcunt, vt mortuo ſimilem hominem reddant. Male ergo interpres *Leues* interpretatur ſecuros, & & iucundos. *Somnoſq. inuitant leues*, vnus.

Inuitant, quattuor. *Somnos inuitent quod leues*, tres.

At, cum tonantis annus hibernus Iouis.

Imbres, niueſque, comparat:)

Hiberni temporis commoditates, oblectationeſque, nunc refert. At vero, cum, inquit, acceſſit hiems, varijs animum venationibus oblectans, & corpus exercens, malas omnes, & pernicioſas, ex animo fugat cogitationes, quas affert nobis, atque alit, otium.

Probauerat Alfius ab vtili, & a iucundo, ſeu delectabili, ruſticam vitam eſſe amplexandam. Super erat, eandem ab honeſto commendare. id quod erat potiſſimum, nam vtile, & iucundum, mouet, atque impellit, ad aliquid agendum, eos tantum, qui aut voluptatem in omni re ſequuntur ducem, omnia ve non virtute, ſed voluptate, metiuntur, aut nihil aggrediuntur, quod cum vtilitate coniunctum non videatur: at vero eos, qui virtutem colunt, nihil ad ſe amandum pertrahit, atque allicit, niſi quod honeſtum ſit, eſt enim virtutis comes honeſtas. Ita dicere poſſumus, Alfium hic inductum vitam ruſticam omni hominum generi, ſectæ, ætatique, doctis, ſapientibus, paucis, plurimis, vulgoq. ipſi, probauiſſe, quodcumque enim eſt genus hominum, quæcumque viuendi ratio, quæcumque philoſophandi via, vel vtilitatem, vel voluptatem, vel honeſtatem, ſequatur, ac ſibi colendam proponat, neceſſe eſt, illud igitur, quod & vtile, & delectabile, & honeſtum, eſt, omnibus æque probandum: Præterea, dicere poſſumus, Horatium ſub Alfij perſona eo vti artificio, vt primum ab vtili, & iucundo,

iucundo, deinde vero, ac postremo loco, ab honesto, rusticæ vitæ condicionem, vt ad felicitatem nos facilius ducentem, vrbanæ esse anteferendam, nobis suadeat. Nisi igitur primum huic viuendi rationi ea bona inesse ostendisset, quæ apud homines, etiam prauos, & corruptos, prima ducuntur, certe opinionem, ac sententiam suam de rustica vita persuadere minime potuisset. Simili etiam arte vtimur cum pueris ægrotantibus, dum ijs aliqua sumenda damus medicamina; ea in primis dulcia esse dicentes, cum ipsi potissimum dulcedine capiantur.

Sed, quænam est in his versibus honestatis ratio demonstrata? ea potissimum, quod rusticæ exercitationes abducunt nos ab omni mala, ac turpi, voluptate, ac potius corpus ipsum ad virtutem firmant, quam ad vitia molliunt ac effeminant.

Occurrit autem tacite obijcienti Horatius, ac dicenti, rus quidem æstate, & autumno potissimum, esse iucundum habitatu, ac longe vrbi præferendum, at vero hieme esse insuauissimum, itineribus iam, præ nimio cœno, ac luto, inuijs, agro etiam omni orbato venustate florum, ac virentium arborum. consumptis fructibus, squalenti deinde vniuersa terræ facie, ac pulcherrimo eius adspectu vehementer immutato, rebus etiam ad vitam necessarijs quotidie deficientibus. Respondet, inquam, huic Horatius, inquiens, rus esse non minus hiberno tempore iucundum; si quidem est in venationibus iucunditas, quæ ea tempestate fieri solent frequentissime.

At cum tonantis &c.) Annus hibernus, hoc est, anni tempus hibernum, hiems, videlicet. Et est descriptio hiemis his duobus versibus:

At cum tonantis annus hibernus Iouis
Imbres, niuesque, comparat.

Iouem tonantem hic vocat aerem.

Iuppi-

Iuppiter autem aeri præesse dicitur, & ob id ei fulmina in manibus pictores, & poetæ, posuerunt: quoniam in aere & fulmina, & fulgura, & tonitrua, fiunt: & frigora quoque. Inde Ode 1. *Iouem frigidum* dixit, & Virg. Georg. 1. *Iouem humidum*.

Hiems autem, est annus Iouis tonantis; vt Aestas, Iouis sereni. Fortasse Horatius cum hieme, quæ solis quattuor mensibus definitur, vltimum autumni, & primum veris tempus computat, quibus præcipue & fulgurat, & tonat, & fulminat.

Comparat;) colligit.

Aut trudit acres hinc, & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas:)

hoc est, multis canibus. Sic Ode 15. lib. 1. *Multo milite*, dixit. Et Virg. Aeneind. lib. 11.

Vtrumque armato milite complent. Et hic noster eodem schemate, Ode 5. dixit, *Argoo remige*, pro, Argois remigibus. Compellit, inquit, & extrudit, apros in oppositas plagas, eos canibus insectans. Acerrimum autem esse aprum in venatione, nemo nescit,

Aut amite læui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos.)

Amite læui, hoc est, pertica, seu furcula aucupali, vt inquit Festus; *& furcula, ex qua rete suspenditur ad capiendas aues*, ait interpres.

Turdis) Turdi, aues sunt præcipui saporis, in cacuminibus arborum nidificant luto, sermonem humanum imitantur. Græci κίχλας vocant.

Pauidumq. leporem, & aduenam laqueo gruem,
Iucunda captat præmia.)

Lepus, est animal pauidissimum, & valde timidum, & meticulosum: adeo, vt, Leporis vitam viuere, prouerbio, dicantur, qui semper anxij, trepidique: viuunt quod id animal, omnium prædæ expositum, ne so-

mnum quidem capit, nisi oculis apertis. Natura autem ei optime consuluit, armis eum donans, suæ pauiditati omnium aptissimis. Qui enim natura pauidus est, is, si in hostes incidet, nulla re sibi melius consulere potest, quam fuga. Pedes autem homini pauido sunt arma omnium præstantissima, quibus animalia huiusmodi sibi quærunt salutem. Porro autem, sicuti pauidis, & meticulosis, animalibus, aufugendi, & euadendi, non pugnandi, ac inuadentium impetum sustinendi, arma præbuit, ac fabricata est natura: sic contra, animosis, audacibus, fortibus, non tam fugiendi, quam impetum propulsandi, atque etiam vim vi repellendi, tela parauit, vt Canibus dentes, atque Apris, Leonibus vngues. Equis pedes, Tauris cornua, & alijs alia. Hæc optime, & eleganter, a Galeno differuntur in principio lib. 2. de vsu partium; in quibus rationem sigillatim, ac diligentissime, reddit, quorsum vnaquæque pars nostri corporis à natura fabricata fuerit. In quo illud etiam legitur pulcherrimum, nempe hominem ipsum nullis armis à natura donatum, sed nudum, & inermem, esse factum; neque ob id accusandam esse naturam, quod homini, sapientissimo, ac dignissimo, animalium, arma denegarit, immo vero eam esse laudibus prosequendam, vt quæ homini videtur optime omnium consuluisse; cum ei omnia omnium animalium arma vni concesserit, quibus is omnia expugnare, & sibi ipsi subdere, possit; cum ei primum rationem omnia excogitandi, & manum omnia à ratione excogitata fabricandi, dederit, hac vna sibi fabricat homo omnia omnium animalium arma, & ea præterea, quibus animalia omnia subijciat, & ijs, vt seruis vtatur, ab ijsq; victum, & ab ijs vestitum sibi comparet.

Aduenam laqueo gruem.) Grues è longinquo, nimirum à mari Eoo, proficisci, & æstatis aduenas esse, scribit Plinius.

Gerunt

Gerunt bellum cum Pygmæa gente.
Quando proficiſcuntur, conſentiunt.
Volant ad proſpiciendum alte.
Ducem, quem ſequantur, eligunt.
In extremo agmine per vices, qui acclament, diſpoſitos habent, & qui gregem voce contineant.

Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno, & decidens, indiligentiam coarguat, ceteræ dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux erecto prouidet collo, ac prædicit. Hinc, quod *Grus* aduena ſit, picitur *exotica auis*, nam *ſingulis annis nobis aduenit*: ait interpres.

Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiſcitur?) Quis non inter has voluptates obliuiſcitur omnium moleſtiarum, & incommodorum? Intentum honeſtis exercitijs hominem, qui vitæ ruſticæ ſe dedit, ab amore abeſſe, & ab ijs curis, quæ amantes vexant, ait. Otium enim, malorum maximorum cauſa eſt, & præcipue amoris veluti fons, & origo. Inde dicitur.

Otia si tollas periere Cupidinis artes.

Vel *Amor*, habendi, hoc eſt, auaritia, quæ vrbanos, anxios, & ſollicitos, reddit, vt ait interpres, quod non placet, cum Amor abſque alia adiectione intelligi ſoleat de amore venereo.

Quod si pudica mulier in partem iuues
Domum, atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta ſolibus
Pernicis vxor Apuli,
Sacrum vetuſtis extruat lignis focum
Laſsi ſub aduentum viri;
Claudenſq. textis cratibus latum pecus,
Diſtenta sicket vbera;

Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemptas apparet ;)

Maximum in aduerſis ſolatium præbent hominibus vxores, præſertim quæ leges probarum mulierum ſeruant: quæ ab Ariſtotele Oecon. lib. 11. cap. 1. deſcribuntur.

Viris autem labor, mulieribus munditiæ conueniunt, vt ait Marius in concione apud Salluſtium, in Iugurtha. Cuius rei eam eſſe cauſam dixerim, quod minus caloris habeant mulieres, ideoq; magnis rebus pertractandis, ad quas requiritur audacia, non ſint tam idoneæ.

Quæ ſit functio, & officium, caſtæ, ac ſedulæ, vxoris, ruſticæ, diligenter deſcribit hic Horatius.

Quid, si &c. eſt in libris meis. Vt legatur cum interrogatione. Non male.

In partem iuuet) Quod ſi habeat vxorem ruſticus, quæ ſedulo maritum ſuum in augenda re familiari, & educandis liberis, iuuare velit, & diligenter culinam, & pecora, domi curet, vt faciunt mulieres Sabinæ, & Apulæ.

Dulces liberos,] Hæc. n. prima, & præcipua debet eſſe cura bonæ matris, vt probe, & liberaliter, ſuſceptos liberos educet, diligenterq; ad labores aſſuefaciat. Sic apud Virgilium Aen. 2.

Et dulces natos, exoptatumq. parentem.
Qualis Sabina, aut vxor Apuli,)

Sabini, & Apuli, Italiæ ſunt populi, fortes, & ſtrenui. Horum vxores dicunt eſſe pudicas, & rerum domeſti arum valde ſtudioſas, optima profecto commendatione. Sabinorum autem virgines, quas Romulus rapuit, viros ſuos adeo dilexerunt, vt pacem inter Sabinos, Romanoſque, facerent.

De Sabinorum probitate referam hoc loco, quæ ſcripſi olim in epiſtola quadam ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum, Cardinalem Amulium, iam edita

in

in libro de Quæsitis per epistolam. Ea autem sunt: Probitatis fama ita Sabini homines floruere, vt eis omnia tuto committi posse viderentur, itaque Cicero in quadam ad Trebonium epistola ita scripsit. *Oratorem meum Sabino tuo commendaui, natio me hominis impulit, vt ei recte putarem, nisi forte, candidatorum licentia hic quoque vsus, hoc subito cognomen arripuit, etsi modestius eius vultus, fermoq. constans, habere quiddam à Curibus videbatur.* Nimirum, & Virgilius ad integritatem spectauit, cum dixit lib. IIX.

Curibusq, seueris.

Et Statius Silu. lib. IV.

Curibusq. vetustis.

Et Horatius *rigidos Sabinos*, Ouidius *tetricas Sabinas* vocauit: & alio loco *incultas*: quod est indicium pudicitiæ, coluntur enim eæ, quæ placere capiunt, qua de re sic Iuuenalis Sat. x.

Sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas

Item Martialis lib. I.

Castanee antiquis cedens Lauina Sabinis,
Et quamuis tetrico tristior ipsa vtro.

Perusta solibus] hoc est, fusca, & subnigra, quod est indicium sedulæ mulieris rusticæ, nullum sudorem, aut calorem, in expediendis negotijs defugientis.

Sacrum focum) nempe, dijs penatibus consecratum. Iuxta focum dij Penates positi fuere, Lareq; inscripti; idcirco, quod *ara deorum Larium focus sit habitus*, ait interpres.

Vetustis,) hoc est, desiccatis, non recentibus, quæ præ viriditate, cum ignem sentiunt, valde fumant, fumus autem est odiosissimus: vt non male dictum sit, duo præcipue domo nos pellere, fummum, & malam coniugem.

Lasse

Lassi sub aduentum viri;) Debet curare vxor, vt, vesperi redeunte marito fesso, & famelico, splendeat focus, quo illum, spe lautioris, & largioris, cenæ, consoletur. Memini aliquando quendam dicere, diligentis feminæ esse, viro domum reuertente, ad minimum vnam ollam habere apud focum, vel vacuam; ne, si videat nihil apparatum, ringatur.

Textis cratibus) Crates, caulæ sunt ex viminibus contextæ, quibus noctu clauduntur, & à ferarum incursione muniuntur greges.

Latum) fecundum, fertile.

Horna) nouella, Hornum autem, hoc est nouellum vinum, & sapidius vetere.

Dapes inemptas apparet;) non emptis, sed labore comparatis, epulis, mensam exstruat. Nam bonam matrem familiam non emacem, sed vendacem, esse oportet.

Huc etiam alluſit Virgilius:

-seraq. reuertens
Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis.

Non me Lucrina iuuerint conchylia,

Magis verbombus, aut scari;) Si, inquit illa, quæ superius commemorata sunt, adsint commoda, non mihi iucundiores fuerint opiparæ mensæ vrbanæ rusticis mensis nam mihi parabilis victus, ac domi factus, erit gratior exotico, & exquisito.

Ostendit igitur, se rusticorum ferculis plus delectari, quam lautissimis, & exquisitissimis, diuitum cibis.

Lucrina conchylia) In lacu Lucrino capta. Sic Sat. 4. dixit, *Lucrina peloris*.

Lucrina autem conchylia maxime excellebant.

Conchylia sunt testacea omnia, vt ostrea, pectines, echini, qua quidem voce vtitur etiam vernacula nostra lingua. Certe pictores, qui testis vtuntur, in quibus

bus colores ſeruant, hac voce vtuntur, dicentes *Cochigli*.

Athenæus huius etymon vocis ita deducit, vt velit Conchylia dici παρὰ τὸ κεγχρέναι, id eſt ab hiando.

Oſtrea hic intelligit, nam oſtreis Lucrinis optimum ſaporem primus Sergius Orata adiudicauit, quando eadem aquatilium genera aliubi, atque aliubi meliora, teſte Plinio.

Iuuerint, h.e. iucunda fuerint.

Magis ve rhombus,) Piſcis, eſt planus, Plin. lib. IX. cap. 20. & Colum. lib. VIII. cap. 16. Rauennæ optimus, teſte Plinio lib. IX. cap. 54. & Iuu. ſat. 4. & Ouidio, cuius hæc ſunt:

Hadriaco mirandus litore rhombus.

Olim in delicijs habitus. Sed & Venetijs maximi fit. Eſt autem Rhombus, & Græcum, & Latinum, & vernaculum vocabulum. Dictus, & ψῆττα. Vide Athenæum lib. VII. & Plinium lib. IX. cap. 42. Et eſt ex eo dictus, quod figura ſit Rhombi. Eſt autem Rhombus figura quadrilatera, quæ tamen recti angula non eſt, ſic vt Rhomboides, quod in contrarium collocatas lineas, atque angulos habet æquales, non autem rectis angulis, neque lateribus æquis continetur: habet enim duos angulos aduerſos acutos maxime, duos reliquos itidem appoſitos obtuſos maxime. Poteſtis hanc figuram apud Euclidem legere in principio ſuæ Geometriæ, in quo traduntur definitiones Geometricarum figurarum. Propterea dixit Martialis:

Quamuis lata gerat patella rhombum,
Rhombus latior eſt tamen patella.

Namque, cum ſit quadrilateræ, hoc eſt Rhomboides, figuræ, iure latior eſſe potuit patella.

Facit eius mentionem Plin. lib. XXXII. c. vlt. coniungens eum cum ſcaro.

Fuiſſe:

Fuisse autem piscem non ignobilem, satis hic Horatij locus, præter Plinium, declarat, opponit enim exquisita, & magno empta, cibaria, rusticis, ac parabilibus.

Scari,) Dictus ἀπὸ τῦ σκάρειν, id est, salire. Naturam eius ita describit Diphylus, Latine redditus, apud Athenæum lib. IIX. *Molli, ac tenera carne præditus est, friabilis, dulcis, leuis, ad coquendum facilis, facile redditur, ventrem mollit.* Addit idem, *recentem scarum esse suspectum, propterea quod lepores marinos captat. ὑσῳ; vescitur, idcircoq. eius intestina vim bilis effectricem habent.* Idem *hunc solum ex omnibus piscibus dormire dicit, & propter eam causam numquam noctu capi.* Oppianus etiam lib. I. Halieut, eum solum *vocalem* esse scribit. Ceteri enim pisces, muta sunt animantia.

Is etiam (auctore Arist. in 2. de hist. hanimalium cap. 17. & lib. IIX. cap. 2. & Plinio, & Athenæo) solus inter pisces ruminare creditur. Eum Plinius lib. IX. cap. 17. & lib. XXXII. cap. XI. Athenæus lib. VII. & Aelianus lib. II. cap. 16. celebrat, vt sua tempestate principalem. Fuit Romanis in honore mensarum. Inde Ennius, apud Appuleium, Apol. I:

Scarum præterij. cerebrum Iouis pane supremi.

Sed operæ pretium est, recitare, quæ Plinius de eodem recenset, cap. 2. lib. XXXII. inquit autem: *Mibi videntur mira, & quæ Ouidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur: Scarum inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed auersum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque retrorsum erumpere. Quem luctatum eius si forte alius scarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adiuuare nixus erumpentis.*

Gale-

Galenus quoque Scarum inter ſaxatiles excellere ſuauitate ſua tempeſtate ſcripſit. Et Nicander apud Athenæum lib. VII. Scarum eſſe dixit multi nominis.

Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare.) Si quos tempeſtas ab Oriente ad hoc mare noſtrum impellat. Et hoc dicit, propter mare Carpathium, vbi Scarorum maxima eſt copia.

Intonata) hoc eſt, intonita: hoc eſt, tempeſtas concitata.

Non Afra auis deſcendat in ventrem meum,) Gallinas Africæ intelligere videtur, quæ nouiſſimæ peregrinarum auium ſunt in menſas receptæ, vt legimus apud Plinium lib. x.

Non Attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguiſſimis
Oliua ramis arborum:) Attagen maxime Ionicus celebratur, quondam exiſtimatus inter raras aues, vt Plinius lib. x. commemorat.

Plumas habet varijs colorum maculis diſtinctas.

Quamobrem ab Ariſt. ποικιλόπτερος appellatur.

Oliua) Oleæ arboris fructus.

Aut herba lapathi, prata amantis, & graui
Maluæ ſalubres corpori,]

Vt pulchre vrbanam luxuriam hucuſque notauit, ita nunc ruſticorum frugalitatem commendat. De Lapatho, & Malua, herbis, multa ſcribit Plin. lib. xx c. 21. De Lapatho hæc interpres: *Lapathum herba in cibo ſumpta ſtomachum confortat, ventrem purgat, vrinam prouocat, ructum excitat, & nauſeabundis comedendi auiditatem reddit: naſcitur in locis ſabuloſis, & planis.*

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus,
Vel hædus ereptus lupo.]

Terminus, Deus fuit, pacis, & iustitiæ custos.

Huius templum iuxta ædem Iouis opt. max. in Capitolio, primum à Numa exstructum, cui sacrum festis Terminalibus in agris, sexto ab Vrbe miliario, sub patenti cœlo fieri solebat. Et inquit, *Festis*: vt ostendat frugalitatem rusticorum, qui carnibus vescuntur solum festis diebus.

Aut hædus ereptus lupo.) Hædus lupo ereptus videtur suauior, non quia tenerior factus: (hædus enim satis tener videtur, dum hædus est, etsi à lupo mursus non sit) sed ideo suauior, quia, vt ait Acro, gratior factus est ex perdito. Quæ enim perdidimus, si recuperemus, gratiora sunt nobis: nam videmur ea in lucro deputare.

Has inter epulas, vt iuuat pastas oues
Videre properantes domum; &c.) Quam iucundum est, inquit, dum rure cenamus, videre oues iam pastas domum redire citato gressu, vt moris est, ac boues etiam languentes de labore diei, vernasq. sua obeuntes munera.

Vt iuuat) Mirum quantum delectat.

Iuuandi verbum poetis frequentissimum, pro verbo Delectat.

Pastas oues) Delectat videre oues pastas, & repletas, domum redire; & contra, videre boues redire lassos, ac defatigatos. Oues enim ex pastura, boues ex labore, nobis emolumentum præbent.

Properantes domum;) ad quietem, & ad refectum. Animantia enim omnia, licet, homine excepto, rationis sint expertia, naturæ tamen impetu quodam feruntur ad id, quod ad eorum conseruandam vitam est necessarium, non solum enim vnicuique rei est à natura tributum, vt sit aliquid, sed vt se etiam in propria conditione seruet, & suimet interitum maxime auersetur,

pro-

properant domum oues quieſcendi gratia, & ſomnum capiendi, cuius indigent ad vitam; boues autem non ſolum quieſcendi, ſed veſcendi gratia. Sic obſeruamus quotidie, equos ex longo itinere domum redeuntes magis properare, ac feſtinare, quam domo abſcedentes, laborem enim, vt malum, non homines ſolum, ſed animantia omnia, auerſantur.

Videre feſſos vomerem inuerſum boues
Collo trahentes languido:) Ideſt, videre boues arando feſſos, confecto iam labore diurno, domum redire. Sic Virg.

Adſpice: *aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci.*
Poſitoſq vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes lares.) Vernas, ſeruos circa forum ſedentes, nam ad forum cenare ſolebant, quod hodieq: fit, in ea vita, quæ ſeiuncta à curis ſit, & procul abſit a faſtu. Eſt autem *Verna* puer domi natus, & procreatus, qui ſerui loco ſit.

Renitentes, ſex mei.

Hæc vbi locutus fenerator Alfius,
Iam iam futurus ruſticus,
Omnem relegit idibus pecuniam,)

Poſtquam hæc de agriculturæ laudibus dixit fenerator Alfius, ſuam fortunam pertæſus, ſtatim ruſticus fieri deſiderauit. Ideoq. omnem pecuniam, quam feneratus erat, a debitoribus exegit, mercaturus agrum. Idibus autem, dicit, quod olim idibus exigerentur vſuræ. Alij pro *Relegit*, probant *Redegit*, vt eſt in c ćto meis ſcriptis. Quod etiam mihi probatur, cum eo in hoc ſignificatu Cicero non ſemel vtatur.

Quærit Kalendis ponere.] Notat inconſtantiam Alfij, qui ſtatim ad ingenium, & priſtinos mores, redijt. pulchre oſtendens, quam periculoſum ſit, canem ſemel nteſtina deguſtaſſe. Alfij cuiuſdam feneratoris habetur

apud Columellam dictum illud, *Bona nomina non numquam mala fieri, si numquam interpelles*. Plinius etiam meminit Flaui Alfij cum Mæcenate.

Alludit autem Poeta ad consuetudinem feneratorum, qui solebant in singulas Kalendas mutuum dare. Vnde, & *Kalendarium* pro libro rationum, in quo feneratores nomina debitorum describebant, vt in 2. Parergon memoriæ mandauit doctissimus, idemq; omnium doctrina, & moribus, elegantissimus vir Andreas Alciatus.

Arcadius Charesius libro singulari de muneribus ciuilibus, Dig. lib. L. tit. 4. de muneribus, & honoribus, l. 18. Munerum ciuilium: *Kalendarij quoque curatio, & quæstura in aliqua ciuitate inter honores non habeatur, sed personale munus est.*

PLACET

PLACET. HOC. LOCO ADSCRIBERE. VIRGILII. VERSVS GEORG. LIB. II. Vt facilius possint conferri cum Horatianis.

Fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas, quib. ipsa, procul discordib. armis
Fundit humo facilē victū iustissima tellus
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Illusaq. auro vestes, Ephyreiaq. aera,
Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.
Nec casia liquidi corrumpitur vsus olíui:
At secura quies, & nescia fallere vita,
Diues opum variarum, at latis otia fundis,
Speluncæ, viuiq; lacus, at frigida tempe,
Mugitusq. boum, molleſq. sub arbore somni,
Non absunt: illis saltus, ac lustra ferarum,
Et patiens operum, † paruoq; assueta iuuentus, exiguoq;
Sacra Deum, sanctiq patres: extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Musæ,

Qua-

Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore,
Accipiant; cæliq; vias, & ſidera, monſtrent,
Defectus Solis varios, Luneq; labores:
Vnde tremor terris, qua vi maria alta tumeſcant
Obiicibus ruptis, rurſuſq; in ſe ipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles.
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Sin, has ne poſsim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis,
Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem, ſiluaſq. inglorius; o, vbi campi
Sperchiuſque, & virginibus bacchata Lacænis.
Taygeta: o, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat vmbra.
Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitumq; Acherontis auari.
Fortunatus, & ille, deos qui nouit agreſtes,
Panaque, Siluanumq. ſenem, Nymphaſq. ſorores.
Illum non populi faſces, non purpura regum
Flexit, & inſidos agitans diſcordia fratres,
Aut coniurato deſcendens Dacus ab Iſtro:
Non res Romanæ, perituraq; regna: neque ille
Aut doluit miſerans inopem, aut inuidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura
Sponte tulere ſua, carpſit, nec ferrea iura,

Inſa-

Insanumq; forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alij remis freta cæca, ruuntq.
In ferrum: penetrant aulas, & limina regum.
Hic petit excidijs vrbem, miseroſq; penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro:
Condit opes alius, defoſſoq. incubat auro.
Hic ſtupet attonitus Roſtris: hunc plauſus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) plebiſque, patrumq.
Corripuit, gaudent perfuſi ſanguine fratrum,
Exſulioq; domos, & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt ſub ſole iacentem.
Agricola incuruo terram † dimouit aratro: molitus
Hinc anni labor: hinc patriam, paruoſq; † nepotes penates
Suſtinet. hinc armenta boum, meritoſq; iuuencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus:
Aut fetu pecorum, at Cerealis mergite culmi,
Prouentuq. oneret ſulcos, atque horrea vincat.
Venit hiems, teritur Sicyonta bacca trapetis:
Glande ſues læti redeunt: dant arbuta ſiluæ:
Et varios ponit, fetus autumnus: & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea pendent dulces circum oſcula nati:
Caſta pudicitiam ſeruat domus: vbera vaccæ
Lactea demittunt: pingueſq; in gramine læto,
Inter ſe aduerſis luctantur cornibus hædi.
Ipſe dies agitat feſtos, fuſuſq. per herbam,

Ignis

Ignis vbi in medio, & socij cratera coronant,
Te libans Lenæe vocat; pecoriſq; magiſtris
Velocis iaculi certamina ponit in vlmo:
Corporaq; agreſti nudant prædura paleſtra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus, & frater: ſic fortis Etruria creuit:
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septem quæ vna ſibi muro circumdedit arces.
Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata iuuencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Nec dum etiam audierant inflari caſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.
Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor;
Et iam tempus equum fumantia ſoluere colla,

CAROLI SIGONII

Iudicium de Hiſtoricis, QVI RES ROMANAS

Scripſerunt, ab Vrbe condita ad Caroli Magni Imperatoris tempora.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM IVDICII SIGONIANI De Rei Romanæ Scriptoribus.

Balthassar Bonifacius.

Debes hunc librum, amice Lector, mole quidem exiguum, fructu verò pluſquam mediocrem, non tam Carolo Sigonio, qui ſemel compoſuit, quàm DOMINICO MOLINO, qui bis ab interitu vindicauit. Ipſum autographum, à viro doctiſſimo Franciſco Pigna, pluribus ab hinc annis acceptum, maximus ille Venetorum Senator, & rei literariæ Princeps, dederat imprimendum Ciotto Typographo, cuius deteſtabili incuria deperijt. Hoc autem apographum, per omnes ferè doctiſſimorum virorum bibliothecas diu conquiſitum, & bono

Mercurio tandem inuentum, dat tibi, dat memoriæ, dat publicæ vtilitati. Nihil est enim optatius communi huic ingeniorum parenti, quàm nostram singulorum industriam excitare, ac studijs nostris facem præferre; summum videlicet laborum suorum præmium existimanti, iuxta Euristhei sententiam, si quippiam boni ad salutem hominum conferat. Idem mihi autor fuit, vt simile quiddam ex optimis quibusque criticis excerptum, tibi legendum proponerem quo Sigonianus elenchus absoluitur, tibiq; vtilior, & nisi me fallit coniectura etiam iucundior foret. Vt nihil aliud, hoc certè nostra additamenta præstabunt, quod saburra in nauigijs, ne pusillus admodum Sigonij libellus ventis ludibrio esse possit. Vale.

Taruisio VI. Cal. Nouembr. MDCXXVI.

CAROLI SIGONII IVDICIVM

DE HISTHORICIS,

Qui res Romanas scripserunt ab Vrbe condita ad Caroli Magni Imp. tempora.

POLYBIVS. I.

VEtustissimus omnium, qui nobis supersunt Historiæ Romanæ scriptorum est POLYBIVS, e Megalopoli Arcadiæ Ciuitate oriundus, Publij Africani minoris præceptor, ac perpetuus eius in militia comes. Is bella, tum Punica, tum quæ eodem tempore in Græcia, Asia, & Lybia gesta sunt, libris quadraginta, quorum priores quinque integri, & sextus imperfectus tantùm supersunt, Ptolemæo Euergete in Ægypto regnante, Græcè conscripsit. Sed ea sunt ita crebris interpositionibus interrupta, vt, qui se præceptorem Historiarum conscribendarum ostendit, Historiæ leges quasi negligere videatur. Vtile tamen quod extat; nam maiori parte caremus.

CAE-

CÆSAR DICTATOR. II.

CAius Iulius Cæsar belli Gallici, & Ciuilis Pompeiani libros vndecim Commentariorum rerum à se gestarum scripsit, genere orationis, & eleganti, neque ob nimiam diligentiam odioso. Huius cum perspicuitas, elegantia, & numeri mire placent; tum latior singularum rerum, temporum, locorum, consiliorum, atq; actionum est explicatio. Ad iustam tamen Historiam non attingit; quanquam ita nihil omisisse videtur, vt, quod Cicero ait, alios à scribendo deterruerit.

SALLVSTIVS. III.

CAius Sallustius Crispus, qui Cæsaris Dictatoris, Pompeij Magni, & Marci Ciceronis, cum quo grauissimas inimicitias exercuit, tempore vixit, nobis totus perijt, quod ad libros Historiarum attinet, quas rerum Romanarum temporum suorum scripsit; eis enim Aurelius Augustinus ante annos MC. vsus in libris de Ciuitate Dei. Iugurtha, Catilina, vt eius conciones, eius specimen fuerunt. Breuis est, sed nihil non ea breuitate comprehendit. Sententijs gaudet, & antiquis verbis, acumine non inepto. De eo Martialis: Crispus Romana primus in Historia. Thucydidi ex Græcis opponitur à Quintiliano elegantia dicendi, Attica breuitate, sententiarum crebra vsurpatione. Taxatus à Pollione Asinio, vt nimis antiquarius, & ex Catonis Originibus verba mutuatus. Trogo autem Pompeio displicet, quod orationibus nimis longis vtatur, sicut etiam Thucydides.

DIODORVS SICVLVS IV.

Diodorus Siculus Syracusanus vixit Trium-Virisin Rempublicam sæuientibus. Libris quadraginta, quibus Bibliothecæ nomen indidit, omnium temporum Historiam Græce amplexus est. Res Romanas minus diligenter persequitur. Ex ijs sex primi antiquorum gesta fabulosa ante Troianum bellum continent. In vndecim sequentibus, quæ à bello Troiano ad Alexandri Macedonis Principatum gesta sunt, referuntur. In reliquis autem tribus, & viginti recensentur, quæ vsque ad bellum Gallicum Caij Cæsaris Dictatoris gesta sunt. Huius Historiæ septendecim tantum libri nobis supersunt, reliqui temporum iniuria periere.

DIONYSIVS. V.

Dionysius Alexandri filius Halicarnassæus, cuius extant libri decem Græce, & vndecimus male versus, res gestas ante, & post Vrbem Conditam vsque ad bellum Tarentinum, & Regis Pyrchi scribere aggressus est. Sed & quæ extant (maiori enim parte caremus) pauis annis post duodecim Tabulas finem scribendi faciunt. Vixit sub Augusto Romæ. Historiam, & pleraque alia, quæ non extant, scripsit. Diligens antiquitatum inuestigator. Rempublicam Romanam dilucide ante oculos ponit; quibus initijs, quo ordine, quibus actionibus, quo consilio, quo euentu singula gesserit, egregie ratiocinando, recenset.

TITVS LIVIVS. VI.

TItus Liuius Patauinus, e vico Aponi, calidis aquis celebri, ab Vrbe Condita ad Neronis Drusi obitum, qui fuit Ann. Vrb. DCCXII. Libros Historiarum conscripsit. Ex quibus XXXV. tantum extant, eorum quæ ante Pyrrhum, & bellis Punico secundo, Philippico, Antiocheno, & Persico gesta sunt. Vixit eisdem Augusti temporibus, in quibus Historiæ finis est. Libertas maxima, prudentia non parua, dicendi copia maior, quam diligentia: Ideoq. à Principe Caio, tanquam verbosum, & negligentem, notatum fuisse crediderim. Pollio Patauinitatem ei obijciebat. A Quintiliano autem magnopere laudatur, cumq; Herodoto, in concionibus præsertim, comparatur. Ediscendumq; pueris suadet, vt Ciceronis imitatorem.

M. VALERIVS MAXIMVS VII.

MArcus Valerius Maximus exemplorum nouem libros scripsit, in quibus ex omnibus Historicis exempla in certos locos connectit. Vtilis est eo ipso ordine; & quod ad similem vtilitatem vnicuique vti liceat exemplo. Sed dum ex omnibus elicit, qui sæpe varij inter se sunt, sepe etiam non sibi constat. Melius feciſſet si nomina Historicorum, ex quibus ea descripsit addidisset. Tiberij Cæsaris tempore scripsit. Mira in eo adulandi ratio.

PATERCVLVS. VIII.

CAius Velleius Paterculus Tiberij Cæsaris etiam temporibus vixit. E fragmento duorum librorum cognosci-

gnoscimus eum epitomen Historiarum Romanarum scripsisse. Pleraq. imo omnia placent, quod res ipsæ dignæ sint, neque à melioribus conscribantur. Tenuis alioqui verbis, & ordine non satis accuratus: Adulationis supra quam credi potest vitio laborauit; præsertim cum Augusti, & Tiberij Cæsaris gesta narrauit.

CAIVS PLINIVS. IX.

CAius Plinius Secundus Veronensis libros triginta septem Historiæ Naturalis, qui adhuc, licet corruptissimi, extant, conscripsit. Opus varium, & multiplex, vt est ipsa Natura. In eis quicquid vel Deo immortali, rebusque creatis conueniens est, vel vnquam vsu venit, explicatur. Diligentia maior, quam dicendi ratio. Vixit sub Vespasiano Principe, Præfectus Classis Misenatium. Obijt sub Tito in Veseui incendio, dum eius causas indagare vellet. Pleraque alia, quæ periere, scripsit.

PLVTARCHVS. X.

PLutarchus Cheronæus Asiaticus, Traiani, postea Romani Principis, præceptor, vitis insignium virorum scribendis, res gestas à Græcis, atq; Latinis conscripsit. Rerum, ac sententiarum vbertate magna. Sed, dum singulis plura, quam ad eorum vitam pertinet, tribuit, Historia sæpius repetita, atq; concisa non assequitur, vt vel ex omnibus discamus, quæ sunt gesta, quo consilio, quo ordine, mire tamen rerum vbertate vtilis.

TACITVS. XI.

PVblius Cornelius Tacitus, Optimus Historicus, quæ post Augusti obitum vsque ad sua tempora accide-

derunt, optima fide, atque diligentia recensuit. Consilia, mores, & rerum gestarum ordinem vsq. ad Traiani Principatum egregie scripsit. Aulicæ vitæ rationem, in Aula Palatina Domitiani, Neruæ, atq; Traiani Principum ipse diu versatus, eleganter explicauit. Stylus magis grauis, quàm elegans, asper enim, parumq. duriusculus est, atq. à Latinæ linguæ candore discedens. Si melioris tamen reipublicæ res gestas conscripsisset, procul dubio haberet Liuius æmulum, paulo Dionysio, & Sallustio inferiorem. Periere autem libri aliquot.

FRONTINVS. XII.

SExtus Iulius Frontinus stratagematum libros conscripsit, in quibus ex omnibus Historijs exempla, in certos locos distincta, enumerat copiose, & magna cum vtilitate; licet pleraq; librariorum errore, inepte sint repetita. Neruæ, & Traiani temporibus vixit.

PLINIVS IVNIOR. XIII.

CAij Plinij Cæcilij Secundi iunioris, seu alterius, Romanorum Ducum gesta nobis supersunt. Is, vt elegantia Romana haud mirabilis est, ita propter magnitudinem materiæ valde nobis vtilis licet non semel erret, & pleraque dicendo omittat. Floruit sub Traiano; Tacito amicissimus.

SVETONIVS. XIV.

CAius Suetonius Tranquillus duodecim Cæsarum vitam potius, quam Historiam conscripsit, quæ ab alijs quærenda est. Hic eorum mores, domesticas res, ac publicas magna diligentia, ordine certo, atque perpetuo

scripsit.

scripsit. Stylo alioqui tenui, & qui grammaticum magis, quam Historicum sonet. Vixit sub Adriano Principe, cuius etiam epistolarum magister fuisse dicitur.

APPIANVS. XV.

APpianus Alexandrinus Sophista, AEgyptius natione, sub Adriano Imperatore, duobus & viginti libris, alia ratione, quam cæteri, Historias Romanas prosecutus est. Prouinciarum deuictarum ordinem secutus, res gestas in singulis prouincijs enumerat. Item bella ciuilia, quæ extant: Regium, Italicum, Hannibalicum, & alia, quæ non extant: Punicum tertium, Syriacum, Celticum, Hibericum, Mithridaticum. Parthicum extant, maleconuersa, Multis in rebus leuis, multa etiam omittit: Sed diligenter legendus, quod pleraque ex Historijs his accreperit, quæ perierunt.

ÆMILIVS PROBVS. XVI.

AEmilius Probus eleganter Græcorum Ducum, & Punicorum, atque Catonis maioris vitam, breuiterq; conscripsit.

LVCIVS FLORVS. XVII.

LVcij Flori, qui eiusdem Adriani Imperatoris Principatu vixit, epitome duplex extat: altera Liuij, nimis concisa, carpit enim quædam insigniora, vtilis tamen in his, quæ ex Liuio amisimus: altera rerum Romanarum, quatuor libris distincta: Quæ declamatoris mihi non Historici videtur. Dum singula bella describit, in singulis ineptus est.

IVSTINVS. XVIII.

IVstinus Pij Imperatoris tempore floruit. Is Trogi Pompeij librorum epitomen eleganter conscripsit. Externarum nationum post hominum memoriam res diserte enumerat, ordine non ita exacto. Rerum Romanarum mira iciunitas; atque vt ex quadam oratione apparet, odium non leue.

DION. XIX.

DIon e Bythinia, Vrbe Nicæa oriundus, Aproniani filius, iterum Consul sub Alexandro Seuero Principe fuit. Is iussu Seueri Imperatoris Rerum Romanarum ab initio Vrbis Historiam scribere aggressus, eam vsque ad Alexandii, Mammeæ filij Imperatoris tertium Consulatum libris octoginta perduxit. Ex quibus priores sex, & triginta, & posteriores viginti tres nobis desunt. Præclare autem nobis actum est, quod Ioannis Xiphilini Constantinopolitani monachi Epitome, ex quadraginta quatuor posterioribus Dionis libris confecta, superfit; quæ vitas Imperatorum omnium, excepto Pio, continens, non modicum auxilium rebus cognoscendis præbet. Ipse vt dixi, Asiaticus est, in concionibus plus nimio loquax. Narratio verò satis diligens est: multaq; Lectores docet à Latinis prætermissa.

HERODIANVS. XX.

HErodianus Alexandrinus grammaticus, Apollonij etiam grammatici, filius, & discipulus, libros octo Historiæ Romanæ Principum sui temporis Græce confecit, ab obitu Marci Aurelij ad Gordiani minoris initium, Impe-

Imperatorum singulorum actiones, & gesta diligenter, & certo ordine enumerat. Concionibus gaudet, sed breuibus. Acumine, breuitate, & sententiarum grauitate Sallustio comparandus. Si meliorum temporum res tanto ordine, & ea copia scripsisset, inter Græcos Historicos qui Latina memoriæ mandarunt, Principem locum procul dubio obtinuisset.

De Iulio Capitolino, Aelio Lampridio, Trebellio Pollione, Flauio Vopisco, Aelio Spartiano, & Vulcatio Gallicano, qui vno fere tempore sub Diocletiano, & Constantino Magno Imperatoribus, Romanorum Principum vitas conscripsere, vix habeo quid dicam: Adeo temporum iniuria, & librariorum negligentia sunt mutili, & corrupti. Ex his tamen, quæ extant, facilè colligere pussumus eos, pro temporum conditione, satis diligentes in historia conscribenda fuisse. Sed rerum dispositio, qua hi vsi sunt, minus apta; styluscj tenuis: Pleraqj etiam dicenda omittunt; multis ineptè, quæ ad rem nihil, vel parum faciunt, additis. Et, cum breuitati studere conantur, in nimiam verbositatem incidunt, minuta quæque prosequentes. Nobis tamen chari esse debent, cum eorum temporum meliores scriptores non habeamus.

IVLIVS CAPITOLINVS. XXI.

IVlius ipse Capitolinus omnium Principum Romanorum vitas in duas partes distinctas, priorem Diocletiano Augusto, posteriorem Constantino Imperatori conscripsit. Sed solummodo extant Pij Marci, Veri, Pertinacis, Macrini, Albini, duorum Maximinorum, trium Gordianorum, Maximi, & Balbini: Reliquæ periere. Ipse citatur à Flauio Vopisco in Probi Imperatoris vita.

LAM-

LAMPRIDIVS. XXII.

TItus AElius Lampridius, eiſdem Diocletiani temporibus, Romanorum Imperatorum vitas explicauit. Commodus, Heliogabalus, Alexander, nobis tantum ſuperſunt. Reliqua non extant. Citatur à Flauio Vopiſco in Probi vita inter eos, qui Romanorum Principum vitas ſcripſere.

POLLIO. XXIII.

TRebellius Pollio ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, Conſtantio Cæſari, patri Magni Conſtantini, omnes Imperatores, qui à duobus Philippis vſque ad fratrem Quintillum fuerunt, tam claros, quam obſcuros, vt in Aureliani vita refert Flauius Vopiſcus, ſcripſit. Deeſt à Philippis ad Valerianum; nam quod extat, ab eo exordium habet.

FLAVIVS VOPISCVS. XXIV.

FLauius Vopiſcus ſub eiſdem Principibus ad Celſum quendam vitas eorum Principum conſcripſit, qui ab obitu Claudij, & eius Fratris Quintilli fuerunt vſque ad initium Imperij Diocletiani. Scripſit paulo ante bellum, quod cum Perſis geſſit Maximianus. Extant omnia ſed librariorum errore deprauata.

SPARTIANVS. XXV.

LVcius AElius Spartianus, Diocletiano Imperatore, omnium eorum qui non ſolum in Romano Imperio Principum locum tenuere, Auguſtiq; appellati ſunt, verum

rum etiam illorum, qui vel Cæsarum nomine, vel quolibet alio genere, siue in famam, siue in spem Principatus venere (vt eius verbis vtar) vitas enarrauit, Galerio, & Costantino Cæsaribus iam creatis. Adrianus, AElius Verus, Iulianus, Seuerus, Niger, Caracallus, & Geta tantum extant. Reliqua nobis desunt.

GALICANVS. XXVI.

VVlcatius Gallicanus, qui etiam eisdem temporibus Imperatorum vitas scripsit, nobis pene totus perijt, Auidij Cassij vita tantum excepta.

FLAVIVS EVTROPIVS. XXVII.

FLauius Eutropius sub valentiniano maiore vixit; minus quidem elegans; sed cum ex Liuio, & Sallustio res, nobis nunc ignotas, decerpserit, & omnem Historiam Romanam breuiter ab Vrbe Condita vsq; ad Iuliani Principis mortem libris decem persequatur, magni à nobis fieri debet.

AMMIANVS. XXVIII.

AMmianus Marcellinus, vt ipse de se loquitur, Græcus miles, & in Latino sermone, qui suo tempore corruptissimus erat, parum versatus, Latine Historiam Romanam scribere aggressus est, ab obitu Domitiani ad Valentis Imperatoris, sub quo vixit, interitum, libris vno & triginta, ex quibus priores tredecim nobis desunt. Vbi ad temporum suorum Historiam, quæ libris, qui extant, continetur, deuenit, diligentissimè, atq; optima fide scripsit. Verum adeo duro, aspero, incompto, & planè barbaro sermone, vt vix quid dicat consequi possit. Libra-

brariorum quoq; errore mutilus est, & deprauatus. Vtilis tamen est, vbi intelligetur; nam ea scribit, quæ meliores auctores non habent.

VICTOR. XXIX.

SExtus Aurelius Victor, vir Consularis, breuiter ab Augusto ad Theodosij senioris mortem, sub quo vixit, Imperatorum vitas memoriæ mandauit. Nonnulla alia præterea prosecutus est.

SEXTVS RVFVS. XXX.

QVid de Sexto Rufo dicam vix habeo. Vsque eo concisus est, vt nullam habeat Historiæ similitudinem. Victorias Prouinciarum Populi Romani breuiter persequitur, enumeratis locis, ac Ducibus: Tenui alioqui, & plane corrupto stylo. Vixit sub Valentiniano maiore.

OROSIVS. XXXI.

PAulus Orosius Hispanus, indignus Historici nomine nonnulla, ex Eutropio, & Floro excerpta, collegit. Primæ illi partes in Religione Christiana laudanda, veterumq; superstitione explodenda. Vixit sub Honorio Principe, Augustini, cuius discipulus fuit, temporibus.

ZOSIMVS. XXXII.

ZOsimus Gazæus, seu Ascalonita, Græce septem libris, quorum vltimus integer, cum pleraq; alia in cæteris desint, Historiam Romanam temporum suorum seu à Constantino ad sua tempora conscripsit. Vixit Theodosij

dusij minoris Imperatoris temporibus; Gothis, alijsq; barbaris Italiam, & cæteras prouincias Romanas vastantibus Ipse totus in Christianæ Religionis pietate oppugnanda; principibusq; Romanis, qui & initiati fuerant, lacerandis versatur. Ideo, sæpe falsa scribens, indignus est Historici nomine, a quo amor, & odium abesse debent, vt veritati locus sit. Vtilis tamen est, quod pleraq; aut ab alijs non scripta, aut temporum iniuria amissa, persequitur.

PROCOPIVS. XXXIII.

PRocopius Rhetor Cæsarienſis, e Palestina oriundus, Iustiniani temporibus vixit; Belisarij, præstantissimi Ducis, a Secretis. Omnibus eiusdem expeditionibus, quæ multæ fuerunt, interfuit. Bellorum Gothici, Italici, tribus, Persici, duobus, Vandalici totidem libris Historias optima fide Græcè conscriptas, nobis reliquit. Diligens ipse est in scribenda Historia: Verum mediocri stylo, ac plane naturali dictione, quæ Asiaticæ propior est, quam Atticæ; ipse enim Asiaticus fuit. Conciones, & epistolas quasdam breues interponit, haud prorsus in eo genere ineptus.

AGATHIVS. XXXIV.

AGathius Scholasticus Smyrneus quinque libris res Iustiniani Principis, eiusq; Ducum, Belisarij, & Narsis, in Italia, Africa, Perside, & apud Byzantium gestas, post Procopium scripsit. Stylo tenui, & crebris interpositionibus confuso. Verum vtilis est, quod ea prosecutus sit, quæ meliores scriptores non habent.

IORNANDES. XXXV.

IOrnandus Gothus Episcopus omnium temporum chronicon potius, quam Historiam scripsit, ab Vrbe Condita ad Iustiniani Imperatoris tempora. Stylus barbarus est; verum Historia vtilis, quod multa, ab alijs omissa, prosequatur.

MARCELLINVS. XXXVI.

MArcellinus Comes Vir Clarissimus Chronica, seu Annales scripsit ab obitu Valentis vsque ad Iustiniani annum Imperij vicesimum. In his breuiter illorum temporum Historiam, seu potius Commentarium, est satis diligenter complexus.

BEDA. XXXVII.

BEda Anglus Chronica, seu annales scripsit à mundi initio ad Imperatorem Leonem Iconomachum, cuius ætate vixit. Cum ad tempora sua deuenit, latius res explicauit. Diligens, & pius scriptor.

PAVLVS DIACONVS. XXXVIII.

PAulus Foro-iulienſis Longobardus, cognomine Varnefridus, Diaconus, octo Historiarum libros Eutropio addidit; ab obitu Iuliani Imperatoris ad Leonis Iconomachi Constantinopolitani Principis Imperium. Satis diligens in his, quæ litteris mandauit. Verum tenui, & quasi barbara dictione. Pleraque etiam dicenda omittit. Vixit Caroli Magni Imperatoris temporibus.

ANA-

ANASTASIVS. XXXIX.

ANastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, Vir, pro temporum conditione, Græcis, & Latinis litteris eruditus, ex Theophane Isauro, & Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, Græcis scriptoribus, ineptо, & planè barbaro stylo, verum optima fide, & diligentia Historiam decerptam Latinè conscripsit, à CHRISTI NATALI ad Michaelem seniorem, cognomine Rangalos, Constantinopolitanum Imperatorem. Nobis valde charus esse debet, quod ea, quæ nec meliores, nec peiores scriptores habeant, litterarum monumentis tradiderit.

ZONARA. XL.

IOannes Monachus Constantinopolitanus, ex Ordine Sancti Basilij, cognomento Zonara, qui olim Byzantij Magnus Drungarius, & Protosecretarius Impp. Alexij, & Ioannis Comnenorum fuit, Historiam vniuersam Græcè, a mundi primordio vsque ad obitum Alexij Comneni Constantinopolitani Imperatoris, sub quo ipse vixit, tribus; quorum primus agit de rebus Iudaicis ab exordio mundi vsq; ad Hierosolymitanum excidium; alter Historiam Romanam, ab Vrbe Condita vsque ad Constantinum Magnum Imperatorem breuiter complectitur, tertius Imperatorum res gestas, a Constantino Magno vsq; ad obitum Alexij Comneni continet; tomis conscripsit. Omnia ante Constantinum ineptè, & parum diligenter (de rebus latinis loquor) explicata. A Constantino Imperatore deinceps vtilis est, & quod eæ res diligenter enarrentur, & quod meliores scriptores non habeant.

Hi ergo sunt quadraginta rerum Romanarum veteres scriptores, & hi quidem meliores ex his, quos temporum iniuria nobis reliquos fecit. Ex quibus plerique ordine certo, atq; perpetuo omnem Historiam Romanam complexi sunt. Nonnulli autem eodem ordine quasdam eius illustriores partes sunt persecuti. De quibus quid nostræ ætatis doctissimi, simulq; eruditissimi viri sentiant, quæ ipse ex eorundem ore didici, iam videre potuisti. Porrò autem ex reliquis antiquis Marcum Varronem, Marcum Tullium, Cornelium Nepotem, Messalam, Solinum, Strabonem, Melam, Pedianum, Gellium, Censorinum, Macrobium, Sextum Pompeium, & plerosq; alios: Item ex Ecclesiasticis Eusebium, Diuum Hieronymum, Rufinum, Prosperum, Socratem, Theodoretum, Sozomenum, Cassiodorum, Theodorum, Euagrium, & Nicephorum hoc loco omittendos censeo, & in alias classes reijciendos; quod aliam exquirant dicendi rationem. Cum illi, & si multa ad Historiam Romanam pertinentia scribant, id tamen sic agunt, vt in ea incurrisse potius, quam narrare instituisse videantur: Hi vero res Ecclesiasticas magis conscribentes, Romanas minus diligenter prosequuntur. De quibus etiam, vt de superioribus feci, grauissimorum hominum iudicium propediem ad te mittam.

✠

DE

DE ROMANÆ HISTORIÆ

Scriptoribus

EXCERPTA

A'

BALTHASSARE BONIFACIO

Ex Bodino, Voſſio, alijsque.

Digitized by Google

HEROI MAGNO, ET Musarum parenti, DOMINICO MOLINO.

Balthassar Bonifacius S. D.

Quadraginta rei Romanæ scriptorum elenchum, iussu tuo, Domine, confeci. Ædificium, mole quidem exiguum, non tamen sine ingenti labore, atq; industriæ summa ad fastigium perductū. Restabat, vt tuo nomine inscriberetur, statimq; ingredientibus Genius tuus proforibus præsto esset, qui bonos tutò deduceret, malos aut ingressu, aut obtrectatione prohiberet. Tibi verò potissimum Historici debebantur, qui omnes propemodum Historicos rectè factorum tuorum narrationibus defatigas. Cygnos tibi offerre æquum erat, qui inter Cygnos natus, atq; educatus, non modò ipse cygneum canas, sed alijs quoque suauem cantionem inspires. Nam quod Philostratus de Apollonio suo speciosè mentitus est, id ego de te, nostro Apolli-

ne, dicam verè, à Cygnorum choro tuos esse natales exceptos, & magna hilaritate concelebratos, felicibus quibusque auibus applaudentibus. Nempe is futurus eras, vt tuis auspicijs, & si quis natura abhorreret à Musis, vt Euripides inquit, elegans subitò, atq; eruditus euaderet. Mirabuntur fortasse, qui hæc nostra legerint, me, tanquam bombylium, inani susurro ausum esse obstrepere suauissimis antiquorum occentibus; eosq; in ius vocare, qui, iamdudum inter Diuos recepti, ab omni humana censura putantur immunes. Sed enim viam insliti, quam præiuit Sigonius, quamq;, autoritate tua stratam, & munitam, ipse mihi indicasti. Quod si ego hisce Viris iudicandis longè à scopo aberrauero, tuum erit, Domine, collimare, & vmbonem ipsum attingere, Vt contrà si quis sentiat, nihil sentiat, *quemadmodum eleganter dixit Sedigitus.*

Vale. Tarvisio V. Non. Octobr. MDCXXVI.

DE

DE ROMANÆ HISTORIÆ SCRIPTORIBVS EXCERPTA

Æ BALTHASSARE BONIFACIO Ex Bodino, Vossio, alijsque.

I.

POLYBIVS, Lycortæ filius, natione Arcas, patria Megalopolitanus, gente Patritius, quadraginta voluminibus non Romanorum solùm, & si horum in primis, sed simul aliarum Orbis gentium res gestas complectitur; quamobrem Historiam suam Catholicam vocat. Ex omnibus Polybij scriptis, quinque priores libri integri ad nos peruenerunt primum; reperta deinde fragmenta duodecim librorum sequentium; legationes item ex omnibus historiarum libris collectæ: preciosa me Hercules analecta, ac inter cimelia, non sine quadam veneratione, asseruanda: quibus docemur, cur nam Romani post clades à Pœnis acceptas emerserint, & ad summum potentiæ fastigium peruenerint; Quomodo instituendus optimus imperator, & quibus artibus in primis instructus esse debeat: Quo pacto signa per faces dare maximè oporteat: Qua ratione potuerint Romani superare phalangem, quæ Macedonibus immortalis habebatur, eiusq; naturæ, vt vinci nequaquam posset. Damnatur Polybius impietatis, quod de religionibus nefariè scripserit. Quem scopulum, dum effugeret Liuius in

ſuperſtitionem impegit, hoc enim ferè comparatum eſt, vt dum vitia fugimus, in contraria curramus, quæmadmodum ſapienter dixit Horatius. Sed Liuius excuſatione dignior, quàm Polybius, videtur; propterea quod ſuperſtitione præſtat, quàm impietate contaminari, & falſam, quàm nullam habere religionem. Ex antiquis in hunc ſcriptorem genuinum fregit Scylax Geographus, aut Silographus potius, ex recentioribus Sebaſtianus Maccius, pædagogum ſubinde appellans, terræ filium, iactatorem, periautologon, vaniloquum, ambitioſum, oſtentatorem, extra rem non aliò digredientem, niſi vt de ſe prædicando gloriam ſibi compararet; denique præcepta Hiſtoriæ conſcribendæ nimis affectatè inſerentem, quibus ne ipſe quidem, qui ea tradebat, vſquequaque parucrit: Quod in eo vitium deprehendiſſe cum primis profitetur Patritius. Animaduerſores, vt ait Voſſius, non modò ſpiſſa, ſed etiam ſtolida inſcitia. Quis enim recti vir iudicij non exoſculetur tam benignam ſcriptoris indolem, qui duplici functus munere Hiſtorici, & Philoſophi, narret ſimul, & moneat? Scilicet Perotto viſus eſt vno in opere, & ſummus Hiſtoriographus, & Orator maximus, & optimus Phyſiologus. Teſtatur etiam Bodinus hunc inter meliores rerum geſtarum enarratores veriſſimum haberi, eſſe vbique ſui ſimilem, eruditum, grauem in laudibus parcum, in reprehenſionibus acerbum, ac, veluti prudentem legislatorem, & bonum Imperatorem, multa de militari, vrbanaq; diſciplina, multa de Hiſtorici officio diſputare; locorum verò, ac regionum deſcriptiones neminem veterum diligentius explicaſſe; magnamq; Europæ partem, oram Africæ, & Aſiam minorem, vt populorum mores obſeruaret, peragraſſe. Et nihil ſanè tam prope fuiſſe videtur, quam vt ipſe cum paucis ad boni Hiſtorici ideam proximè acceſſerit: Marcus enim Brutus, prudens rerum æſtimator, ac propterea ſubtilis adeo verborum penſicula-

tor,

tor, vt ne Cicero quidem ei satisfaceret, tanti Polybium fecit, vt, etiam vltimis atq; afflictissimis patriæ temporibus, partim ad solatium doloris, partim ad vitæ institutionem, non modò legeret studiosissimè, sed quæ ab eo fusius explicata essent, compendio constringeret. Hunc, vt egregiæ prudentiæ virum, reiq; bellicæ experientissimum Æmilianus Scipio domi, militiæq; secum habuit, vt docet Velleius, indiuiduum consultorem. Hic ille est, cuius solertia, quemadmodum scribit Ammianus, porta Chartaginis suffossa, captaq; ciuitas fuit. Hic ille est, qui ab Achiuis ad Ptolemæum Epiphanem in Ægyptum, ad Consules item Romanos in Thessaliam missus, honorificentissimis legationibus fungebatur. Hic ille est, qui coram spectauit cladem, atq; excidium Vrbis, totius Græciæ florentissimæ, cum bimaris illa Corinthus à Lucio Mummio diriperetur: Vt absq; vlla iactantiæ labe dicere potuerit cum Aenea Maroniano se narrare, quæ ipse miserrima viderit, & quorum pars magna fuerit. Nobis igitur nullam, quam ex eius vel doctrina, vel experientia capere vtilitatem possemus, inuidendam ratus, vno opere, vt diximus, prodere sui temporis Historiam, simulq; praxim tradere instituit ciuilis prudentiæ, tum eius, quæ in administratione reipublicæ versaretur, tum etiam eius, quæ ad militarem disciplinam pertineret; quibus duabus partibus ars illa Regia, quam politicen vocant, absoluitur. Quod ad dictionem Polybij attinet, Dionysius Halicarnassæus incuriam eius reprehendit, & minus accuratam verborum comprehensionem. Sed profectò nihil mirum est elegantiarum orationis parum solicitum fuisse Virum seriis rebus, & grauibus semper deditum, cui sufficeret efficacitas sententiarum, incorruptaq; veritas narrationis, quiq; non grauaretur eloquentiæ palmarium cedere Herodoto, ac Xenophonti. Quanquam dictionem eius non esse vsquequaq; improbandam, vel ex eo constat, quod Liuius, Hi-

storicorū difertissimus; integros ex eo libros propè ad verbū describat. Quem tamen noster hic parū candidè nullo alio dignatur encomio, quàm scriptoris non contemnendi; nisi id apud Liuium κατὰ λιπτοτα dictū intelligamus, quomodo Achilles Homero vocatur non infirmissimus Achæorum. Eadem propemodum parcimonia bonus auctor à Cicerone appellatur: Quem secutus Iosephus virum bonum nuncupauit: Strabo hominem grauem, & serium: Ælianus autem vno verbo plurimas laudes amplectens, virum multiscium: Velleius præcellentem ingenio virum. Denique Perottus gloriatur se egregiam, & luculentam præstantis, & sinceri scriptoris Historiam in lucem Latinam proferre, in qua cum magnitudine, ac diuersitate rerum gestarum splendor quoque verborum coniunctus est, & suauitas orationis quibusdam quasi luminibus sententiarum ita respersa, vt nemo res Romanas, vel verius, vel copiosius, vel maiore cum diligentia prosequatur. Sed Perotto longè eruditior Casaubonus, vt multo ampliorem, & castigatiorem nobis Polybium exhibuit, sic de incomparabili hoc auctore melius sensit, omnemque ex eo calumniæ maculam detersit; cum illud confirmare nequaquam vereretur, non posse aliquem neque Græcum inueniri, neque Latinum ex illo meliore seculo, ne dum e posterioribus, quem Polybius non aliqua legitimæ historiæ laude, aut etiam pluribus, antecedat. Quanquam verò dictio Polybiana duriuscula, & parum compta Dionysio censeatur, in serijs tamen, magnisque scriptoribus minus interdum culta dictio, non sine austeritate quadam, iuuat vt poma quædam sunt suauiter aspera, & in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat, quemadmodum Seneca eleganter dicebat. Nam quod ad notam impietatis attinet, atrocissimi criminis suspicionem à Polybio propulsauit Suidas, cum testaretur Fortunæ in Polybianis historijs nullum esse locum, & Diuina prouidentia cuncta

cta mortalium administrari. Non deest, sed non eminet in Polybio facundia; nihil vero est iniquius illis, qui nullam putant esse eloquentiam, nisi vbi nihil est præter eloquentiam. Sed facultatem dicendi in auctore tam graui laudatum ire par fuerit iniuriæ; qui vt orationis delicijs, & verborum amœnitatibus vni, aut alteri historicorum fortasse est inferior, ita ciuili prudentia, solida doctrina, rei Castrensis peritia, sincera fide, exquisito iudicio, grauibus sententijs, imperatorio quodam stylo, & proprijs alijs historiæ, omnibus numeris perfectæ, dotibus sic excellit, vt pauci e cunctis, siue Græcis, siue Romanis, cum ipso mereantur componi, anteponi certè nullus. Idque profecto Constantinus Imperator fassus est non tam verbo, quam facto: Cum enim in suum pandecten historicum, e Diodoro, Dionysio, Iosepho, Dione, & alijs primæ notæ scriptoribus pauca admodum seligeret, Polybium penè totum descripsit, atque operi suo inseruit. Vtinam verò illi Augusto eius incæpti nunquam venisset in mentem, ea quidem lege, vt integro hoc scriptore frueremur, aut corpus illud saltem ab eo confectum haberemus. At sic erat in fatis, vt ex Græcis Imperatoribus, luctuosa litterarum clade, alius Iurisconsultos, alius Historicos nobis eriperet, vt pro Papinianis Bartholos, pro Polybijs Zonaras legeremus.

II.

CAIVS IVLIVS CÆSAR, culmen humani ingenij, naturæ conatus vltimus, monstrumq; vt eum Cicero vocat, omnibus admirandum; nam quid attinet Homero primas cum Plinio decernere, cum de Cæsare nihil ferè dici possit, quin de omnium laudibus quippiam detrahatur? Scriptor est purus, & elegans, in verborum structura accuratus, ac omnino placidi instar fluuij pro-

cur-

currens, politicus quoque, & grauis sententijs, quo Xenophontem excellit, cæteroqui ei non dissimilis multum. Scripsit Commentariorum de bello Gallico libros septem, de Ciuili tres. Marci Tullij de ijs iudicium est per quam celebre: Nudi sunt, inquit, recti, & venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste, detracto: Sed dum voluit alios habere paratum vnde sumerent, qui vellent scribere Historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa volent calamistris inurere; sanos quidem homines à scribendo deterruit; nihil est enim in Historia pura, & illustri breuitate dulcius. De eisdem Hircius prædicat in hæc verba, Tullianis propè gemina: Adeo probantur omnium iudicio, vt prærepta, non præbita facultas scriptoribus videatur: Cuius tamen rei maior nostra, quam reliquorum est admiratio: Cæteri enim quam bene, atq; emendatè, nos etiam quam facile, atq; celeriter eos perscripserit, scimus. Dolet meritò Vossius studiosæ iuuentutis vicem, quæ satis infrequens est in nobilissimo, atq; adeo diuino hoc scriptore: Aut si quibus in manu sit, haud alius cuiusquam rei legitur gratia, quam ob eximiam Romanæ linguæ puritatem, verborumq; proprietatem summam; cum ex eo tamen haurire sit preciosam pulcherrimarum rerum supellectilem. Porrò si quid in eo culpandum videtur, hoc vnum illud fuerit, quod in his, quæ iure optimo verterentur ei vitio, non satis interdum veritati litauerit: Nam & Asinius Pollio parum diligenter, parumq; integra fide Commentarios conscriptos putat; Cum Cæsar pleraque, & quæ per alios erant gesta, incautè crediderit, & quæ per se, vel consulto, vel obliuione, perperam ediderit, quemadmodum testatur Tranquillus. De Cæsare Dictatore, quod ad eius scriptionem attinet, hæc sunt ferè, quæ apud clarissimos auctores reperiuntur elogia. Cæsar habet peracre iudicium, ait Cicero, & splendidam quandam minimeq; veteratoriam rationem dicendi tenet.

Facit

Facit eum Tacitus summis oratoribus æmulum. Vocatur ab Hircio præcellentis ingenij, sermonisq; præter alios castissimi. A Valerio Maximo humani ingenij perfectissimum columen. Ab Aulo Gellio grauis auctor linguæ Latinæ. Ab eodem rursus excellentis ingenij, & prudentiæ vir. Denique Fabius Quintilianus hoc illi reddidit testimonium: Caius Cæsar si foro tantùm vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur, tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cuius propriè studiosus fuit, elegantia. Neque immerito Cæsar vocatur à Plinio inter mortales animi vigore præstantissimus, scribere nanque, & legere simul, dictare, & audire solitus erat; epistolas vero quaternas pariter, & septenas librarijs dictare. Casaubonus Iulij Cæsaris Commentarios diuinum opus, & maximarum, atque vtilissimarum rerum doctrina fœtum nominauit. At Paulus Manutius tanti scriptoris hoc ferè texuit encomium: Eminet inter omnes, primumq; sibi dignitatis gradum Caius Cæsar iurè vendicat; nam, & vixit qua plurimum ætate, Romæ floruit eloquentia, & coluit ipse eloquentiam præter cæteros. Rebus vero gerendis non interfuit modo, verum etiam præfuit; quo factum, vt vsum quoq; qui valet in scribenda Historia multum, cum doctrina coniunxerit. Præclari illius Commentarij, quibus nihil habent perfectius Latinæ litteræ, se non solum omnibus omnium Historijs æquare, verum anteferre etiam videntur. Breuitatem scimus in oratione magnam esse laudem, cum eo tamen si vitetur obscuritas, facilè enim, cum illam sequimur, in hanc incidimus, quod in Thucydide vitium Marcus Tullius notauit. At Cæsar, cum breuitatem maximè omnium adamauerit, ita tamen pressus est, vt eodem nihil fieri possit illustrius. Propriè loquitur, & significanter, & ornamentorum tantùm habet,

bet, quantum in exponenda re decet: nam elaboratam studiosius orationem, nimiaq; exultam elegantia prudentium aures non modò in Commentarijs, verum in Historia quoque respuunt.

III.

CAIVS SALLVSTIVS CRISPVS, rerum Romanarum, vt de eo cum Tacito sentiam, florentissimus auctor, confecit Historiam ab Vrbe condita, quæ deperijt, nec iam supereſt integrum quicquam, præter bellum Iugurthinum, & Catilinæ coniurationem. Dictionem eius omnes antiqui existimant breuem, ac neruosam esse, & Thucydidis æmulam, ita enim censuit Velleius. Scriptor est inter Latinos planè Atticus, qua laude Demostheni propior est, quam Cicero ipse, ex Adriani Turnebi sententia. Sed vt Thucydidem multi reprehendunt, ita Sallustium non omnes probarunt. Nam Asinius Pollio notat eius obscuritatem, & audaciam in translationibus, & nimiam priscorum verborum affectationem, quod dedita opera obsoletas voces ex Catonis originibus exerperet. Quamobrem a Valerio Probo apud Gellium vocatus est nouator verborum, quod scilicet vetera, & iam desita verba recentaret. Exploduntur à Fabio principia, & proœmia Sallustiana, vt nihil ad Historiam pertinentia, nimisq; insulsè lamentationum, & querimoniarum plena. Trogus autem Pompeius in Sallustio reprehendit, quod conciones directas, atq; orationes longas operi suo inserendo, Historiæ modum excesserit. Senecæ vero in Sallustio displicuit obscura breuitas, amputatæ sententiæ, & verba ante expectatum cadentia. Sallustium Adrianus Cæsar adeo nihili fecit, vt ei Cæcilium prætulerit. Flauius item Vopiscus, cum nimis vniuersim neminem scriptorum, quantum ad Historiam pertinet, non aliquid esse men-

mentitum affirmet, Sallustium nominatim ignominia notauit. Vitandam oratori præcipit Fabius Sallustianam breuitatem, & abruptum sermonis genus, quod ociosum fortasse lectorem minus fallit, properantem transcurrit, audientem transuolat; quamuis hoc qualecunque est vitij, in ipso virtutis locum obtinuisse fateatur. Cui subscribens Macrobius, in genere, inquit, dicendi copioso. Cicero dominatur, in breui Sallustius regnat. Quibus gemina sunt verba illa Apuleij: Nec opulentiam requirit Cicero, nec parcimoniam Sallustius. Crinitus vero, Est, inquit, eius oratio tam absoluta, tam casta, & innocens, vt merito ab eruditis diuina breuitas censeatur. Sed & Fabius ipse alio loco fatetur oratione eius, ac breuitate nihil audiri posse perfectius, præsertim apud vacuas, & eruditas aures. Neque immerito vocatur ab Aulo Gellio Sallustius subtilissimus breuitatis artifex. Constat porro ex veterum commentarijs hunc ingenio fuisse acri, & in studijs litterarum accurato. Itaque à Vibio Sequestre auctor certissimus nuncupatur: Et ab Aurelio Augustino veritatis nobilitate donatur. Et quidem certè optima fide, & perquam sedula diligentia videtur Historiam composuisse, Fertur enim in partem operis, cum de rebus Punicis ageret, tanto studio incubuisse, vt regiones Africæ adierit, & maxima solertia perlustrauerit, quo maiori solicitudine veritatem exploraret. Neque vero multum eius gloriæ luminibus obstruxisse arbitramur criticorum, vel calumniam, vel inuidentiam: Nam, vt Gellius testatur, quanquam multi non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque, & obtrectare, plura tamen inscitè, aut malignè vellicant: Neque impedire potuerunt quo minus doctissimorum corda, vt inquit Martialis, diuinarent Sallustium in Romana Historia Principem fore: Quos inter Bodinus Sallustium integerrimi scriptoris, liberi in iudicando, magnarumq. rerum vsu præditi nominibus decorauit.

rauit. A Stoicis nescio quibus vapulauit Sallustius, quod cum alienæ luxuriæ grauissimus esset obiurgator, & censor, cumq; Metellum Pium sugillaret, quod, præter suam, & populi Romani dignitatem, & modestiam, conuiuijs in Hispania, omnique luxu vteretur; postea vero ipse deprehensus in adulterio, loris benè cæsus, pœnas incontinentiæ dedisset; cumq; opibus præter modum affluaret, hortos illos, deliciarum suarum conscios, quorum vestigia adhuc Romæ cernimus, omnibus amœnitatum generibus instruxisset, doctrinamq; suam factis funditus euertisset; & is profecto videtur Casaubono Sallustius fuisse, qui, omnium libidinum seruus, sic aliorum vitijs perpetuo irasceretur, quasi inuideret. At nos huiusmodi, veluti scopulos præteructi, in historicorum scripta; non in mores, inquirimus.

I V.

DIODORVS, AGYRIO, Siciliæ oppido, oriundus ætate Cæsaris vixit, vt ipse non semel de se testatur. Longæuus tamen fuit, & ad medium vsque Augusti principatum superauit. Vniuersalem Historiam, quam Bibliothecam inscripsit, quadraginta libris absoluit: Quorum sex primi, vt ipse in sua præfatione docet, continebant res ante bellum Troianum gestas, easque, quæ fabulis proditæ fuerant, tum Barbaricas, tum Græcanicas vetustates. Vndecim vero sequentibus res vbique locorum gestas, a bello Iliaco ad Magni Alexandri excessum comprehendebat. Denique tribus, & viginti posterioribus libris descripsit quicquid relatu dignum contigerat vsq; ad initium belli à Romanis aduersus Gallos suscepti, quo Caius Iulius Cæsar, cui magnitudo factorum, & supra mortalem potentia, Diui nomen perperere, pugnacissimis gentibus debellatis, Imperium Latinum ad Britannicas

tannicas vsq; insulas prolatauit. Nunc de tanto opere vix quindecim extant libri, paucaq; ex Photio, alijsq; collecta. Et quo maior iactura esset, periere simul Berosus, Theopompus, Ephorus, Philistus, Callisthenes, Timæus ex quorum lucubrationibus assiduo triginta annorum labore Historiam suam Diodorus congesserat. Hunc Rhodiginus meus fabulosum scriptorem appellat: Cui Viues astipulatur, nihil eo fuisse nugacius affirmans. Hi vero de Historia ipsa loquuntur; nam de titulo Plinius, cum reprehenderet alios, qui magnificis, atq; ampullosis inscriptionibus, propter quæ vadimonium deseri posset, quæq; vel lac Gallinaceum pollicerentur, insaniebant, Diodorum autem, qui purè, & simpliciter Bibliothecam inscripserit, putaret primum inter Græcos desijsse nugari. Quod autem Diodorus in Theopompo redarguit, ex libris octo, & quinquaginta, quinque esse, quorum dubia sit fides, id in eum poterit retorqueri, non iniusta, vt plerique aiunt recriminatione: Nam ex quadraginta Diodori libris, quinque priores toti perè ex fabulis conflati videntur. Sane multa sunt errata Diodori in supputatione olympiadum, & Romanorum magistratuum appellatione; quo nomine à Bodino, Sigonio, Pighio, sæpe numero vapulauit. Cæterum ipse se purgat Diodorus, qui priores illos Historiæ suæ libros vocat enarrationes veterum fabularum neque enim diffitetur prisci temporis Historiam fabulis esse permistam, neq; omnino vera esse, aut credibilia putauit, quæ de Heroicis temporibus memorantur: sed tamen satius esse duxit, quomodocunque res priscas nosse, quam eas penitus ignorare. Nec certè negare possumus magnam fuisse huius auctoris industriam, & studium veritatis, quo incensus longinquas peregrinationes per Asiam, atq; Europam suscepit, nullis periculis territus, nullisq; laboribus fractus, quo minus loca ipsa lustraret, de quibus scripturus esset. Quam quidem ob diligentiam com-

mendatur in primis non modo ab ethnicis scriptoribus, sed etiam à Iustino Martyre, atq; Eusebio Cæsariense: Qui tamen illud explosione, ac sibilo excipiunt, quod interprætatus est annos fuisse Lunares, cum homines annos mille aliquando viuerent, quasi vero non etiam num longeuus quisque mille mensibus, hoc est octoginta annis, viuat, vt interim transeam, quam liquido appareat ex libro Geneseos annos illos fuisse Solares. Dictionem Diodori carpit, atq. arrodit Bodinus, qua nihil magis vulgare dici possit, repræhenditq. eos, qui Diodorum Appiano anteponunt, cui ne conferendus sit quidem, siue dicendi genus, siue rationem Historiæ spectent. Sed vir multo acrioris iudicij Photius Patriarcha Diodorum ait vsum esse dictione perspicua, nec nimium ornata, sed Historiæ maximè consentanea, neque affectare puram putam Atticam elocutionem, sed neque deijci in vulgarem, & tritam dicendi formam, verum mediocri eloquentia gaudere. Illo quoque nomine laudandus videtur, quod illustrium in doctrinis virorum ætates solus, e veteribus ad Historiam adiunxerit: Quod inter neotericos nimis religiosè obseruauit religiosus vir Iacobus Philippus.

V.

DIONYSIVS ALEXANDRI filius Halicarnassensis, quem felici illo Augusti seculo floruisse inter omnes conuenit, orsus à vetustis Aboriginibus, & priscis Italiæ incolis pertexuit Historiam vsque ad primum bellum Punicum, eò desinens, vnde Polybius inceperat: Opusq; suum Romanas antiquitates inscripsit: nisi is titulus proprius sit priorum duntaxat librorum, quos ante cæteros, vt præliminares, atq; isagogicos, ceu promulsidem quandam lecturis prægustandos proposuit. Ex libris viginti, quos à Dionysio constat fuisse scriptos, vndecim

extant,

extant, quibus peruenit vsq; ad ablatam Decem viris dominationem, militarium tribunorum potestatem abrogatam, & consulatum Patribus restitutum anno Vrbis Conditæ CCCXII. Nec bonus tantùm Historicus fuit, sed etiam Rhetor disertus, & Criticus nobilis; quod ostendunt opuscula eius, quæ supersunt, à Theodoro Gaza in latinum conuersa, de characteribus antiquorum oratorum, de compositione orationis, de epithalamijs, epitaphijs, panegyricis rectè conficiendis; quorum gratia cum optimis artis dicendi præceptoribus numeratus est à summo illius artis magistro Quintiliano. Eam illi laudem Scaliger tribuit, quod accuratius, ac, vt ita dicam, religiosius tempora nemo obseruauit; & præcipua quidem est laus hæc in Historia, quæ dicitur esse lux temporum. Liuio quoque in ea parte præfertur, quòd plura, quàm ille scribat, & diligentius enarret, quæ ad Romanas antiquitates pertinebant. Bodinus multo, & verius, & melius Dionysium scripsisse autumat, quàm Fabium Sallustium, Catonem; eaq; diligentia vsum, vt Græcos omnes, & Latinos superasse videatur: nam quæ Latini, quasi peruulgata, neglexerunt, sacrificia, ludos, triumphos, magistratuum insignia, censum, auspicia, comitia, totiusq; populi difficilem in classes, ac tribus partitionem, Senatus auctoritatem, iussa plebis, magistratuum imperia, populi potestatem, denique vniuersam Romanorum in gubernanda Republica disciplinam vnus omnium accuratissimè declarauit: Et quo maior ex eius Historiæ lectione vtilitas caperetur, Græcorum ritus, & mores cum Romanis institutis comparauit. Neque prætermisit leges Romuli, Numæ, Seruij, quæ sine hoc auctore nobis interuersæ fuissent: Hæc siquidem Latini scriptores, quasi æquè exteris, atq; ciuibus nota, ac perpetuò mansura, tacuerunt, quæ Dionysius, Plutarchus, Polybius, Dion, Græci omnes, diligenter pertractarunt. Quod si Historia Dionysij integra extaret, nihil

esset

esset, cur Varronis thesauros quæreremus; huic enim Dionysius, & præterea Pompeio, ac Tuberoni tanta fuit non solum beneuolentia, sed etiam familiaritate coniunctus, vt ab eorum colloquijs præclara omnia hausisse videatur. Laudant in eo peritiores Græci sermonis moderatum dicendi genus, atq; Atticam puritatem; nam stylus Dionysij, quemadmodum loquitur Photius, est καμπτριστὸς gratam videlicet, ac decoram habens nouitatem; orationis elegantia, per se culta, & suauis, rerum particularium narratione, & quibusdam iucundissimis digressionibus exornatur, quibus dictio quoque leniri poterat, quæ in asperitatem abijsset. Video quibusdam tædio fuisse Dionysij prolixitatem, longasq; in vtranq; partem disceptationes; qua tamen in re multo intemperantius peccauit Thucydides. Id verò Sebastiano Maccio visum est intolerabile, Dionysium suis armis conuinci, & cæcutire, qui facem alijs prætulerit, damnasse enim conciones in alijs, ipsum tamen tàm obliquas, & mistas, quàm etiam directas frequentare. Sanè quidem explosere quamplurimi Historiographos cócionabundos, vt à rei veritate aberrantes, fictæ enim sunt pleræque omnes huiusce modi orationes, ijsque legendis multum temporis frustra conteritur. Harum verò dissertationum euersores præcipui fuerunt ex recentioribus Franciscus Patritius, & Paulus Benius in Patauina Humanitatis Cathedra Collega meus: Quos tamen oppugnat Vir Græcè, & Latinè doctissimus Lugdunensis Batauorum Gymnasij miraculum, ex cuius vberrimis fontibus nostri, qualescunque riuuli deducuntur, Ioannes Gherardus Vossius, Artis Historicæ sectione vicesima, vbi omnium fermè vtriusque linguæ Historicorum exemplis conciones in Historia retinendas comprobauit: Primùm enim consilia, deinde acta, ac denique euentus, Ciceronis iudicio, narrare oportet: Consilia verò sine concionibus vix, aut ne vix quidem narrari possunt. Quare huius criminis pœna

na tu quoque, Domine, quasi adiecto Minervæ calculo, absoluis Dionysium.

VI.

TITVS LIVIVS PATAVINVS, lac Musarum, mare tranquillum, anima eloquentiæ, eorum, qui nunc supersunt scriptorum Romanæ Historiæ longè princeps, lactea quadam vbertate dictionis diuinitus facundus, amans virtutum, osor vitiorum, rectus iudicij, rerum togæ, rerum sagi, & si non ex vsu, neque experientia, egregiè tamen peritus, ab Vrbe Condita ad Diui Augusti æuum centum, & quadraginta libris diuinas illas lucubrationes perduxit, quarum tamen longè maximam partem, ingenti rei litterariæ iactura deperditam, nunquam fortasse inuenturi, desideramus; nec tanti operis reliquos habemus nisi quinque, & triginta libros. Solus hic mortalium dignus censetur, cuius propè inuicto calamo populi omnium gentium victoris res gestæ scriberentur. Neque sanè mirum videri potest sapientissimum Regem Alphonsum Aragonium summa ambitione, & conatu petijsse à Patauinis brachium huius viri, quo præclara illa commentaria descripsit. Nullius certè libri tam libenter, vt inquit Regius, nec tanta cum voluptate lectitantur; nimirum, quod mellea quadam dicendi suauitate exundare videtur; qua vel in quotidiano, & familiari sermone adeo polluisse vir ille traditur, vt complures, nobilitate, opibusque præstantes, tam admirabilis facundiæ fama permoti, ex vltimis Hispaniæ, Galliæq; finibus, quo eum audirent loquentem, Romam se se contulerint: Et, quod est maximè mirandum, quos tantæ Vrbis, ac tum præcipuè florentis, ac triumphantis, contemplatio ad se antea non traxerat, vnius viri eloquentia perduxit. Quo maior sit eorum insciti, qui Patauinitatem quandam in Liuio reprehendunt, quam dul-

disperream, si Asinius ipse, tam ridiculæ inuentor calumniæ, quid esset, sciebat. Dubitatum quidem semper est ab eruditis, pendetq; etiam num inexplicata quæstio de Liuiana Patauinitate; nonnullis existimantibus delicatum Pollionis Asinij palatum visum sibi fuisse aliquid in Liuio gustare, quod non vsquequaq; saperet genium Romani sermonis. Credentibus alijs hoc nomine peregrinitatem orthographiæ fuisse reprehensam; scribebat enim, vt ex lapidibus antiquis colligitur, *sibe*, & *quase*, pro *sibi*, & *quasi*. Quod primus, nisi fallor, obseruauit Laurentius Pignorius, alter Patauinorum Liuius, originum patriæ, atque adeo totius vetustatis solertissimus indagator. Contendentibus alijs eam Patauinitatem nihil aliud esse, quàm iterationem simul plurium in eisdem periodis verborum. Quibusdam volentibus studium partium Pompeianarum illam esse Patauinitatem ab Asinio notatam. Denique non paucis suspicantibus patriæ suæ, suorumq; ciuium laudes, parte operis iam deperdita effusè amplificatas, hac voce censeri. Senecæ Liuius creditus est fuisse ingenij magni magis, quàm boni. Bodinus accusat in Liuio dicendi varietatem, interdum enim valdè copiosus est, interdum verò concisus; contra quam fecit Polybius, sibi semper æqualis. Caius autem Caligula Maronis, & Liuij scripta, ac imagines, teste Suetonio minimum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amouerit, causatus alterum nullius ingenij, doctrinæq; perexiguæ, alterum verbositatis, & negligentiæ. Cæsar quoque Antoninus in suo illo pseudhodœporico exprobrat Liuio malam fidem, quod Thuscorum clarissimis rebus gestis inuiderit. Denique Glareanus Liuium bellicosæ Gallorum gentis egregia facinora odiosè tractare, virtutesq. illorum malignè eleuare conqueritur. Quibus apertè reclamat verendæ auctoritatis, & acris iudicij vir Cornelius Tacitus, cui Titus Liuius eloquentiæ, ac fidei præclarus in primis habetur. Sed nemo

de

de hoc melius iudicauit, quam Fabius Quintilianus, cuius illa sunt: Non indignetur sibi Herodotus æquari Titum Liuium, cum in narrando miræ iucunditatis, clarissimiq; candoris, tum in concionibus supra quàm enarrari potest eloquentem, ita dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommodata: Sed affectus quidem, præcipuè eos, qui sunt dulciores, nemo Historicorum commendauit magis. Plinius præfatione operis Liuium auctorem celebrem vocat. Seneca, sibi parum constans, disertissimum appellauit, tantæq. probitatis, vt liqueat eum sensisse, quæ scripsit. Marcus autem Annæus Rhetor asseruit illum fuisse natura candidissimum omnium magnorum ingeniorum æstimatorem. Philippus Comminæus Liuium existimauit esse Latinorum Polybium, omnibusq; senatoribus, & rerum publicarum gubernatoribus perlegendum. Isaacus Casaubonus ad Liuium transtulit illud Senecæ Rhetoris de Oratorum principe encomium, Populum Romanũ huius vnius ingeniũ par imperio suo habuisse. Et quidem certè adeo visus est nonnullis cum Cicerone conferendus, vt non dubitauerint affirmare, Ciceronem ipsum, si ad scriptionem historiæ totam illam vim forensis facundiæ conuertisset, futurum fuisse Liuio nostro aliquanto inferiorem.

VII.

MARCVS VALERIVS MAXIMVS, est à nobis diligenter excussus Satyris nostris Epistolaribus, cum ad Ioannem Mariam Vantum de eo referremus, & plurimam anistoresiam, multosque anachronismos in eo deprehendimus: Quos quidem errores singillatim hìc recensere aut omninò superuacaneum esset, aut certè ab instituto propositæ breuitatis alienum. Dictio parum Latina aut saltem non satis pura, & ab illo, quo floruit æuo in-

tempestiuè degenerans. Quanquam neq; bonis illis temporibus omnes æquè benè, ac tersè locutos probabile est, præsertim Cicerone testante, receptis in Ciuitatem tot exteris, barbarisq; nationibus, infuscari cæpisse natiuum illum candorem sermonis Romani. Neque in hoc sanè auctore inueniri facilè poterit aut armonia Liuianæ facundiæ, aut grauitas Sallustianæ maiestatis, aut vis Cæsarianæ efficacitatis, aut sincera Taciti fides, animosa libertas, & ciuilis prudentia. Sed pro hisce virtutibus intercisa, obscuraq; breuitas, tragicæ exclamationes, affectata vehementia, seruile ingenium, adulatio tam profligata, vt in superstitionem, atq; idololatriam sæpe numero erumpat. Gnomas, quas Græci vocant nimis curiosè perquirit, ea religione, vt nunquam fine sententiola claudat exemplum. Primus in Historiam poeticum inuocandi morem inuexit, quem postea secuti sunt Græculi, ad assentationem natura potius creati, quàm arte compositi. Et certè poetico magis, quàm Historico fuit Valerius ingenio; multoq; vtilior videtur eius lectio futura epigrammata modulantibus, quàm res gestas scribentibus, est enim acutus, & multo sale respersus, pressus idem, & confertus, vt propterea valdè sit illis proficuus, qui compendia temporis quærunt, quiq; multis occupationibus distracti breuia quædam momenta, & subcisiuas horas lectioni dare vix possunt: multa enim paucis verbis complectitur, & pulcherrimum medius fidius ex immensis Historiæ Romanæ viridarijs florilegium decerpsit: quanquam ne illud quidem vndecunque perfectum; multa siquidem negligenter omisit animaduersione dignissima, quorum notitia multumsanè posteris erat profutura.

VELLE-

VIII.

VELLEIVS PATERCVLVS, siue ille Mareus, siue Publius, siue Caius nomine censeatur, persimilis est ingenio Valerij, nam vterque ad suorum Principum assentationem affabrè facti, reliquos omnes longo interuallo sibi inferiores excelluerunt. In eodem planè ludo videntur docti, & Dominis suis supparasitari potius, quàm Historias scribere. At Velleius, qui, præter liberalem educationem, magistratus, & honores maximos domi, ac militiæ gessit, multo est facundior, & in ipsa rerum gestarum narratione porrectior, atq; iucundior; eius enim elocutio planè Romana, atq; elegans, qua nihil purius, & suauius, si Bodini auribus vtimur, fluere potest, miram affert legentibus voluptatem. Quædam etiam habet Velleius, quæ haud alibi inuenias: nam Romanas antiquitates ab vltimo principio tanta breuitate, ac perspicuitate comprehendit, vt nemini secundus esse videatur. Laudes etiam illustrium virorum egregia quadam oratione, & magno viro digna commendare solet. Inuidit tamen damnosa vetustas huius auctoris gloriæ, nostræq; vtilitati, magna enim pars desideratur eius Historiæ, quam ipse floridam hercle, atq; amœnam consarcinauerat. Id verò non prorsus laudauerim, quòd non pauca inseruerit, quæ ab instituto suo videbantur aliena. Præter duos libros Historiæ Vellejanæ, quos imperfectos habemus, fragmentum eiusdem auctoris attulit primus Conradus Abbas Vrspergensis, quamuis Volfangus Lazius illud se recens inuenisse glorietur. Quo quidem fragmento cladem exercitus Romani in Norico ab immani barbarorum multitudine acceptam commemorat, & legionis diuinæ eam ad vnum internecionem, vt ne nuntius quidem tantæ stragis superfuerit, præter Caium Verrem, Tribunum militum, qui solus,

amne transmisso, in proximis paludibus se se occultans, honestam mortem subterfugit; nec multo post Siciliæ Proconsul immani auaritia turpem mortem promeruit, cos, atq; ignarum Tullianæ vehementiæ. Sed fragmentum hoc, vti fictitium, atq; adulterinum, Velserus, & Vossius explodunt.

IX.

CAIVS PLINIVS SECVNDVS iure optimo inter Historicos recensendus videtur, non tam ob admirandum illud opus Historiæ Naturalis, quàm ob Romanas Historias, quas, Plinio Cæcilio teste, religiosissimè scripsit. Quòd si testem domesticum suspectiorem habemus, Tranquillum Suetonium audiamus, qui bella omnia, quæ vnquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus eum compræhendisse confirmat. Vir fuit solidæ doctrinæ, multiiugæ eruditionis, ingenij rerum omnium capacis, memoriæ supra miraculum grandis, infinitæ lectionis, & scriptionis: Nam, vt ait Cæcilius, nihil ferè legit, quod non excerperet, nihil ferè excerpsit, quod non digereret: Tam assidui, pertinacisq; studij, vt vel in balineo, dum destringeretur, audiret aliquid, aut dictaret. In itinere, quasi solutus cæteris curis, huic vni vacabat, vt meditaretur, atq; componeret. Igitur ad latus eius notarius cum libro, & pugillaribus semper hærebat. Sella plerunque vehebatur, interim legens, ne, spatiatum eundo, studium tantisper remitteret. Quamobrem nepotem suum aliquando valetudinis gratia conspicatus deambulantem; Poteras, inquit, has horas non perdere: Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studijs non impenderetur. Quis igitur ex istis, qui tota vita litteris assident, chartisq; impallescunt, collatus huic viro, non, quasi somno, & inertiæ deditus, erubescat? Erat illi, inquit idem Cæcilius,

acre

acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia? Quibus artibus effecit, vt paucis admodum vitæ annis tam multa scripserit, vt plura his ne trisecli senex ille Nestor congesturus fuisse videatur; esse enim desijt sexto, & quinquagesimo ætatis anno, quo Caius quoque Cæsar, Thomas, & Bonauentura, Theosophorum apices, Fabius Bonifacius, auus meus, optimus Iurisconsultus, bonus coniector, nec poeta malus, ac tempestate nostra Tassus, & Marinus, Italicæ poeseos sine controuersia principes, obiere. Plinio, tanto viro, oblatrarunt caniculæ quædam, à quibus fascicularium facere insimulatur, pleraq; ad verbum exscribere, nihil de suo adijcere, cuncta olfacere, nihil degustare, omnia deglutire, nihil decoquere, sibi ipsi diffidere, veteres iniuria reprehendere, magorum superstitionibus esse inquinatum, mendaciorum gazophylacium, rerum naturæ imperitum, medicinæ ignarum, denique Hydram fallaciarum, & Oceanum errorum appellant: Immò etiã benè grande volumen scripsit in eum Nicolaus Leonicenus; nec erubuit viri reuerentia, nec timuit illius tituli inuidiam: *De erroribus Plinij*. Si tamen se Plinianæ gloriæ luminibus obstruxisse tenebriones isti arbitrantur, ne illi vehementer errant, aut delirant potius; nam Historiæ Naturalis opus diffusum, & non minus fortasse varium, quàm ipsa Natura, perennabit cum ipsa Natura, idemque vtriusque erit interitus. Densus, & strictus, & succi plenus est Plinius nihilominus quàm Seneca, ideoque curtus, atque succisus; vt de vtroque videatur dici rectè posse, quod de altero dictum est, calcem esse absque arena, aut parietem potius absq; cæmento; plures enim in vtroque sunt propè sententiæ, quàm verba, multaq; simul effata singuli versus comprehendunt. Plinium Gellius affirmat ingenij, dignitatisq; gratia temporibus suis auctoritate magna fuisse præditum, ætatisq; suæ doctissimum appellatum. Budæus auctorem rerum om-

omnium memorabilium, æstimatorem acutum, & admiratorem disertum: Alij iudicem ingeniorum summum, litterarumq; antistitem appellarunt. Illud autem Eusebij de Plinio iudicium apud Macrobium, genus dicendi pingue, & floridum putantis, in quo Plinius Secundus quondam, & nunc nullo veterum minor Symmachus luxuriatur, vtrum iuniori Plinio, quàm seniori magis aptetur, viderint eruditi. Ego interim neutri conuenire statuerem, nec putarem melius alterutri posse accommodari, quam iugum equis, aut bobus ephippia.

X.

PLVTARCHVS, natione Bœotus, Patria Chæronensis, sacerdos Apollinis, vixit sub Vespasiano, Tito, Domitiano, ac Nerua, sed præcipuè floruit sub Traiano, à quo non solùm est missus in Istriam præfectus, sed Consulari etiam dignitate est ornatus, cuius quidem nondum Cæsaris, sed clarissimi tum quoq; adolescentis, magister fuit. Vir, vt ait Vossius, vndecunque doctissimus; idem Philologus, Philosophus, & Historicus summus, exactam enim, altamque trium harum disciplinarum peritiam scripta eius vndique spirant. Himerius apud Photium oratorem etiam, & quidem disertissimum vocat. Par ferè est Plutarchus Dionysio in Romana antiquitate diligenter tradenda, eruenda, scrutanda, enucleanda. Miramur in eo liberum de re quaque iudicium, vt non tam Historicus, quàm censor Principum videatur. Ita enim sentit Bodinus, siquis idoneus est ciuilium, & militarium rerum arbiter, aut Plutarchum esse, aut neminem: Quid enim hunc virum latere potuit, qui ad summum sapientiæ studium, rerum quoque gerendarum vsum adiunxerit? Bellorum causas, initia, progressus, offensiones, victorias, non aliter ac bonus imperator, adamussim exponit,

&

& se maximè intelligere ostendit quæcunque alijs intelligenda exhibebat. Illud tamen censoria dignum est nota, quòd Græcos quidem cum Græcis, Romanosq; inter se bona fide comparauit, Græcos verò cum Romanis non item. Idque facile intelligi potest ex comparatione Agesilai cum Pompeio, Demosthenis cum Cicerone, Aristidis cum Portio, Pelopidæ cum Marcello. Interdum etiam in Romanorum antiquitate explicanda labitur, quod in homine Græco, qui se linguam Latinam non satis callere in vita Demosthenis confitetur, mirum videri non debet. Male quoque denario drachmam, libræ minam æquauit in vita Fabij, & Antonij, id quod Budæo magnam præbuit errandi occasionem; nam his quasi fundamentis malè iactis plurima ædificij moles superimposita collabescit. Neque verò possum dissimulare dictionem Plutarchi, grauem quidem esse, sed duriusculam videri. Cæterùm leuem hunc defectum multiplici adeo scientia summus vir supplet, vt nihil nobis, quod amplius desideraremus, feciſſe reliqui videatur. Complura scripsit, & omnia quidem sesamo, ac papauere condita, aut respersa, quibus vix quicquam sit, vel ad legendum suauius, vel ad intelligendum subtilius, vel ad noscendum iucundius, vel ad discendum vtilius. Ipse enim, veluti gladius quidam Delphicus, pluribus simul vsibus est accommodatus, vnus instar omnium scriptorum. Quippe ex eius libris, tanquam ex vberrimo, omniumq; bonorum refertissimo penore, aut Copiæ cornu, pulcherrima quæq; & scitu dignissima licet depromere. Hic, præter ethica opuscula, & physica, & historica, scripsit etiam lectissimorum vitas, tum ex Græcis, tum ex Latinis, qui armis, aut litteris enituerunt, aliaq; multa, quæ, magno reipublicæ litterariæ detrimento amissa, desiderantur; quorum nonnulla ipse citat, non pauca à Gellio, Philopono, & alijs proferuntur. Indicem autem paternarum lucubrationum Lamprias Plutarchi filius

lius texuerat, qui pariter perijt, vt ne argumenta quidem adinuentionum fœcundissimi ingenij potuerint ad nos peruenire. Editus tamen est non ita multo ante catalogus operum Plutarchi, quæ perierunt; qui vtrum sit germanus ille, quem Lamprias confecerat, critici viderint. Bœotæ olim malè audiebant ab insciti, vel potius stoliditate; vt quencunque maximè brutum, atq; indocilem, Bœotum in crasso iurarent aere natum, vt ait Flaccus, & suem Bœoticam, pro homine crasso, ac rudi, prouerbialiter vsurparent. Cæterum cœleste illud Plutarchi ingenium, & mens e puro æthere constans, popularium suorum maculam diluit. Sugillant quidam Plutarchum, vt liuidum, quippe qui in Herodotum nimis hostiliter genuinum fregerit, quiq; in celebrandis illustrium virorum virtutibus, Græcis suis nimium faueat. Nec desunt, qui sinceritatem in Historia desiderent, cum ille interdum à reliquis dissentiat, vt maxime ex Coriolano videre est, si cum Liuio conferatur. Nonnullis etiam displicuit vana eruditionis ostentatio, qua vitas suas fecit interpoles, dum philosophica quædam minus necessaria, poetarumq; dicta & veterum sententias identidem intermiscet, vt propterea dictus fuerit ambitiosus ab Asulano. Verum enim verò non est adeo compescenda scriptorum libertas, & quibusdam veluti pedicis adstringenda, vt nullæ omninò egressiones magnis ingenijs sint indulgendæ. Illud certè constat, Plutarchum grauis fuisse auctoritatis, atque inter Græcos doctissimum fuisse à Gellio vocatum: Eruditissimum quoque, & prudentissimum fuisse appellatum à Rhodigino meo, viro cum primis in iudicandis, atque excutiendis auctoribus versatissimo.

CAIVS

XI.

CAIVS CORNELIVS TACITVS, vt politicis omnibus amicissimus, ita lauernionibus est quibusdam inuisus, quòd de generis humani assertore CHRISTO impiè loquatur, quodq; Martyribus insultans, eorum sanctissimam religionem vocet exitiabilem superstitionem, odioq; humanarum gentium conuictos, quæsitissimis pœnis meritò affectos putet, gratuleturq; pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, atque, vbi defecisset dies, pice, & resina perfusi, in vsum nocturni luminis vrerentur. Quodq; Mosis miracula, & ritus, & cæremonias irrideat, profanaq; omnia fuisse Iudæis astruat, quæ Romanis sacra, rursum concessa illis, quæ Romanis incesta, Quodq; illum aut credere, aut scribere non pudeat Iudæos asini agrestis effigiem, quo monstrante errorem, sitimq; depulerant, penetrali sacrasse. Quò videtur etiam respexisse Iuuenalis, cum diceret, quosdam, metuentem Sabbatha patrem sortitos, nihil adorare præter nubes, & Cylli numen; ita enim Cylli, non Cœli legendum puto. Quem verò non misereat Claudij Verderij, qui, cum se auctorum penè omnium censorem profiteatur, eam, quam modò ex Tacito historiam retulimus, per inscitiam linguæ perperam intelligendo, Tacitum affirmarit scriptis consignasse asininum caput à Christianis coli? Huius factionis hominibus Budæus videtur assensus, cum omnium scriptorum sceleratissimum Tacitum appellaret, quem Tertullianus mendacem, Orosius adulatorem vocauerant. Adijciunt calumniatores hunc esse Latinum Xenophontem crudelis, ac detestabilis cuiusdam Tiberi-pædiæ, qua Principes ad tyrannidem non quidem perfunctoriè, sed accuratè instruuntur. Eundem, cum multis seculis delituisset, fuisse e

tenebris erutum pestifera nescio cuius Germani curiositate, vniuerso terrarum orbi forsitan damnosiore alius Germani execrabili industria, quæ fulmen illud bellicum adinuenit, cui bombardæ e re nomen est inditum. Quod autem ad stylum spectat, Tacitus adeo non placuit Alciato, vt non dubitarit affirmare dictionem eius esse senticeta. Sed enim Taciti obtrectatores non fuerunt impedimento, quo minus ille tanti fuerit apud M. Claudium Tacitum Imperatorem, vt imaginem illius in omnibus collocaret bibliothecis, librosq; eius decies quot annis describi, ac in tablinis publicis collocari præciperet. Cosmus autem Mediceus, vir reipublicæ scientissimus, omnibusq; imperatorijs artibus instructissimus, non alium Historicum æquè lectitabat. Vt nihil interim dicam de his, quos hac tempestate orbis terrarum gubernaculis fortuna præfecit, qui Tacitum in delicijs habendum, ad verbum ediscendum, & singula eius verba singula testimonia putant. Hunc Heroica vestra, Veneti Proceres, Dijs proxima, sapientia vocat signiferum criticæ Historiæ, parentem humanæ prudentiæ, politicorum magistrum, coryphæum scriptorum, quicunque ad illud gloriæ fastigium peruenere, vt in eorum lucubrationibus plura sint prope documenta, quàm versus, & plures penè sententiæ, quàm verba. Huius, tanquam e tripode, dicta accipiuntur, huius effata, vt oracula, excipiuntur huius monita, vt e cœlo missa, adorantur; cum præterita, quod est Historici, ita commemoret, vt futura, quod est sapientis, præuideat, præmonstret, excutiat. Verè igitur ab Heinsio dictum putamus, apud Tacitum occultam quandam, & mysticam fuisse harusp icinam, qua non animantium exta scrutaretur, sed Regum corda, mentesq; introspiceret: Huiusq; scripta meram esse prudentiæ medullam, illius sacrum os linguam Suadæ, labellumq; Pithus habuisse, denique Tacitum ocellum prouidentiæ, corculum sapientiæ meritò

nomi-

nominandum. In Romanorum autem antiquitatibus explicandis magnum Tacitus nobis attulit adiumentum, cum enim à Tiberio vsque ad Neruam vnius seculi res gestas conscripserit, omnia, tum magna, tum minima, studiosè prosequitur, quippe non fusos tantùm exercitus, expugnatasq; vrbes, & certamina plebis cum optimatibus sed proscriptiones ciuium, & delatorum insidias, & suspectam Principibus priuatorum potentiam, & perniciem innocentium, & callidæ tyrannidis, secretiora mysterijs Eleusinis, arcana eruit, prodit, explicat diligentia, ac iudicio propè incredibili. Neque post Actiacam victoriam vllus apparuit Historicus, qui militarem, aut forensem rationem copiosius tractarit. Floruit enim diutissimè armorum gloria, vrbanaq; disciplina, & Proconsul Germaniam inferiorem obtinuit: Quo tempore Germanorum mores, instituta, ac ritus tanta diligentia perscripsit, vt vni Tacito suam antiquitatem Germani acceptam ferant. Est autem, vt sentit Bodinus, oratio Taciti mirum in modum arguta, & multo sale respersa; neque vllus profectò Historicus magistratui, ac iudici vtilior videtur. Dictio quidem eius florentior, vberiorq; in Historiarum est libris; pressior verò, vt par erat, sicciorq; in Annalibus, grauistamen vtrobique, & diserta: Quem propterea Plinius Cæcilius eloquentissimum, atq; immortalitatis datorem vocat; Orosius, quamuis huic alio nomine infensus, Historiæ scriptorem diligentissimum: Vopiscus inter facundissimos cooptat: Spartianus emendatissimum, & candidissimum scriptorem appellat: Sidonius nulli oritcendum, & nunquam sine laude commemorandum. Casaubonus, magni & acerrimi virum ingenij, nouæ cuiusdam, grauis, concisæ, & sententiosæ eloquentiæ genere eximiè præditum, quoque, nisi fortuna temporum dignam ei tanta facultate materiam negauisset, quemuis e principibus Historicorum videatur potuisse prouocare.

XII.

IVLIVS FRONTINVS stratagemata, per Romanorum Historiam diffusa, dictione facili, atq; ordinatissima temporum serie digessit. Cuius exemplo nos quoq; cum adhuc inter adolescentes numeraremur, amatoria stratagemata vndique excerpsimus, ab hoc enim titulo res amatoria non abhorret, nam, vt ait Naso, *Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.* Cæterum huiuscemodi nugamenta, iuuenilia prorsus, & ludicra, statim atq; ex ephebis excessimus, omnino supprimenda putauimus; Hæc enim ætas, iam matura, & virilis, alios mores postulat, vt est apud Comicum. Videtur aliquando Frontinus non satis elegans, & nonnunquam parum Latinus fuisse, si delicatiorum quorundam aures consulamus. Discrepat etiam interdum ab alijs scriptoribus in rerum gestarum narratione dubium errore, an consilio. Commentariolum quoque de Aquis Vrbis, quem nobis ætas inuidit, Frontinus conscripsit, præter hos quatuor militaris solertiæ libros, quos etiam num legimus: Ex quibus sanè plurimum frugis percipere possunt exercituum ductores, quos ille acuit cum ad insidias parandas, tum ad eas euitandas. Huic etiam auctori debemus nonnullorum militarium vocabulorum explicationes, quas absq; illo eramus ignoraturi. Iulium quoque obsequentem putamus ex Frontini imitatione prodigia, quæcunque sparsim habebantur, in vnum collegisse, elocutione verè candida, & defecata, & cuiuis antiquorum exequanda, librum eius habemus mutilum; incipit enim anno ab Vrbe Condita quingentesimo quinto, desinit Paulo Fabio, Quinto Ælio Consulibus. Quicquid tamen reliquiarum ex hoc auctore temporis iniuria non deleuit, charum doctis esse oportet, præsertim si nobis aliquando præbuerit legendas

quas

quas fecit in hunc auctorem obseruationes Vir, de omni antiquitate optimè meritus, ac inter polyhistoras, & polygraphos iurè numerandus, Laurentius Pignorius. Qui ne diutius spem nostram suspendat, tibi, DOMINE, cogendus est formula ad exibendum.

XIII.

CAIVS PLINIVS CÆCILIVS, Vir summus, & dignus, quem sibi, vt Homerum olim septem Græciæ Vrbes, duæ clarissimæ Italiæ Ciuitates, Verona, Nouumq; Comum certatim vindicent. Qua de re & ingentia condita, atq; edita sunt volumina; & nos ipsi ad Ioannem Baptistam Baiacham, Virum integritate, & doctrina spectatissimum, scribentes, disceptauimus. Hunc Historicorum albo expungunt nonnulli, qui librum de Viris Illustribus illi abiudicant. Nam Hermolaus Barbarus censuit Cornelij Nepotis esse: Lilius Gyraldus Suetonio tribuit: Alij Tacito: Recentiores Aurelio Victori. Ego vindicias secundum Plinium decerno; fretus tum omnium antiquorum codicum epigrapha, meiq; præsertim, in membranis perquam diligenter exscripti, testimonio; cuius inscriptio est huiusmodi: *C. Plinij Secundi Oratoris Veronensis De Viris Illustribus liber*. tum etiam Aldi Manutij, Ioannis Iocundi, Baptistæ Egnatij, plurimorumq; eruditorum auctoritatibus: Præter quàm quòd tota illius libri phrasis, & dicendi character cum reliquis Plinij scriptis mirificè congruit. Fuit quidem Plinius Orator potius, quàm Historicus, vt sæpissimè in epistolis suis de se ipse testatur: Eum tamen ad Historiam conscribendam animum etiam adiecisse constat ex his, quæ ipse ad Capitonem scripsit, cùm peteret ab amico sibi, iam ad Historiam conficiendam parato, præsterni materiam. Fuit hic Vir profectò secundum Ciceronem eloquentissimus: Nec mirum id certè si se to-

tam

tam illi tradiderit eloquentia, qui Plinium auunculum, Quintilianum præceptorem habuerit. Illud autem demiror, quomodo in mentem venerit Carolo Sigonio tam imprudenter effari Plinium hunc elegantia Romana haud mirabilem esse; cum ita in contrariam sententiam docti omnes transierint, vt eius epistolis neque magis elaboratum quicquam, neq; tersius, neque in eo genere acutius esse pronuntient. Ex quarum quidem lectione præter numerum, & collocationem, & candorem latinitatis, & sententiarum grauitatem, atque prudentiam, multa licet haurire ad Romanorum antiquitates, & mores, & ritus intelligendos. At eius panegyrico nihil est neque ad eloquentiam comparandam, neque ad rempub. rectè administrandam conducibilius. Quare, vt Africanus Xenophontis Cyro-pædiam de manibus ponere non solebat, quia nullum esset in ea moderati imperij prætermissum officium: sic Principes nostri panegyricum Plinij debent assiduè perlegere, vt optimi viri, fortissimi imperatoris, iustissimi Regis exemplo tales, & ipsi efficiantur, qualis à Plinio Traianus describitur: Qui quidem ipso Cyro eo maior fuit, quod ille Persa non ad Historiæ fidem formatus, sed ad prototypon iusti imperij, quemadmodum suspicatus est Cicero, videtur confictus: Traianus autem re vera talis fuit, qualem eum nobis Plinius efformat. Vt propterea probabilis coniectura videatur quorundam sacræ rei peritorum, qui eum inter Cœlites verè fuisse receptum censuerunt: Quorum opinionem non mediocriter iuuat Methildis oraculum: Huic enim Virgini roganti CHRISTVS aliquando respondisse fertur, Velle se homines latere quid de Salomone, Sampsone, Origene, ac Traiano statuerit Diuina pietas, clementia, benignitas, liberalitas, ne illi aut in volutabro Veneris perpetuò sordescerent, aut se de inimicis vlciscerentur, aut humanis doctrinis nimium confiderent, aut Christianam religionem, & baptismum negligerent. Sed

vt

vt ab hoc quasi diuerticulo ad Plinium reuertamur, ille annulo signatorio quadrigam insculpsit, puto ad significandam celeritatem, quæ perferendis litteris est adhibenda. Quemadmodum fertur Augustus Sphyngis nota litteras obsignasse, vt innueret occulta, & secreta esse oportere litterarum arcana. Contra quàm censuit Mecœnas, qui ranam pro sigillo adhibuit, vt significaret quicquid scriptis mandatum esset, statim manare in vulgus, & publicum fieri. Porrò Plinianæ in scribendo elegantiæ duplicem causam inuenio; alteram quod floruit Vespasianorum seculo, quo secundum Augustæum, politius, & purgatius nullum Romæ fuit; alteram quòd vt nullam scribendi diligentiam, sic nullum emendandi genus omisit. Nam primùm quæ composuerat, secum ipse recognoscebat; mox interioribus aliquot amicis recensenda tradebat; tum paucis quibusdam, selectisque viris legebat; denique pluribus recitabat. Quam si animi attentionem Plinius senior adhibuisset, & nos scripta eius purgatiora legeremus, & ipse criticorum verberationem declinasset.

XIV.

CAIVS SVETONIVS TRANQVILLVS Adriano ab epistolis fuit; ex eoque dignitatis loco deiectus, quòd cum Imperatoris vxore familiarius egisse ferebatur, quàm decus Aulicæ consuetudinis postularet, in suas se litteras abdidit: multaq. scripsit, quæ iniuria temporis intercidere, quorum lemmata recensuerunt Suidas, Gellius, Ausonius, Tzetzes, Seruius, Priscianus: vitas in primis Grammaticorum, Rhetorum, Poetarum, Cæsarum. Atque de horum vita duodecim libri soli ad nos integri peruenerunt. Primum tamen librum quidam grammatici acephalon putant; non enim verisimile esse illum Cæsaris incunabula tacuisse, qui cæterorum omnium, etiam minus

nus illustrium, altius originem repetiuerit. Scripsit præterea Ludicræ Historiæ libros, qui toti nobis perierunt: Quos ego denuò scribere orsus, vtinam meliore fato victuros absoluam. Doctus vir, & sincerus nominatur Suetonius ab Aulo Gellio: emendatissimus, & candidissimus à Vopisco, atque is, cui familiare sit amare breuitatem: Purgatissimum vocat Alexander Alexandræus, nunquam inconsideratè locutum, nec plusquam oporteat scribendo addidisse, ac tam circumcisum explicandis, adnotandisq; rebus, vt arguta breuitate pleraque potius perstrinxisse, quàm aliquid plus iusto addidisse videatur. Ludouico Viues idem est Græcorum, & Latinorum diligentissimus, atq; incorruptissimus. Plinio iuniori probatissimus, honestissimus, eruditissimus: Cuius etiam viri iudicio credibile est persuasum esse Tranquillo, vt sua scripta ederet. Testatur enim Plinius eius opus, qualecunque illud tandem fuerit, perfectum, absolutumq; esse, nec iam splendescere lima, sed atteri. Qui Suetonij vitam conscripsit, siue ille Sicco Polentanus, siue alius quispiam, duodecim Cæsarum vitas valdè probandas existimat, graphicèq; conscriptas; in quo styli genere primas, inquit, confessione eruditorum haud dubiè occupauit: Aequi enim rerum æstimatores, vt ait Bodinus, nihil vnquam accuratius ab vllo Historico scriptum fatentur. Opus est emunctum, refertumq; eruditione haud quaquam triuiali, & compositissimo ordine distinctum, oppidò quàm tersum, & limpidissima scriptione detersum. Est etiam in illo opere plurima imago Romanæ vetustatis, multæ leges, edicta, senatus consulta, nusquam alibi forsitan inuenienda: Quæ verò, qualisq; fuerit Principum cognitio, ac iurisdictio solus penè Tranquillus cum Tacito scribit. Vt de hoc auctore dicere aliquis possit, quod de se ipso Zeuxis non est veritus augurari, inuisurum aliquem facilius, quàm imitaturum. Nec dubito quin multi Principes malint Suetonij calamo vel damnari, quàm non-

nullo-

nullorum assentatiunculis palpari. Quemadmodum patritius ille Florentinus, cuius nomen, vt sic cum Herodoto dicam, etiam si sciam, tamen sponte obliuiscor, malebat censeri inter Inferos apud Danthem, quàm inter Cælicolas apud Clarauaccæum. At non placet quibusdam, quòd de Christianis parum piè sentiat; quod fœdissimas quasque Principum libidines nimis studiosè consectatur; quòd leuissima quæque, & viro graui contemptibilia prosequitur. Sed profectò in Principum dictis, & factis nihil paruum, aut despicabile videri debet: propterea quod in vulgus dimanant, & Principis exemplo mores populi plerunque reguntur. Et rectè mihi sensisse videtur Damis Assyrius, apud Philostratum: Cum enim sibi è viro quodam elegantiore obijci intellexisset, quod in Apollonij vita scribenda quisquilias etiam colligeret, catellos imitatus, qui cænantibus dominis analecta, micasque excipiunt: Respondit, In conuiuio Deorum eam curam famulis circunstantibus esse oportere, ne qua, etiam minima, ambrosiæ particula, si fortè deciderit, pereat.

XV.

APPIANVS SOPHISTA ALEXANDRINVS enituit sub Traiano, Adriano, Antonino Pio; causarumq; fuit patronus tantisper, donec Cæsaris procuratoribus adlegeretur. Romanam Historiam ab Ilio capto ad imperium Augusti quatuor, & viginti voluminibus latè descripsit: aut certè duobus, & viginti: sic enim Carolo Stephano, & Volaterrano, & Sigonio placuit. Sed hoc etiam ex opere longè optimam partem dies circuncidit: neque iam quicquam reliquiarum tam vastæ molis habemus, præter Punica, Syriaca, Parthica, Mithridatica, Iberica, Annibalica, Illyrica, & Ciuilia, cum exiguo Celticorum specimine, aut fragmento. Agebatur autem

Vrbis Conditæ annus nongentesimus cum ea scriberentur ab Appiano. Cuius stylum ieiunum, ac tenuem vocauit Photius. Scaliger quoque putat Appianum fuisse in Historia admodum infantem, eumq; alienorum laborum fucum meritò appellat: nam pleraq. ex Polybio, Plutarcho, cæterisque, se antiquioribus tantùm non ad verbum exscribit, vt alij quoque viri docti obseruarunt. Procliuis est in assentationem, & Romanæ potentiæ plus interdum fauet, quam barbarorum ferat inuidia: nec succenset fortunæ, quòd patriam suam Romanis subiecerit: parumque abest quin, & ipse cum Aristide dicat, præclarè egisse Alexandrum, qui, quod solum tanta indole dignum opus reliquit, Vrbem sui nominis in Aegypto Romanis extruxerit: vt illi, post suam, Occidentis dominam, altera quodammodo Roma, & quidem florentissima in Oriente potirentur. Illud tamen nemo putet Romanis nō magis probro, quàm decori fuisse, vt mutuas vxores amicis darent, quemadmodum dixit Appianus: Et confirmarat olim Plutarchus exemplo Catonis, qui Martiam suam Hortensio commodauit, ad prolem videlicet ex ea suscipiendam. Sed neutri illorum id assentitur Bodinus, mentitos fuisse arbitratus. Credamus id potius Parthis, ac Lacedæmonijs vsitatum, quemadmodum memoriæ prodidit Strabo. Candidus Appianum parum candidè interpretatus, laudat in eo rerum magnitudinem, eorum, qui gessere, gloriam, & famam, Historiæ varietatem, orationum copiam, citra eloquentiæ lenocinium. Commendat verò præcipuè energiam, atq; euidentiam: ait enim, dum legit Appianum, se non audire Romanorum facta, sed intelligere, neque intelligere tantùm, sed interesse. Quanquam & ipse fatetur, quod paulo ante ab alijs obiectum esse dicebamus, Appianum, vti præconem, ore alieno locutum, optima quæque decerpsisse ex aliorum lucubrationibus: præsertim vero ex Augusti commentarijs, quos ipse de vita sua, teste Suetonio,

nio, composuit. Coarguit Bodinus eius anistoresiam, quod Cæsarem in Senatu capulo gladij manum admouisse dicat, cum ei postulata negarentur; dabit hic, inquiens, nisi dederitis; quod ab alijs Antonio tribuitur. Præterea memoriam eius in ius vocauit, quod stuprum Calphurniæ Publio Clodio tribuat, cum ea non Calphurnia, sed Pompeia fuerit. Vnum tamen hunc Historicum fassus est Romanorum prouincias, opes, exercitus, totiusque imperij descriptionem, velut in subiecta tabula nobis ad intuendum proposuisse. Quàm autem benè, & prudenter, aduersus naturæ ordinem, & contra quàm cæteri fecerunt, ipse non ex temporum serie texuerit Historiam, sed per prouincias digesserit, in medio relinquimus.

XVI.

AEMILIVS PROBVS agnoscitur, & laudatur à doctissimis viris Hieronymo Magio, Carolo Sigonio, Cœlio Secundo Curione, alijsq; criticis notæ melioris. Refellitur, atq; inducitur à Dionysio Lambino, Andrea Schotto, alijsq; nonnullis, qui externarum gentium imperatores, quos habemus duos, & viginti, Cornelio Nepoti adiudicant. Mihi hæc andabatarum cæca collusatio nusquam probatur. Quid enim attinet fallacibus coniecturis nomina auctorum permutare, atq; hypobolimæos nobis scriptores supponere? At quædam sunt in eo libro, quæ Probo Æmilio non congruunt. Quasi verò Aemilij Probi vocabulo nullus alius esse potuerit, nisi quem ipsi mente conceperint. Maneant quæso librorum tituli, quos vetustas sanciuit, atq; inuiolabiles fecit, neque importuna cuiusquam manu solicitentur. Quod si pergant alterius gloriam ad alterum per iniuriam transferre, id ipsum aduersus eos ipsos futura ætas vtinam vindicet: nam quid potius à Dijs immortalibus poscam, quàm vt

plagium istud in caput ipsorum posteritas regerat? vt eorum laboribus alij fruantur, eorumq; nomina, obscura, & ambigua, certæ, & mansuræ laudis nihil quicquam obtineant. Nos interim ab Aemilio Probo nusquam discedentes, purum illum, atq; elegantem scriptorem fatemur: Qui etiam si Plutarcho sit minor, & quodammodo adstrictior, & dicendi genere pressior; potest tamen, quod de se, & Homero Virgilium dixisse ferunt, latifundia Plutarchi Græcis admiranda relinquere; agellumq; suum, paruum quidem, sed benè cultum, Latinis tradere. Quisquis enim Probum probè legerit, non modò Latinè loquendi simplicissimas formas, & orationem, vt de Terentiana dictum est, virginem; verùm etiam reipublicæ tum bello, tum pace benè gerendæ documenta quamplurima inueniet. Miror tamen hunc inter Romanarum rerum scriptores à Sigonio censeri, cum nihil ex eo supersit, quod ad Romanos pertineat, præter fragmentum vitæ Catonis.

XVII.

LVCIVS ANNÆVS FLORVS, duplici de causa Italis nostris inuisus; primum quod Liuij diffusum opus in breuem quandam epitomen coarctando, in culpa fuisse videtur, propter quam diuinæ illæ meditationes perierint, cum plerique, Flori compendio contenti, Liuianam prolixitatem declinarent: Deinde quod Hispanos, Italicæ libertatis oppressores, & Romanæ ambitionis hæredes, effusis laudibus euehat. Ait enim Hispaniam ita vndiq; mari, montibusq; vallatam esse, vt ingenio situs ne adiri quidem potuerit. Quæ laus tota Italiæ nostræ est: Cum enim natura hanc beatissimam prouinciam, Europæ, ac mundi miraculum, tribus, quibus alluitur fretis circumquaque ambire non posset, nec ex Chersoneso insulam faceret.

Ex-

Exeubÿs Latijs prætexuit Apenninum,
Clauſtraq; montanis vix adeunda vÿis.
Scilicet inuidiam timuitque, parumq; putauit
Arctius Alpes oppoſuiſſe minis;

quemadmodum eleganter dixit Rutilius. Illud etiam Florus adiecit, Hiſpaniam ante à Romanis obſeſſam, quàm ſe ipſa cognoſceret, ſolamq; omnium prouinciarum vires ſuas, poſtquam victa eſt, intelligere cæpiſſe: Cum verò ſe Hiſpanis Sertorius aduerſum Romanos aſſociaſſet, nunquam aliàs magis apparuiſſe Hiſpani militis vigorem, quam Romano duce. Vnde, vt arbitror, liquet Florum Hiſpanum fuiſſe, & ex ea gente, quæ clariſſima lumina litteris dedit Lucium Annæum Senecam philoſophum, & alium tragicum, & rhetorem alium, ſi modò tres illi fuere, & non duo potius, aut vnus; Annæum item Lucanum, & hunc ipſum Annæum Florum, vt tot propemodum ex Annæa ſtirpe docti, quot fortes ex Heraclidarum familia prodierint. Quod quidam, in ſcirpo nodum quærentes, parum prudenter in dubium reuocare conati ſunt, qui hunc Hiſtoricum non Annæum, ſed Iulium vocarunt, optima quæque exemplaria reſellentes, imò & Lactantium ipſum in os vberantes, qui hunc ſcriptorem Senecam appellauerit. Florus acutus eſt, & vehemens, ſententijs, præceptiſq; vndique ſcatens; elegans idem, diſertus, amœnus, & ſi pauca quædam exceperis, quæ frigidius dicta videntur, verè floridus. Stylus tamen non ita paſſim ab Hiſtoricis imitandus, videtur eſſe declamatorius, & poetico propior, adeo vt etiam Maroniana hemiſtichia nonnunquam interſerat. Miror autem ideo reprehenſum, & ineptiæ damnatum ab Sigonio, quòd ſingula bella ſingulatim deſcripſerit. Quis enim meliore ordine rem Romanam digeſſerit, præſertim ſi non vtatur perpetua ſcriptione, ſed per ſectiones, & capita diſpertita? Iuſtior multo illa fuerit accuſatio quod in temporum ra-

tione

tione vsque adeo negligens sit, vt non possit non hallucinari, qui illum sequatur. Inclementior in illum Verderius, Lucius, inquit, Florus breuitate sua se implicat potius quàm explicat. Quem censorem nemo non censura dignum existimet; perspicuus est enim, ac dilucidus Florus, si quis alius, quod ad eius fieri maximè potuit, cum sibi multa paucis verbis complectenda proponeret.

XVIII.

MARCVS IVNIANVS IVSTINVS, videtur è familia Iuniorum per adoptionem translatus, ex eoq; Iunianus dictus, quemadmodum ille, ex Æmilia gente in Corneliam ascitus, Scipio Æmilianus est appellatus. Hinc autem conijcere licet Iustinum longè esse vetustiorem, quàm plerique arbitrentur: Nam præterquam quod elocutio pura est, ac defæcatissima, quæq; Augusteum æuum redoleat, toto opere præsefert spiritus illos, animosq; Romanos. Ad hæc satis constat Pompeium Trogum floruisse illo æuo; ipse enim Trogus Historiarum libro quadragesimo tertio scripsit, patrem suum sub Caio Iulio Cæsare militasse. Iustinum autem fuisse Trogi discipulum scripsit ab hinc annis fermè trecentis Martinus Polonus Chronographus. Huic verò coniecturæ nihil officit nomen Antonini, quod in Iustini præfatione furtim irrepserat, illud enim esse expungendum viri eruditi iam dudum vicerunt. Illud tantùm in hoc auctore reprehendendum videtur, quod eius industria Trogi Historiæ perierint: Quemadmodum Iustiniani importuna solicitudine veterum Iurisprudentum diuina oracula interciderunt. Et sanè hac in re tam Iustinus, quàm Iustinianus parum iusti fuere, qui, dum gloriæ suæ student, alienæ laudi haud quaquam consuluerunt. Sed manum ad os; nam & alibi eo hos breuiatores, & luxatores librorum stomachum cru-

erupimus. Arguitur quoq; à Pererio Iustinus, quòd falsa, sacrisq; litteris repugnantia de Mose, & Iosepho tradiderit quasi verò homo ethnicus cum diuersæ factionis hominibus consentire debuisset. Vir est cæteroqui verax, & optimæ fidei, explicatissimæ narrationis, atque vberioris eloquentiæ, quàm à breuiatore exigi posset. Censet verò Theophilus Cangiserius hunc auctorem, qui multis nominibus cognitu iucundissimus pariter, atq; vtilissimus est, assiduè, diligenterq; euoluendum, ad exemplum Augustini, Orosij, Isidori, aliorumq; magni nominis virorum, qui frequenti eum lectione adeo sibi familiarem fecerunt, vt multa ex illo ad verbum transcribere, suisque ipsorum scriptis inserere non dubitauerint.

XIX.

DION CASSIVS COCCEIANVS, Niceæ, præclara Bithyniæ Vrbe natus, clarissimo genere ortus, Patre Aproniano, Ciliciæ Proconsule, sub Commodo Senatoria gauisus dignitate, ac magnis honoribus Romæ sub varijs Principibus functus, tandem cum Alexandro Imperatore etiam secundùm Consul, ab Vrbe Condita ad ætatem suam octoginta Historiarum libros conscripsit: quorum priores quatuor, & triginta posteriores vnus & viginti desiderantur, intermedij quinque, & viginti ad manus nostras peruenerunt, incipientes à Luculli gestis, ac in obitu Claudij Cæsaris desinentes. Iacturæ culpam, quod sæpe sum quæstus, à temporis edacitate in abbreuiatorem Xiphilinum transferimus; cuius eglogas habemus à Pompeio Magno ad Alexandrum Mammeæ filium. Miram fuisse Dionis prudentiam, & dexteritatem nemo negauerit, qui videat eum, sub immanissimis, ac terrimis belluis Commodo, Caracallo, Macrino, Heliogabalo, ita se mirifica velitatione gessisse, vt non modò igno-

ignominiam, & necem vitauerit, sed opes, & dignitatem suam retinuerit; inuidiam, quam sibi homo peregrinus potentia conflauerat, singulari modestia pacauerit: omnemq; iniuriam, præcauendo magis, quàm propulsando, bellissimè declinauerit; donec à iustissimo, & clementissimo Principe Alexandro, quem diximus, tanquam miles emeritus, ac rude donatus, veniam ætatis obtinuit: ac in patria consenuit. Ait enim se à bono Dæmone in somnis admonitum, vt quæ à prætorianis militibus sibi pericula impendebant eo diuerticulo declinaret. Quippe ipse quoque, vti de Socrate legimus, domesticum, familiaremq; Genium habebat, cuius monitu cùm vitæ actiones, tum studia quoque disposuit; eius enim impulsu ad scribendam Historiam animum applicauit, cum alioqui totus philosophiæ deditus, librum de diuinatione per somnium, & de somniorum interprætatione scripsisset. Duos autem, & viginti annos in Historiæ scriptione consumpsit; cum interim fuisset Præfectus in Aegypto, Prætor in Dalmatia, Proconsul in Pannonia. Quibus ex muneribus, & peregrinationibus illud assecutus videtur, vt ea scriberet, quæ ipse tractasset, aut quorum longè certior esse posset, quàm priuati homines. Nouerat enim causas bellorum, præerat exercitibus, vsu militarem peritiam adeptus fuerat, sciebat artes reipublicæ administrandæ, arcana ciuilis prudentiæ in Senatu ex optimatibus cognoscebat, atque adeo ipsis Imperatoribus familiaris erat, vt ei non esset difficile Dominorum consilia penitiora introspicere. Qua qui fortuna vti possunt, ij demum se se ad Historiam scribendam conferant. Obseruauit Cornelius Nepos Otacilium Pilitum primum omnium libertinorum ausum esse scribere historiam, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam. At quis non indignetur homunculos quosdam subrostrarios, & famigeratores imperitissimos, imò verò, si Dijs placet, etiam imi subsellij pædagogos de Regum

myste-

mysterijs, rebusque militaribus impudentissimè disceptare? Bellè enim Cleomenes compescuit sophistam, qui de fortitudine dissertationem instituerat, cum diceret, non illam hirundini, sed aquilæ materiam pertractandam relinqui oportere. Dionem verò, qui cum principibus viris, & natus, & altus, annos amplius quadraginta rempublicam gessit, ad quam statim atque per ætatem licuit, accesserat, idoneum Historiæ scriptorem meritissimò nominamus. Quem idcirco Budæus probatissimum auctorem vocauit; quemque grandi stylo vti, atque in concionibus Thucydidem æmulari, sed magis perspicuum esse iudicat Photius. Quas ob virtutes non dubitat Bodinus illum inter optimos scriptores censere. Comitiorum enim, & magistratuum Romanorum, totiusq; publici iuris disciplinam accuratè collegit; Principum consecrationes, atq; apotheoses primus explicauit, quem postea secutus est Herodianus, & ea, quæ Tacitus Imperij arcana vocat, penè solus euulgauit. Pungunt illum vespæ quædam aculeatæ, leui sanè ictu, quod vbique partes Cæsaris aduersus Pompeium, & Antonij contra Ciceronem studiosius defendat quodq; parum faueat Christianorum miraculis. Quæ tamen peccata facilè indulgenda sunt, illud quidem aulico, hoc autem philosopho. Cum porro mortalium nemo non in aliquo offendat, leuiora hæc delicta pro virtutibus esse possunt, cum de hominibus, non de Dijs loquamur.

X X.

HERODIANVS, Dionis ferè æquæuus, homo Græcus, sed Romæ diù versatus in Aula Augusta, affectæ iam ætatis Historiam de suis temporibus scribere aggressus, neque eloquentiæ caruit laudibus, & fidem tamen in primis, libertatemq; retinuit. Libellos admodum breues, ac dilucidos, & iucundos edidit, grandia

veterum volumina pertæsus, quorum odiosa prolixitas studiosorum animos plerunque à lectione auertit, atq; adeo deterret. Orditur ab excessu Marci Aurelij Philosophi, subsistit verò in Albino, & Maximo, & Gordianis. Stylus, Photio teste, elegans est, ac perspicuus, & planè talis, vt vix vlli Historicorum vlla virtute concedat. Fidem eius, quam vsquequaque Politianus laudauerat, præfatione in Herodianum, à se conuersum, nutare in Alexandro, & Maximino idem postea obseruauit, præfatione in Suetonium. Quamobrem à Capitolino damnatus est olim Herodianus elogio non sinceri scriptoris. Reprehensus quoque à Spartiano, quod in Historia sæpenumero à veritate discesserit. Sugillatus denique à Bodino quòd non idem in eo fuerit studium veritatis inquirendæ, qui fuit in Suetonio. Cæterum magnam in eo negociorum, personarumq; varietatem, reconditam antiquitatis Romanæ notitiam, iucundam rerum nouitatem, mira consilia, consiliorumq; euentus, graues pro tempore sententias, & plenã vbique dignitatis, plenam suauitatis orationem, copiosam quandam ad instruendos mores supellectilem documentorum, crebraque in vtranque partem fortunæ vacillantis exempla, Plautianumq; ad effigiem Seiani, quem in Tacito habemus, graphicè conformatum; denique speculum quoddam vitæ humanæ inspicere possumus, vnde ea quisque capere, atq; haurire præcepta queat, per quæ vel publicis, vel priuatis rebus præclare consulatur. Quas ob virtutes Herodianum politissimum, & iudicij non vulgaris rerum conditorem meritò Casaubonus vocauit.

XXI.

IVLIVS CAPITOLINVS, cæteriq; coæui eius, in ea tempora inciderunt, quibus tum Imperij, tum Historiæ maiestas consenuit. Et quanquam ne illa quidem ætate

tate maximi, & fortissimi Principes desiderarentur, optimi tamen, & eloquentissimi scriptores defuerunt. Vt verum omninò esse fateri cogamur, quod Curtius dicebat, ingentem sæpe gloriam non tam virtutis, quàm fortunæ munus fuisse. Nulla methodo, nulloq; ordine vitas Antonini Pij, Veri, Pertinacis, Albini, Macrini, Maximi, Balbini, Maximinorum, & Gordianorum descripsit. Curtus est, arhythmos, inelegans, & semibarbarus. Cum tamen non adeo rudis, & indiserta esset illa ætas, vt non purè, & Latinè scribi posset; id quod Mamertinus, Eumenius, Nazarius, alijq; eius seculi oratores labore, atque industria præstiterunt. Plurimum tamen Capitolino, reliquisq; eius tempestatis Historiæ Augustæ scriptoribus debemus, quòd ea nobis indicarunt, quæ nusquam alibi reperturi simus. Reprehendit Sigonius Capitolini ociosam verbositatem, dum minuta quæque prosequitur. Sed profectò nimis ille est iniquus, qui pro gratia, quam scriptori, de nobis optimè merito, debemus, reddit obiurgationem. Nam vel minimarum rerum cognitio magnam interdum affert vtilitatem, præsertim si de magnis agitur viris, quorum nullum est tam leue, tamq; domesticum dictum, aut factum, quin obseruatione dignum videatur, quod & supra notauimus. Vt transeam id esse in biographo maximè commendandum, quod in Historico forsitan vitio non vacat. Qui enim virorum principum vitam composuerunt, duos quasi parietes de vna fidelia dealbantes, mistam scriptionem ediderunt politicæ, & moralis philosophiæ, narrantes publicè gesta, & priuatim; siue, vt loquitur Suetonius, qualis quisq; fuerit in imperio regendo, & quæ fuerit cuiusq; interior, ac familiaris vitæ consuetudo. Quod si demas necessitatem, quam nobis legendi hos minores Historicos fatalis quædam litterarum calamitas imposuit, quæ meliores his vel non habuit, vel non retinuit, non eos tanti æstimes, vt eorum lectio sit repetenda; quos etiam Budæus

nequaquam inter claros auctores, & Romana Historia dignos putat esse connumerandos.

XXII.

TITVS ÆLIVS LAMPRIDIVS eximitur à nonnullis, expungiturq; ex eorum scriptorum albo, quorum monumenta etiam num extant: Commodum enim, Diadumenum, Heliogabalum, & Alexandrum Spartiano assignant. Est præterea, qui putat Spartianum, & Lampridiũ non duos, sed vnum, & eundem esse, vocatumq; tribus nominibus Aelium Lampridium Spartianũ propter generis claritatem: Hos enim trium litterarum homines fuisse appellatos colligimus ex Plauto, & tria fuisse nomina patritiorum disertim Ausonius testator; quamuis apud priscos illos Romanos mos Græcorum retineretur, qui vnico vocabulo censebantur: Olim enim, vt ait Appianus, vnum duntaxat singulis erat nomen; deinde assumpsere duo: nec multò post tertium imponi cæptum. Quis tamen nostram, atq; adeo totius penè orbis terrarum consuetudinem non magis commendet, qui, cum ex Historia Græca, & Latina didicerimus, vnius vnum nomen non sufficere; tria, quatuorve nimis longa esse; ad tollendam ambiguitatem, omnesque superuacaneæ prolixitatis ambages amputandas, duobus vnumquenque nominibus appellamus? Sed vt ad Lampridium redeam, ego, contra quàm censuit Pythagoras, nusquam de trita, & publica via deflectendum puto; Lampridiumque alium à Spartiano fuisse arbitror. Stylus Lampridij pedester, ac humilis est, dictio parum sincera, numerus plerunque subsultans, res, nulla serie digestæ, ita relatæ, vt in mentem veniebant; nullus verborum delectus, nullus eloquentiæ apparatus. Quæ tamen, vt supra dixi, vbi alij scriptores præsto non sint, videntur esse toleranda: Nam, vt Cæcilius inquit, Historia quo-

quoquo modo scripta delectat, sunt enim homines natura curiosi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, vt qui sermunculis etiam fabelisque ducantur.

XXIII.

TREBELLIVS POLLIO, diligens scriptor dictus à Spartiano, fuit quidem certè ita diligens, vt modum etiam excederet. Cum enim temporibus Valeriani, & Gallieni vndetriginta simul affectassent Romanum Imperium, ipse, vt numerum rotundum impleret, adiecit Valentem, alieni temporis tyrannum, quem ipse Pollio Decij tempestate rebellasse fateatur: Nempe hoc est, quod Græci dicunt seruire materiæ subiectæ, ac se se hypothesi accommodare, &, iuxta Lesbiorum morem, in structura adhibere plumbeam regulam, vt non paries normæ, sed norma parieti se se patiatur aptari. Sensit hoc ille quidem, sed nimis pulchrum videbatur totidem Romæ fuisse tyrannos, quot olim Athenis fuissent, cum illa Vrbs à Lysandro esset capta. Pudet tamen duas etiam fœminas, Zenobiam, & Victoriam, inter eos numerari, qui Romanum orbem inuaserint, terrarumque dominos barbarorum seruituti mancipare conati sint. Si enim veteres suspendio deligendam arborem decreuerunt, quòd Leontium, meretricula diobolaris ausa esset in Theophrastum scribere; cur non aliquis Cato, qui Cæsaris imperium dedignabatur, cæpisset de suspendio cogitare, cum in mulierculis animum Cæsaris esse cognouisset? Elocutionem Pollionis Trebellij Gesnerus tersam esse ait, pauloque altius assurgere, quàm Historico conuenit. Et quidem, si cogitemus ætatem, qua vixit, non mediocrem elegantiæ laudem promeruisse videbitur; quanquam ipse de se ne mediocriter quidem sentiens, fide tantùm Historica se contentum esse dicat, quam vnam custodiendam ratus, quod ad eloquentiã attinet

net nihil se curare profiteatur; res enim proposuisse deferre, non verba.

XXIV.

FLAVIVS VOPISCVS SYRACVSANVS de natalium fato nomen putatur accepisse, Vopiscum enim veteres appellabant quie geminis, altero per abortionem excluso, ad partum legitimum duceretur. In hoc biographo, præter eruditionem, illud quoque laudamus, quod omnia meliore ordine, quàm cæteri eius notæ scriptores, narrauit; in quibus pleraque, vt dixi, valdè perturbata lectorem pariter turbant. In eo tantùm nobis maximè reprehendendus, quod illum pseudomantem, præstigiatorem, planum, agyrten, impostorem psephopæcten, denique pithecium Pythagoræ, Alexandro potius Abochonitæ, quã vlli veterum philosophorum æquandum, Apollonium inquam Tyanæum, non dubitauit appellare celeberrimæ famæ, auctoritatisq; sapientem, & non modò amicum certum Deorum, sed ipsum quoq; pro Numine frequentandum: negat enim quicquam illo viro sanctius, venerabilius, diuinius inter homines fuisse; quippe qui passerculum pipilantem exaudiens, sit interpretatus eum reliquos passeres sibi amicissimos ad Saliarem, atq; opiparam mensam inuitare, quod asinus milij farcinam excussisset, saccique vinculo casu effracto, grana in terram sparsa essent. Nempe ex Democrito acceperat quasdam esse volucres, quarum ex confuso sanguine nascatur serpens, quem si quis comedisset, auium inter se colloquia esset interpretaturus. Quasi verò aues ex suo garritu, animi, quo carent, sensa valeant exprimere, atque inter se confabulari, imò etiam, si Dijs placet, de rebus ad suam rempublicam pertinentibus consultare. Colligere licet ex his, alijsq; nonnullis indicijs, atque argumentis Vopiscum ad fabulas magis, quàm

quàm ad Historias conscribendas natura fuisse procliuem; multaque, vel assentandi gratia, vel decipiendi studio, vel sibi indulgendi consuetudine, fuisse mentitum.

XXV.

LVCIVS ÆLIVS SPARTIANVS, Capitolini, & Lampridij simillimus, eadem phrasi, eodemq; charactere dicendi vsus est: Vt planè, iuxta prouerbium, omnes in eodem ludo videantur edocti, eademq; fruge pasti; atque vtinam non ea fruge pasti, quam sacræ Hebræorum litteræ mendacij frugem vocarunt. Equidem vt Cassium Cremutius Cordus Romanorum vltimum, sic ego Iustinum Historicorum nouissimum appellarim. Quid enim, postea sani coloris enituit? An non omnis Historica dictio, quasi eodem simul pestilenti sidere afflata, contabuit? Quodque miserrimum est, non valdè boni per se scriptores librariorum, & libellionum non tam inscitia, quàm incuria deterrimi ad nos peruenerunt; vt lecturi per salebras, & vepreta, imò etiam per murices ambulemus, atq; ex tot sentibus errorum, vix aliquot flosculos ægerrimè colligamus. Occupauit primus, tanquam Italicus Hercules, Baptista Egnatius hoc Augiæ stabulum repurgare; cui doctissimi, atque accuratissimi viri Casaubonus, & Salmasius succedere, qui ambo in hisce corruptissimis scriptoribus emendandis, atq; expurgandis egregiam sanè, & nobis valdè profuturam operam præstiterunt; quodque tu, Vir summe, vehementer miraris, cum Casaubonus omnia diligenter demessuisset, inuenit tamen Salmasius, quod scilicet; Vir, non opinione mea tantùm, sed tuo, Domine, iudicio communique litteratorum consensu, omnium, qui hodie viuunt, eruditissimus. In Spartiano multa pluribus in locis deprehenditur earundem rerum repetitio, & plurima vbique confusio. Nam quoties Seruiani cædem legas

in

in Adriano? in cuius vita contexenda poterat sanè, debuerat certè Spartianus vel temporum seruare seriem, vel per partes sic dicenda distinguere, vt de publicè gestis, de peregrinationibus, deque priuata cætera eius vita seperatim tractaret. Qui quidem ordo in alijs quoq; Spartiani scriptis desideratur.

XXVI.

VVLCATIVS GALLICANVS quintum Cos. dubium an ex illius Vulcatij familia, quem Sedigitum, à senis in manu digitis cognomento vocarunt, proposuerat, quemadmodum ipse scribit ad Diocletianum, omnes, qui se se Imperatores, siue iure, siue iniuria dixerunt, in litteras mittere. Sed hodie nihil eius habemus, præter vitam Auidij Cassij: Quæ tamen à nonnullis Spartiano tribuitur: Cæterum viri sapientissimi Salmasius, & Vossius Vulcatium vti germanum, & genuinum auctorem agnoscunt. Quanquam in miscella hac Cæsarum Historia tanta est omnium, quicunque ad eam componendam symbolum attulerunt, inter se dictionis, & ingenij congruentia; tantaq; interdum titulorum, atq; inscriptionum varietas, & inconstantia, vt Delio natatore, ac vate Tiresia sit opus ei, qui cuiusque vitæ certum, & constitutum scriptorem prodere velit. Profectò si Auidium scripsit Gallicanus, rem nobis cognitu quidem iucundam præstitisse videtur, nulli tamen sine errore imitandam; in eam enim multas, & longas aliorum epistolas transtulit, & plura penè exscripsit, quàm scripserit: Præterquam quòd, Isocratem parum feliciter secutus, vt ille totum Helenæ encomium laudibus Thesei compleuit, sic Vulcatius laudationem Marci Aurelij, quàm vitam Auidij Cassij scribere maluit. Nullam in hoc auctore agnosco elegantiam; vt verè mihi, & candidè pronuntiasse Casaubonus videatur,

tur, cum diceret, Vulcatium quid diceret fortasse pensi habuisse; at quomodo, ne minimum quidem. Hæc singulatim de sex historiæ Augustæ scriptoribus pauca dixerimus. Nunc generatim, & carptim nonnulla dicamus. Vixerunt omnes sub Diocletiano, eisque principibus, qui hunc proximè sunt secuti. Quatuor ex his, Spartianus videlicet, Capitolinus, Vulcatius, & Lampridius scripserunt, aut saltem scribere instituerunt integram à capite ad calcem omnium purpuratorum historiam, orsi à Iulio Cæsare, qui primus Rempub. inuasit. At sciolus quidam, siue iussu Principis, siue suopte ingenio, ex his biographis videtur decerpsisse, quæ scitu digniora putauit, atque in hoc corpus, quod nunc ad manum habemus, digessisse. Voluit, opinor, tres epochas, & classes Cæsarum facere: primam duodecim Augustorum à Suetonio petendam; secundam ex his sex ita à se consarcinatis; tertiam denique Christianorum principum à Christianis scriptoribus maluit hauriri. Neque sanè dubitandum, quin Tribonianus iste, hoc audaci facinore perpetrato, videretur sibi rem litterariam præclarè gessisse; cum tamen in causa fuerit, vt amplius quinquaginta historiæ Augustæ scriptores penitus interciderint, sex autē qui supersunt mutilos, ac turbidos habeamus. Crebra est in hisce scriptoribus, quemadmodum proximè in Spartiano est animaduersum, earundem rerum repetitio, multaque passim proiecta, nec suo loco posita. Cuius culpæ vt non absoluimus in totum ipsos auctores, ita non dubitamus maximam eius partem quà pænes hunc alienarum mercium institorem, quà pænes librarios, genus hominum, vt ait Casaubonus, perdendis litteris natum, hærere. Vitæ nonnullæ sunt inter hos, quas iure dicas, centonum instar, e diuersi coloris pannis fuisse consutas. Scriptorum alibi desideres iudicium limatius, alibi diligentiam exquisitiorem; omnium maximè in Capitolino, & in quatuor alijs; minus enim

est, quod queramur de scriptore in primis erudito, & præcæteris accurato Flauio Vopisco, qui natu fuit minimus, aliorumque meminit omnium, præterquàm Spartiani, & Vulcatij. Quæ dos historiæ est primæ proxima, perspicua inquam rerum explicatio, & quod Græci melius dicunt, τὸ ὑπαρκολούθητον, id nos in illis prioribus non inuenimus. Cum autem tot imperitissimorum grammatistarum versibus suas lucubrationes inquinarunt, quid aliud, quàm per alienas ineptias se se ipsi traducere videntur? Verum hos, velut in bona forma, nævos facilè excusabunt, qui sic natura esse comparatum meminerint, nullum, vt cuiusquam mortalium sine venia placuerit vnquam ingenium, quantumuis maximum. Subiectum certè habet hæc historia nobilissimum; totius namque Augustorum vitæ pars magna necessario hinc petenda est, vbi res per imperium Romanum gestæ annis fermè centum, & sexaginta describuntur. Vbi verò maior rerum varietas? vbi illustriora fortunæ ludibria? quàm memorabiles maximorum principum exitus? nam septuaginta, & eo plures, in horum temporum serie numeramus, qui vel Cæsarum, vel imperatorum nomen vsurpauerint. Adeo erant in illo principatu, quem omnes tum metuebant, & omnes modò suspiciunt, comitia imperij turbulenta, ac incerta, vt tumultuario populi concursu, aut incondito militum strepitu, interdum, & per iocum, & ludum, Imperatores crearentur, & orbis terrarum dominatio in sceleris, & paricidij præmium concederet. Horum scriptorum lectio, cùm historiæ, & morum antiquorum studiosis necessaria videatur, tùm vel maximè ijs, qui cognitione iuris ciuilis Romanorum delectantur. Quàm multa enim toto sparsim opere inuenias, quæ ad iuris prudentiæ studium præcipuè pertineant? Quàm multis locis aut nouum ius aliquod introductum, aut vetus antiquatum? Tot iuris prudentum actiones, & munera, & dignitates; tot princi-

pum

pum epistolas, tot senatus consulta, tot alia publica monumenta, e scrinijs Augustorum, actis magistratuum, & populi, aut nescio vnde ex abdito erutâ, quanti censemus facienda? Hæc ferè decerpsimus ex magno eruditionis, & elegantiæ parente Casaubono, viro omnium linguarum, & disciplinarum intelligentissimo, quamque non minimam eius laudum putamus, tibi, DOMINICE MOLINE, cum primis amico; quam quidem beneuolentiam mutua inter vos virtutis admiratio conciliauit, aluerunt epistolæ, sanxerunt officia.

XXVII.

FLAVIVS EVTROPIVS decem breuissimis libris Romanam Historiam strictim complexus, Pauli Diaconi iniuria productus, ac ex conferto dilutior effectus omnem penè dignitatem amisit; donec fideli opera Antonij Schonouij restitutus in integrum, & quodam quasi postliminio reuersus, pristinum locum recuperaret. Diaconus ille, monitu Adilbergæ, Desiderij Lingobardorum Regis filiæ, non solum auctoris huius Historiam interpolem fecerat, sed ipsam penè totam inuerterat, dum multa de suo infarciret, multaq; passim adimeret, aut transferret. Militauit Eutropius sub Iuliano parabata, ac desertore, librumq; suum dedicauit Valenti: Nec satis liquet, cuius ille fuerit religionis: quippe qui in colliminio tenebrarum, ac lucis constitutus, nec Paganorum ritus probaret, nec CHRISTO tamen dedisset nomen. Sophistam Italum vocat Suidas; eodemque nomine censetur in originibus Constantinopolitanis. Quanquam non desunt, qui hunc Eutropium historicum eundem esse contendunt cum Eutropio presbytero Africano, Augustini discipulo, qui duas ad sorores consolationes conscripsit, cuius meminere Ptolemæus Lucensis, & Raphael Volaterranus.

Stylum eius improbat Vossius, vt parum concinnum: Fatetur tamen res ipsas compendio satis commodo ab Eutropio constrictas. Doctissimum fuisse Eutropium, & multa eloquentia scripsisse putat Iacobus Philippus. Antiquum Historiographum appellat Hincmanus Rhemensis. At Schonhouius non eum inter antiquos recenset; sed licet scripsit posterius, neque tamen, inquit, minor eloquentia, & iudicio etiam superioribus fuit eminentior. Sanè quanti eum Græci fecerint vel argumento illud erit, quod Capiton, & Pæanius Eutropiani compendij metaphrasin Græcè scripserint. Duæ sunt autem omninò res, quæ famam, & gloriam scriptoribus conciliare soleant, si in alienas transferantur linguas, siq; interprætationibus illustrentur.

XXVIII.

AMMIANVS MARCELLINVS, cum esset vir Græcus, vt de se ipse testatur, Historiam Latinè scripsit, à Principatu Cæsaris Neruæ exorsus, vsque ad Valentis interitum. Suam verò inelegantiam sæpenumero excusat, propterea quod aliena, sibiq; insueta linguâ vtatur. Quamobrem in eundem videtur errorem incidisse, de quo valdè obiurgatus est à Marco Catone Aulus Albinus, qui res Romanas oratione Græca scriptitauit, deprecatus malæ existimationis ignominiam, si quid in suis libris parum compositè, aut minus eleganter scriptum quis deprehendisset. Stultum quippe, ac ineptum vir Sapientissimus iudicauit malle culpam deprecari, quàm culpa vacare. Videtur Ammianus ad philosophiam, quàm ad Historiam instructior. Et quidem multa frequenter inculcat ad ostentationem sapientiæ, quæ nihil ad Bacchum faciant, vt est in adagio. Hæc autem tam sæpè, tantaq; interdum prolixitate interponit, vt episodicam eius Historiam

vocare

vocare possimus. Christianis eo nomine inuisus, atq; intestabilis, quod Iulianum illum desertorem Dijs miscet superis, & optimis quibusq; Principibus anteponit; cum tamen per ipsum non steterit, quo minus Idolorum, ac Dæmonum cultus iterum in orbem terrarum inueheretur, omnisq; Assertoris nostri doctrina euanesceret. Doctus cæteroqui Ammianus, grauis, ac serius, & dignus planè cui fides à nemine abrogetur, si demas Iuliani, cuius erat miles, parasitus, tum immodicas, tum immeritas laudes: Est enim is vnus ex eis scriptoribus, qui, quæ ipsi gesserunt, aut quibus ipsi interfuerunt, litterarum monumentis consignasse existimantur, ac propterea in hac parte Xenophonti, Cæsari, & Guicciardino conferendus: Quibus omnibus haud scio an etiam præstet Gallicæ Historiæ scriptor Henricus Catarinus Dauila, generis claritate, militari gloria, doctrina, eloquentia Vir illustrissimus; & Ioannes Meursius, rerum Belgicarum scriptor luculentissimus, quem summa apud inuictissimum Daniæ Regem dignitas, altissima eruditio, gloria scriptis parta, sed virtus præcipuè, tibi DOMINICE MOLINE, præbuit vnicè amandum, mihi etiam colendum, atque admirandum. Laudat Bodinus Ammiani candorem, ac studium inquirendæ veritatis: Is enim Principum virtutes, ac vitia, vt optimus quisque scriptor, summa fide notauit. Imitandum sibi proposuit Cornelium Tacitum: Sed cum in reliquis longè inferior sit, hoc etiam ab eo distat, quod Tacitus Romani sermonis dignitatem, vt tempora ferebant, assecutus est; Ammianus verò Latinis verbis, ac sæpius ne Latinis quidem, Græcè scripsit. Dictio eius duriuscula, atque horridior est, manca, succisa, & per quædam hyporchemata subsultans; multisq; Græcis, barbarisq; loquendi formis, verbisq; nusquam in Vrbem receptis, sed ne iure quidem Latij donatis, vsquequaque referta. Priores tredecim libri desiderantur; quique superstites fuerunt, multis lacu-

nis

nis hiulci, multisq; erroribus tam mendosi, corrupti, ac depravati leguntur, vt nusquam sensum elicere possimus: Quod quidem damnum, si benè conijcio, non tam ætatis iniuria nobis intulit, quàm criticorum inconsulta temeritas, multa in omnibus libris, pro cuiusque libidine, inducentium, multaq; audaciter substituentium. Vnum est, in quo Ammianum non tam laude, quàm etiam admiratione dignum putemus, propria quædam, & graphica, atq; instar naturæ omnium rerum expressio. Quam tamen ille non eloquentiæ studio, sed philosophiæ referebat acceptum.

XXIX.

SEXTVS AVRELIVS VICTOR scripsit librum de origine gentis Romanæ, Caium Cæsarem, & Sextum Gellium secutus, qui ambo singulos libros eiusdem tituli, atq; argumenti conscripserunt, quemadmodum Victor ipse testatur. Scripsit etiam de Imperatoribus Romanis à Cæsare ad Iulianum librum vnum, item ab Augusto ad Theodosium librum alterum. Quæ quidem omnia styli, & dictionis diuersitas vix, aut ne vix quidem patitur, vt credamus esse eiusdem auctoris. Probabile est duos, tresve huius nominis fuisse, quorum vni tribuuntur etiam illustres viri, hactenus quà Plinio Cæcilio, quà Cornelio Nepoti adiudicati. Qui origines gentis Romanæ, moresq; Imperatorum descripsit, putatur vixisse ætate Constantij, & Iuliani. Hunc Ammianus virum Consularem, & Pannoniæ Proconsulem, & Vrbi præfectum, ænea statua cohonestatum, & sobrietatis gratia multilaudum appellat. Afer natione fuisse creditur; amore enim genialis soli deceptus, Africam vocat terrarum decus. Ethnicum illum fuisse inde constat, quod in Adriano stellam Antinoi, pudoris Adriano adamati, eiusq; pueri consecrationem, & sacri-

crificia non improbarit. Et quidem certè fuit ille iuuenis non laude solùm, sed etiam admiratione dignissimus, qui paria cum Alceste fecerit; & quemadmodum illa pro viro Admeto vicariam subijt necem; ita hic adolescens pro hero suo, vitam producere cupiente, caput suum Orco deuouerit; vt quantum vitæ ephebo, immaturè, præterque fatum pereunti, debebatur; tantundem, vltra pensum victuro, seni prorogaretur. Turpe ratus futurum, si nobis diutius exprobraretur, plus pietatis, & constantiæ fuisse in muliebri sexu, quàm in virili. Ingenium, & dictio Victoris Aurelij videntur speciem quandam referre Cornelij Taciti, cui tamen nihilo propior est, quàm stannum argento. Laudandus tamen conatus, & habenda gratia Victoris industriæ, quæ cum multa vndique delibauerit, cauit nobis, ne plurimarum rerum ignari essemus, quarum memoria cum vetustioribus libris, vnde erant excerpta, penitus interisset.

XXX.

RVFVS FESTVS breuiarium scripsit rerum gestarum Populi Romani, quem libellum dicauit Valentiniano. Ex eo nihil propè vtilitatis capere possumus, quòd nimis cursim, & properanter Historiæ stadium præteruolet potius, quàm transeat. In quo reprehenditur etiam à Bodino, quod alio opusculo, aut indice potius, Romanorum prouincias attigerit, opes omiserit. Scriptor est fœculentæ, ac inquinatæ elocutionis, & suapte natura infacundus; quod & ipse ingenuè fatetur, cum dicat, se morem calculonum secutum, qui ingentes summas æris breuibus admodum exprimunt notis, res gestas signare, non eloqui, vt Valentinianus maiorum facta non tam legere posset, quàm numerare. Scripsit præterea, si Philandro fides adhibenda, descriptionem illam Vrbis Romæ,

quæ

quæ Publij Victoris nomen hactenus prætulit. Et Rufi esse, vt credamus, suadet simpliciſſima viarum, ædiumq; recensio, & leui admodum brachio, siue potius summo digitulo Vrbis ornamenta indicata. Quæ postea latissimè prosecuti sunt Blondus, & Marlianus in topographia Vrbis Romæ, & post hos item plurimi. Quorum nos quoq; exempla secuti, plusscula, & forsitan nec iniucunda, nec passim obuia, de Vrbe Roma, tribus de nostra peregrinatione libris commemorauimus.

XXXI.

PAVLVS OROSIVS HISPANVS, Diui Aurelij Augustini discipulus, eiusdem hortatu, septem Historiarum libros conscripsit; quibus ostendit ab Orbe condito vsq; ad tempus, quo illa pangebat, hoc est quinquies mille, sexcentis, & duo de viginti annis, fœdas semper clades, atq; atrociſſimas per vniuersum calamitates contigisse. Quamobrem, vt in chronicorum supplemento scribit Iacobus Philippus, opus illud de Mundi Miseria inscripsit; cuius tamen hodie titulus est *Ormesta*: Quæ vox cuius sit linguæ, quidue significet, nemo hactenus potuit expiscari: Nisi fortè sit luxatio quædam duorum vocabulorum, à notarijs, per compendia litterarum, atq; apicum celeritatis causa, scribentium, coagmentatorum, atque corruptorum, scriptumq; sit *Ormesta*, pro eo quod est *Ormesta*; hoc est, *Orbis mæstitia*; seu potius: *Or.m.ista*; hoc est, *Orosij mundi historia*. Floruit Orosius sub Arcadio, & Honorio, cum Roma ab Alarico Gothorum Rege capta, Gentiles calamitatum omnium causam in Christianos conijcerent: Dijs videlicet succensentibus cultum suum antiquari, ac deleri, nouamq; religionem succrescere, quæ CHRISTVM vnicè coleret. Quam calumniam à nomine Christiano luculentiſſimis commentarijs remotum

iue-

iuerunt disertissimi pariter, atque sanctissimi viri Arnobius, Lactantius, Augustinus, Orosius, Aquinas. Hunc Orosium ne Historici quidem nomine dignum censuit Sigonius, quem tamen Iacobus Philippus eloquentissimum vocat: Neque ab eo dissentit Gennadius, qui eius vitā conscripsit. Fatetur quoque Gherardus Vossius Orosium esse scriptorem planè vtilem, quamuis in supputatione temporum sæpè errauerit: Græcosq; scriptores non legerit.

XXXII.

ZOSIMVS, siue ille Gazæus fuerit, siue Ascalonita, siue Alexandrinus, quorum meminit Suidas, siue quispiam alius, cuius patriam, & genus ignoremus, vixit tempore Theodosij iunioris, vt Euagrius testatur. At Volaterranus ex Suida sub Anastasio Principe Zosimum floruisse contendit. In quorum sententiam transijt V. C. Ioannes Franciscus Corneanius, matruelis meus, ex cuius eruditissimis Symbolis multa nos in hæc nostra excerpta contulimus. Scripsit Zosimus opus chimicum de metallorum transmutatione, quod in Bibliotheca Regia Lutetiæ manuscriptum seruari fama est. Scripsit item dictiones rhetoricas ex ordine litterarum enarrationem quoque in Demosthenem, & Romanæ Historiæ libros sex; quorum primus Cæsares ab Augusto vsque ad Diocletianum transeunter percurrit; alij quinque fusius prosequuntur res Romanas vsque ad Vrbem iterum ab Alarico obsessam, Attalumq; ab eo designatum Imperatorem, posteaq; ab eodem exautoratum. Dictio Zosimi est breuis, perspicua, pura, & suauis, vt Photius iudicat in sua Bibliotheca. Quo maiorem mihi bilem concitat Verderius, qui, cum aut Græcè nesciret, aut Musas Atticas à limine tantummodo salutasset, Zosimum pronuntiauit tantam redolere barbariem, vt ne meminisse qui-

quidem huius scriptoris dignum putaret. Iustius aliquanto in Zosimum Photius inuehitur, quod homo Paganus creber est in arrodendis Christianis Principibus: Quo nomine eidem succensuere Nicephorus, & Euagrius. Quanquam Lenunclauius, eius interpres, ac defensor, in apologia, quam pro Zosimo scripsit, ne in istis quidem fidem facilè Zosimo esse abrogandam putauit; nam & melioris religionis viris credibile est quædam hæsisse vitia, quæ, salua conscientia, verax Historicus non potuerit dissimulare. Eæ sunt enim Historici partes, vt meminerit, ex sententia Luciani, se esse oportere ἄφοβον, ἀπόλιδα, ἀυτόμομ, ἐλευθεροστόμου. Qua libertate, atq; animositate succinctus, veritatem vbique in quoscunque dicere absque vlla hæsitantia debet.

XXXIII.

PROCOPIVS, RHETOR, & SOHPISTA CÆSARIENSIS, quæ prouinciæ Palestinæ ciuitas est, Iustiniano Imperium regente, Belisarij, cuius erat notarius, & comes, egregia facinora litteris consignauit. Putat verò Bodinus Procopium Belisario suo tantùm tribuisse, in eumq; ambabus manibus tot laudes congessisse, vt oratorem, non Historicum agere videatur: Ornamenta quoque Historiarum, & Græci sermonis puritatem aut nescisse, aut neglexisse. Sed quæ ad Historiam pertinent, singula certè diligenter exponit, ac res quoque leuissimas magno studio consectatur. Cum enim totius publici consilij particeps fuerit, sæpius etiam pro republica legationes obierit, non dubitat Bodinus Procopium inter selectos recensere. Cum verò singulas epistolas, decreta, fœdera, conciones vario dicendi genere, ac stylo describit, magnum verissimi scriptoris præbet argumentum. Continet eius Historia libris octo bellum Persicum, Vandalicum,

&

& Gothicum: Quorum omnium Synopsim quandam, & conspectum nobis exhibuit Agathias. Auctor est Suidas Procopium adiecisse his nonum librum, vt, detracto sibi fræno, in Iustinianum, & coniugem eius Theodoram debaccharetur: Quem librum, quòd res non editas, & forsitan non edendas contineret, ἀνέκδοτα nominauit, qui tamen hodie non extat: nam præter Historiæ libros octo nullum aliud habemus Procopij monumentum, quàm sex narrationes de Iustiniani edificijs. Laudandus Procopius integræ fidei, multæq; sedulitatis in Historia scribenda, quemadmodum supra dixi, cum enim à Belisarij latere nusquam discederet, rerum ab eo gestarum minutam, certamq; notitiam videtur habuisse. Propior est Asiaticæ redundantiæ, quàm Atticæ copiæ; neque tamen verbosus nimium, & interim grauis, & politicus in epistolis, & concionibus, quas non sanè imprudenter interserit. Hunc auctorem emendandum, illustrandum, & perpetuis notis augendum susceperat Vir Clarissimus Nicolaus Alemannus, quem sua virtus Vaticanæ Bibliothecæ custodem præfecerat; qui, magno litterarum incommodo, operi nondum perfecto immoritur hoc ipso anno MDCXXVI. Vtinam tanti operis lispana religiosi piæ alicuius manus officio colligantur, ne nobis glorioſi labores toti pereant. Aut saltem iacturam sarciat industria Ludouici Frachettæ, magni illius Hieronymi fratris, ciuis, & amici nostri longè charissimi, quem honoris, & amplitudinis causa nominamus, ille enim vir acerrimi iudicij, memoriæ incredibilis, indefessæ in studio attentionis, cum in omnibus Historijs continenter versatur, tum in Procopio legendo, atque exornando est assiduus.

XXXIV.

AGATHIAS, MEMNONII FILIVS, natus Murinæ, quæ in Asia veterum Æolensium colonia est, ad ostia Pythici fluminis, Iuris prudentiæ studijs addictus, ac propterea scholasticus appellatus, patronus causarum fuit Smyrnæ, vt ait Suidas. Hic, præter epigrammata, quorum egregia specimina extant adhuc in Anthologia, scripsit libros quinque de rebus gestis Iustiniani, cuius tempore floruit. Neque tamen omnia eius Imperij acta prosequitur, sed inde, vt ipse ait, sumpsit initium, vbi finem statuit Procopius. Vero propius est illum ethnicum fuisse, quàm Christi fidelem: neque tamen diuersæ factionis homines insectatur palam, aut mordet, perinde ac Zosimus fecerat. Dictione vsus est florida, ac tersa; quam, suo more, vti barbaram, & fæculentam reprehendit Verderius; omni enim potius ornatu scripta sua compsit; nudamq; Historiam vetulæ, nugis scatenti, persimilem sibi videri dicebat: Quodq; grauissimos quosque scriptores fecisse compererat, disceptationibus, & consilijs iudicium suum interposuit, & quasi arbiter datus, sententiam tulit: Quod tamen à Xenophonte, aut Cæsare, Historicorum longè principibus, factum non video. Eius historia à Priore Sanctæ Balbinæ conuersa seruatur in Vaticana, multarum bibliothecarum, spolijs, & Palatinæ in primis, superbi. Eius quoque ibidem habentur epigrammata, castrata à Maximo Planude monacho, resectis scilicet quæ lasciuiora videbantur.

XXXV.

IORNANDES, EPISCOPVS RAVENNÆ, quem tamen Gothorum Episcopum vocat Baronius, & erat

illic

ille quidem natione Gothus, non sacerdotio, claruit Iustiniani temporibus, & Magnum Cassiodorum secutus scripsit de rebus Geticis, gestisq; Romanorum, stylo planè rudi, barbaro, & agresti; nisi quod aliquantisper profecit ex assidua Flori lectione, ex quo pleraque ad verbum exscripsit. Quidam verò manuscripti codices hanc epigraphen præseferunt: *Iordani Episcopi liber de origine mundi, & actibus Romanorum, cæterarumq; gentium.* Quæ quidem inscriptio magis placet; tractat enim in eo libro non de Romanis tantùm, sed etiam de Assyrijs, Medis, Persis, Macedonibus. Produxit autem commentarium suum vsque ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum ex supputatione Baroniana. Germanum, verumq; eius nomen fuerit ne Iornandes, an Iordanus, ambigitur: Baronius, & Vossius videntur malle Iordanum. Ego vnum esse nomen puto, sed vario modò barbarè scilicet, ac Latinè pronuntiatum.

XXXVI.

MARCELLINVS COMES ILLYRICANVS Chronicon satis accuratè composuit ab excessu Valentis ad quartum Iustiniani consulatum, quem iniit anno CHRISTI quingentesimo trigesimo quarto. Auctor est Cassiodorus hunc Marcellinum Constantinopolitanam ciuitatem, & Vrbem Hierosolymorum quatuor libellis minutissima narratione scripsisse. Caue autem putes hunc Marcellinum eundem esse cum Ammiano, qui & ipse Marcellinus vocatur, multoq; est antiquior, quippe qui scripserit sub Iuliano.

XXXVII.

BEDA PRESBYTER ANGLO-SAXO scripsit Ecclesiasticæ Anglorum Historiæ libros quinque ad Ceoluulphum Regem Nortumbriæ, apud quem magno in honore fuit. Incipit autem à Iulij Cæsaris in Britanniam traiectione, desinit anno CHRISTI DCCXXXI. cum triennio post diem suum sanctissimè clauserit. Egit præterea de temporũ ratione, ac de sex mundi ætatib: aliaq; plura scripsit ad rem Ecclesiasticam, & sacræ paginæ interpretationem pertinentia. Auctor in Historia fidelis, & diligens, latinæ linguæ peritus, si quis alius eo seculo: Quamuis Bodinus adeo in aduersum nitatur, vt Bedam incondite scripsisse, & de eo non esse magnopere laborandum affirmet. Iacobus Philippus eum vocat Græcè, & Latinè doctissimum: Albinusq; Flaccus Doctorem eximium appellat. Et fuit certè vir studiosissimus, atque laboriosissimus: vt qui semper aut discere, aut docere, aut dictare, aut excipere dulce habuerit, quemadmodum de se ipse testatur. Baronius item litteratos labores egregij viri ad extremum ferè spiritum continuatos affirmat: Creditur autem annum vitæ centesimum præteriisse. Hunc inter sanctos Ecclesia retulit, ac Venerabilem cognomento appellauit, ob insignem morum sanctimoniam, & modestiam singularem, cuius in primis à Baronio laudatur. Denique Martyrologium Romanum Bedam venerandum presbyterum, pietate, ac eruditione celebertimum, digno, ac merito elogio condecorauit. Claruit sub Ioanne Sexto Pontifice, quo tempore Saraceni ex Africa soluentes Hispaniam inuaserunt. Quamobrem Beda litteris, non tam eloquentia, quàm pietate refertis, ad eam prouinciam recuperandam Christianos principes est cohortatus.

XXXVIII.

PAVLVS DIACONVS AQVILEIENSIS, de parentis nomine Varnefridus aliquando appellatus, Desiderij Lingobardorum Regis vltimi archigrammateus: victo rege suo, captus à Carlo Magno apud hunc summo aliquandiu in honore fuit: donec suspectior visus, ob prioris domini desiderium, deportatus est in Diomedis Insulam: Vnde ad Arichium, Principem Beneuentanum, Desiderij Regis generum, profugit, eoque vita functo, monachum induit in Casinensi cœnobio. Duos Eutropio addidit libros à Iuliano vsque ad Iustinianum: totumque, vt supra notauimus, Eutropij breuiarium produxit, atque interpolauit. Præterea scripsit Historiam Vinnulorum, qui postea nuncupati sunt Lingobardi, luculento, & plano sermone, si audiamus Sigebertum. Et sanè quidem in tam rudi seculo claruit ipse inter primos, vt ait Baronius. Leo Ostiensis apud Cassiodorum Paulum asserit fuisse prudentia, & sagacitate insignem. Sigebertus autem testatur, eum propter scientiam litterarum fuisse à Carolo ascitum. Iacobus Philippus Paulum ait doctrina, & facundia cum primis excelluisse. Vigilantissimus, me quidem iudice, scriptor est Paulus, & plurimi faciendus, quamuis rudis, ac barbarus, quòd nusquam alibi reperire possimus, quæ ipse monumentis litterarum tradiderit, si de coæuis, aut vetustioribus loquimur. Nam post alios ex recentioribus plurima de Lingobardis memoratu digna collegit, & comportauit in Historiam Taruisinam, luculentissimè, & verissimè scriptam, vt est apud Orthelium, & Picciolum, patruus meus agnatione, at charitate, educatione, & penè adoptione pater, Ioannes Bonifacius, non minus inter Philologos, & Iurisconsultos, quàm inter Historicos longè clarissimus: Quem, vt secundis, iuxta prouerbium,

melio-

melioribus vtilissimum Venetiæ nostræ, totiq; Italiæ monumentum, à se auctum, castigatum, & recognitum promat, tuum erit, Domine, vrgere, atq; impellere.

XXXIX.

ANASTASIVS ROMANVS, ex Abbate Cardinalis, & Gregorij quarti Bibliothecarius, à Leone autem quarto in Romana Synodo exauctoratus, quod Ecclesiam, cui præerat, quinquennio deseruisset; transtulit è Græco Georgij Theophanis Chronicon: At vitas Pontificum vsque ad primum Nicolaum ipse composuit. Cæsar Baronius, itidem Cardinalis, & Bibliothecarius hunc antecessorem suum parum probat, & sæpè castigat, cum etiam disertim profiteatur ipsum aliquando omnia confundere, ac permiscere. Floruit autem circa annum CHRISTI sesquicentesimum supra octingentesimum.

XL.

ZONARAS, sub Alexio Comneno maximis honoribus in Imperio Constantinopolitano aliquandiu perfunctus, iam senior monachum induit, institutum Basilianum professus. Scripsit vniuersalem Historiam ab origine mundi ad excessum Alexij, qui diem clausit anno asserti orbis MCXVIII. Diligentiam eius desideramus in rebus antiquis: neque tamen accuratior euasit in sui temporis euentibus enarrandis; cum multa, magnaq; ea tempestate contigerint, Oriente quodammodo cum Occidente commisso. Sed huius incuriam suppleuit Anna Comnena, Alexij Cæsaris filia, quæ, non ita perfunctoriè, neque oscitanter, vt Zonaras, patris sui facta quindecim libris amplexa, eos Alexiada vocauit: Quorum priores octo ex Augustana Bibliotheca edidit Dauid Hoschoelius:

In

In quibus tamen amori paterno plus aliquanto indulsisse videtur, quam per leges Historiæ liceret: Cuius præstantissimæ Heroidos illud extat Zonaræ elogium: Studijs erat addicta, exquisitè Atticissabat, & acutissimo erat ingenio ad abstrusissimas quasque contemplationes. Egit Zonaras in Historijs suis multo melius, & accuratius Senatorem, quàm Historicum; & in his, quæ pertinent ad regimen rerum Vrbanarum plurimum valuisse existimatur Plenus tamen, & vndique scatens portentorum, & miraculorum, alijsq; eiusmodi fabulis, quibus, vt Græculus, mirificè oblectabatur, cum Polybium haberet, quem sibi ad imitandum proponeret, qui omnem vbique παραδοξολογίαν accerimè insequitur. Cæterùm noster hic alioqui, ex sententia Bodini, non contemnendus rerum gestarum scriptor, à magno Casaubono adeo nihili est habitus, vt ignominiæ causa appellatus sit legitimæ historiæ dehonestamentum.

ATQVE HÆC QVIDEM DE HISTORICIS ROMANIS singulatim notanda putaui. Generatim verò in Vrbana disciplina, si Bodinum, alioſque cordatos viros audiamus, laudantur Dionysius, Plutarchus, Liuius, Dion, Appianus, & hic ipse de quo postremo diximus Zonaras: In militari Cæsar, Velleius, Ammianus Hircius: In vtraque Polybius, ac Tacitus: In Principum arcanis, & aulica vita Tranquillus, Lampridius, Spartianus: In moribus populorum, & regionum varietate Diodorus, Mela, Strabo: nihil enim prohibet, quin & hos quoque cum alijs recenseamus, quanquam, pro mista ratione scribendi, Geographi historici verius sunt appellandi.

FECI, DOMINE, quod mandasti; non quidem bene, sed tamen vtcunque potui. Nec me fugit,

cum hæc scriberem, oportere non modo in omni genere Historiarum, sed etiam in rebus agendis diu versatum esse, qui virtutes Historicorum, ac vitia notare decreuerit. Vt enim Historicus vir grauis, integer, seuerus, intelligens, disertus, & quasi vitæ tam priuatæ, quàm communis, omniumq; rerum magnarum scientia instructus esse debet: Sic eisdem excultum artibus, & doctrinis esse conuenit, qui de Historicis sententiam dicere sit paratus. Rem sanè arduam, sed hominum generi per quam vtilem; interest enim reipublicæ, vt ait Bodinus, iudicia de scriptoribus, qui in publicum exeunt, incorrupta, minimeq; deprauata videri; ne, cum alienæ industriæ modum ponere volumus, optimos quosque à scriptione deterreamus; nè ve qui nostro iudicio fidunt, in errorem ducantur. Quibus animi dotibus, cum ego, pusilli admodum ingenij, & nullius ferè iudicij mihi conscius, omninò destituar, coactus tamen sum imperio tuo censuram instituere quadraginta virorum, qui iam dudum inter immortales ob sapientiæ opinionẽ, & publicũ famæ testimoniũ, omniũ litteratorum consensione consecrati, desierunt cum mortalibus numerari. At meum hoc, qualecunque, præiudicium nihil erit impedimento iudicio tuo, qui, cum Senator, fortuna, & virtute coeuntibus, sis constitutus melioris longè, & sanctioris Areopagi, quam ille apud Athenienses fuerit, potes iure tuo non tantùm homines, sed etiam Diuos iudicare. Vale. Scribebam Taruisij VI. Cal. Nouembris, Anno asserti Orbis M.DC.XXVI.

Tuus, DOMINE, futurus quoad viuam

Balthassar Bonifacius.

ADRIA-

ADRIANI POLITI

ORDO ROMANÆ HISTORIÆ LEGENDÆ.

IN historia cognoscenda, vt rerum gestarum, & temporum ordinem, qui vnus esse solet memoriæ custos prosequamur, & à primis temporibus ad vltimi hæc nostra tempora, quasi filo per manus ducto, deueniamus; primus historiæ scriptor, quem nobis ad legendum proponi oportet, esto is, quem ordine cæteri consequentur.

Dionysius Halicarnasseus, cuius historia complectitur vetustissimas Italorum, & Vrbis Romæ origines, & Romanorum res gestas domi, foriſque vsq; ad Lartem Herminium Exquilinum, & T. Virginium Tricostum Cœlimontanum Cos. ideſt annum ab Vrbe condita CCCVII.

Titus Liuius, cuius primi tres libri ab aduentu Æneæ in Italiam, vsque ad Lartem Herminium, & T. Virginiũ Tricostum Cos. conuenerunt cũ vndecim libris Dionysij, qui extant, & eadem omnino tractant, quæ Dionysius: sed breuissimè si cum Dionysio comparantur.

Eutropij primus liber ferè totus, cum issdem tribus Liuij libris coniungendus.

Romulus cũ 1.
Numa Põpilius
Plutarchi P. Valerius Publicola
C. Martius Coriolanus cũ 2.
Liu.

T. Liuij extremus tertius liber à Larte Herminio scilicet, & T. Virginio Tricosto Cos. vsq; ad extremum decimum librum; ideſt ad annum ab Vrbe condita CDLXII. Quo anno fuerunt Cos. Q. Fabius Maximus Gurges, D. Iunius Brutus Scæua, & erit decursus circiter CLV. annorum.

Eutropij extremum caput primi libri. De capta Vrbe à Gallis.

L. Flori primus liber vsq; ad bellum Tarentinum, & cum Pyrrho Rege.

Plutarchi L. Furius Camillus.

L. Flori extremus primus liber de seditionibus; De prima, secunda, tertia, & quarta Vrbis discordia. A Quinto autem Fabio Maximo D. Iunio Bruto Cos. vsq; ad P. Cornelium Scipionem, & T. Sempronium Longum Cos. Quibus Cōsulibus geri cœptum est bellum Punicum secundum, anno videlicet DXXXVI. ab Vrbe condita Liuij historia septuaginta quattuor annorum amissa est: in eius locum leguntur T. Liuij à Floro in compendium redacti quæ, vulgo, Epitomæ nominantur. Sunt autem isti T. Liuij liber vndecimus, ac reliqui nouem, qui eum statim sequuntur à Q. Fabio Maximo Gurgite, D. Iunio Scæua Cos. vsq; ad P. Cornelium Scipionem, Titum Sempronium Lōgum Cos. atque hic erit, vt paulo ante diximus, circiter LXXIV. annorum decursus.

Hoc in loco II. Decades Liuij desiderantur.

Plutarchi Pyrrhus.

L. Flori de bello Tarentino, & cum Pyrrho Rege, de bello Picente, de bello Salētino, de bello Vulsinienſi.

L. Flori liber secundus de Primo bello Punico, de bello Liguſtico, Gallico, Illyrico.

Polybij primi duo libri.

Eutropij liber secundus de Tribunis mil. cos. potestate, vsque ad initium belli Punici secundi.

T. Liuij lib. vigesimus, ac nouem, qui eum statim sequuntur; à P. Cornelio Scipione T. Sempronio Longo Cos. vsq; ad Seruium Sulpicium Galbam C. Aurelium Cottam Cos. ad annum scilicet ab Vrbe condita DLIV. Est autem decursus annorū circiter XVIII. ab initio videlicet belli Punici secundi, vsque ad initium belli Macedonici primi.

Forsitā meliu xxx. & nouem vt infe rius.

Forsitā medos

Appiani Alexandrini de bello ab Annibale gesto libellus vnus.

Po-

Polybij tertius & quartus liber præterea nonnulla in fragmentis vsque ad extremum xvij. librum. Quæ tamen quia manca sunt, & valde perturbata separari commodè poterant è tertio, & quarto lib. atque ex hoc ordine reijci.

Eutropius de bello Punico secundo, quod extremo capite tertij libri comprehensum legitur.

Plutarchi { Q. Fabij Maximus. / M. Claudij Marcelli

L. Flori historia de bello Punico secundo, quæ libro secundo legitur.

Hinc ab bellum Maced. pergendum est, quod cum Philippo Rege Persei patre gestum fuit; ideoque post superiores continuo legendi sunt.

T. Liuij lib. 31. & nouem reliqui, qui eum statim consequuntur, a Seruio Sulpitio Galba C. Aurelio Cotta Cos. qui anno ab V. C. DLIV. Consulatum gessere, vsq; ad Claudium Pulchrū, T. Sempronium Gracchum Cos. ideſt, annum ab V. C. DLXXVII. Quo anno Istricum bellum geri cœptum est, & erit decursus circiter XXIII. annorum.

Iustini de bello Macedonico primo, & bello Syriaco Regis Antiochi, & de bello Ætolico.

Plutarchi M. Porcius Cato Censorinus, seu Maior, vt ab alijs appellatur.

Appiani Alexandrini liber de bello Syriaco.

Eutropij liber quartus de bello Macedonico, & de bello Syriaco, & hic est decursus fermè XXII. annorū. Ab Vrbe autem condita DLXXVII.

T. Liuij liber XLI. & reliqui quattuor qui postremi consequuntur à C. Claudio Pulchro T. Sēpronio Gracho Cos. vsque ad C. Sulpicium Gallum, M. Claudiū Marcellum Cos. annum scilicet ab Vrbe condita DXXCVIII. & erit decursus XI. fermè annorum.

Plutarchi T. Quintius Flaminius.

L. Flori liber secundus de bello Istrico, de bello Gallogræco, de bello Macedonico secūdo, ac de bello Illyrico,

Plu-

XXXIV.

AGATHIAS, MEMNONII FILIVS, natus Murinæ, quæ in Asia veterum Æolensium colonia est, ad ostia Pythici fluminis, Iuris prudentiæ studijs addictus, ac propterea scholasticus appellatus, patronus causarum fuit Smyrnæ, vt ait Suidas. Hic, præter epigrammata, quorum egregia specimina extant adhuc in Anthologia, scripsit libros quinque de rebus gestis Iustiniani, cuius tempore floruit. Neque tamen omnia eius Imperij acta prosequitur, sed inde, vt ipse ait, sumpsit initium, vbi finem statuit Procopius. Vero propius est illum ethnicum fuisse, quàm Christi fidelem: neque tamen diuersæ factionis homines insectatur palam, aut mordet, perinde ac Zosimus fecerat. Dictione vsus est florida, ac tersa; quam, suo more, vti barbaram, & fæculentam reprehendit Verderius; omni enim potius ornatu scripta sua compsit; nudamq; Historiam vetulæ, nugis scatenti, persimilem sibi videri dicebat: Quodq; grauissimos quosque scriptores fecisse compererat, disceptationibus, & consilijs iudicium suum interposuit, & quasi arbiter datus, sententiam tulit: Quod tamen à Xenophonte, aut Cæsare, Historicorum longè principibus, factum non video. Eius historia à Priore Sanctæ Balbinæ conuersa seruatur in Vaticana, multarum bibliothecarum, spolijs, & Palatinæ in primis, superbi. Eius quoque ibidem habentur epigrammata, castrata à Maximo Planude monacho, resectis scilicet quæ lasciuiora videbantur.

XXXV.

IORNANDES, EPISCOPVS RAVENNÆ, quem tamen Gothorum Episcopum vocat Baronius, & erat ille

ille quidem natione Gothus, non sacerdotio, claruit Iustiniani temporibus, & Magnum Cassiodorum secutus scripsit de rebus Geticis, gestisq; Romanorum, stylo planè rudi, barbaro, & agresti; nisi quod aliquantisper profecit ex assidua Flori lectione, ex quo pleraque ad verbum exscripsit. Quidam verò manuscripti codices hanc epigraphen præseferunt: *Iordani Episcopi liber de origine mundi, & actibus Romanorum, cæterarumq; gentium.* Quæ quidem inscriptio magis placet; tractat enim in eo libro non de Romanis tantùm, sed etiam de Assyrijs, Medis, Persis, Macedonibus. Produxit autem commentarium suum vsque ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum ex supputatione Baroniana. Germanum, verumq; eius nomen fuerit ne Iornandes, an Iordanus, ambigitur: Baronius, & Vossius videntur malle Iordanum. Ego vnum esse nomen puto, sed vario modò barbarè scilicet, ac Latinè pronuntiatum.

XXXVI.

MARCELLINVS COMES ILLYRICANVS Chronicon satis accuratè composuit ab excessu Valentis ad quartum Iustiniani consulatum, quem inijt anno CHRISTI quingentesimo trigesimo quarto. Auctor est Cassiodorus hunc Marcellinum Constantinopolitanam ciuitatem, & Vrbem Hierosolymorum quatuor libellis minutissima narratione scripsisse. Caue autem putes hunc Marcellinum eundem esse cum Ammiano, qui & ipse Marcellinus vocatur, multoq; est antiquior, quippe qui scripserit sub Iuliano.

XXXVII.

BEDA PRESBYTER ANGLO-SAXO scripsit Ecclesiasticæ Anglorum Historiæ libros quinque ad Ceoluulphum Regem Nortumbriæ, apud quem magno in honore fuit. Incipit autem à Iulij Cæsaris in Britanniam traiectione, desinit anno CHRISTI DCCXXXI. cum triennio post diem suum sanctissimè clauserit. Egit præterea de temporũ ratione, ac de sex mundi ætatib: aliaq; plura scripsit ad rem Ecclesiasticam, & sacræ paginæ interpretationem pertinentia. Auctor in Historia fidelis, & diligens, latinæ linguæ peritus, si quis alius eo seculo: Quamuis Bodinus adeo in aduersum nitatur, vt Bedam incondirè scripsisse, & de eo non esse magnopere laborandum affirmet. Iacobus Philippus eum vocat Græcè, & Latinè doctissimum: Albinusq; Flaccus Doctorem eximum appellat. Et fuit certè vir studiosissimus, atque laboriosissimus: vt qui semper aut discere, aut docere, aut dictare, aut excipere dulce habuerit, quemadmodum de se ipse testator. Baronius item litteratos labores egregij viri ad extremum ferè spiritum continuatos affirmat: Creditur autem annum vitæ centesimum præterutius. Hunc inter sanctos Ecclesia retulit, ac Venerabilem cognomento appellauit, ob insignem morum sanctimoniam, & modestiam singularem, cuius in primis à Baronio laudatur. Denique Martyrologium Romanum Bedam venerandum presbyterum, pietate, ac eruditione celeberrimum, digno, ac merito elogio condecorauit. Claruit sub Ioanne Sexto Pontifice, quo tempore Saraceni ex Africa soluentes Hispaniam inuaserunt. Quamobrem Beda litteris, non tam eloquentia, quàm pietate refertis, ad eam prouinciam recuperandam Christianos principes est cohortatus.

XXXVIII.

PAVLVS DIACONVS AQVILEIENSIS, de parentis nomine Varnefridus aliquando appellatus, Desiderij Lingobardorum Regis vltimi archigrammateus: victo rege suo, captus à Carlo Magno apud hunc summo aliquandiu in honore fuit: donec suspectior visus, ob prioris domini desiderium, deportatus est in Diomedis Insulam: Vnde ad Arichium, Principem Beneuentanum, Desiderij Regis generum, profugit, eoque vita functo, monachum induit in Casinensi cœnobio. Duos Eutropio addidit libros à Iuliano vsque ad Iustinianum: totumque, vt supra notauimus, Eutropij breuiarium produxit, atque interpolauit. Præterea scripsit Historiam Vinnulorum, qui postea nuncupati sunt Lingobardi, luculento, & plano sermone, si audiamus Sigebertum. Et sanè quidem in tam rudi seculo claruit ipse inter primos, vt ait Baronius. Leo Ostiensis apud Cassiodorum Paulum asserit fuisse prudentia, & sagacitate insignem. Sigebertus autem testatur, eum propter scientiam litterarum fuisse à Carolo ascitum. Iacobus Philippus Paulum ait doctrina, & facundia cum primis excelluisse. Vigilantissimus, me quidem iudice, scriptor est Paulus, & plurimi faciendus, quamuis rudis, ac barbarus, quòd nusquam alibi reperire possimus, quæ ipse monumentis litterarum tradiderit, si de coæuis, aut vetustioribus loquimur. Nam post alios ex recentioribus plurima de Lingobardis memoratu digna collegit, & comportauit in Historiam Taruisinam, luculentissimè, & verissimè scriptam, vt est apud Orthelium, & Picciolum, patruus meus agnatione, at charitate, educatione, & penè adoptione pater, Ioannes Bonifacius, non minus inter Philologos, & Iurisconsultos, quàm inter Historicos longè clarissimus: Quem, vt secundis, iuxta prouerbium,

melio-

melioribus vtilissimum Venetiæ nostræ, totiq; Italiæ monumentum, à se auctum, castigatum, & recognitum promat, tuum erit, Domine, vrgere, atq; impellere.

XXXIX.

ANASTASIVS ROMANVS, ex Abbate Cardinalis, & Gregorij quarti Bibliothecarius, à Leone autem quarto in Romana Synodo exauctoratus, quod Ecclesiam, cui præerat, quinquennio deseruisset; transtulit è Græco Georgij Theophanis Chronicon: At vitas Pontificum vsque ad primum Nicolaum ipse compositi. Cæsar Baronius, itidem Cardinalis, & Bibliothecarius hunc antecessorem suum parum probat, & sæpè castigat, cum etiam disertim profiteatur ipsum aliquando omnia confundere, ac permiscere. Floruit autem circa annum CHRISTI sesquicentesimum supra octingentesimum.

XL.

ZONARAS, sub Alexio Comneno maximis honoribus in Imperio Constantinopolitano aliquandiu perfunctus, iam senior monachum induit, institutum Basilianum professus. Scripsit vniuersalem Historiam ab origine mundi ad excessum Alexij, qui diem clausit anno asserti orbis MCXVIII. Diligentiam eius desideramus in rebus antiquis: neque tamen accuratior euasit in sui temporis euentibus enarrandis; cum multa, magnaq; ea tempestate contigerint, Oriente quodammodo cum Occidente commisso. Sed huius incuriam suppleuit Anna Comnena, Alexij Cæsaris filia, quæ, non ita perfunctoriè, neque oscitanter, vt Zonaras, patris sui facta quindecim libris amplexa, eos Alexiada vocauit: Quorum priores octo ex Augustana Bibliotheca edidit Dauid Hoschelius:

In

In quibus tamen amori paterno plus aliquanto indulsisse videtur, quam per leges Historiæ liceret: Cuius præstantissimæ Heroidos illud extat Zonaræ elogium: Studijs erat addicta, exquisitè Atticissabat, & acutissimo erat ingenio ad abstrusissimas quasque contemplationes. Egit Zonaras in Historijs suis multo melius, & accuratius Senatorem, quàm Historicum; & in his, quæ pertinent ad regimen rerum Vrbanarum plurimum valuisse existimatur Plenus tamen, & vndique scatens portentorum, & miraculorum, alijsq; eiusmodi fabulis, quibus, vt Græculus, mirificè oblectabatur, cum Polybium haberet, quem sibi ad imitandum proponeret, qui omnem vbique παραδοξολογίαν accerimè insequitur. Cæterùm noster hic alioqui, ex sententia Bodini, non contemnendus rerum gestarum scriptor, à magno Casaubono adeo nihili est habitus, vt ignominiæ causa appellatus sit legitimæ historiæ dehonestamentum.

ATQVE HÆC QVIDEM DE HISTORICIS ROMANIS singulatim notanda putaui. Generatim verò in Vrbana disciplina, si Bodinum, alioſque cordatos viros audiamus, laudantur Dionysius, Plutarchus, Liuius, Dion, Appianus, & hic ipse de quo postremo diximus Zonaras: In militari Cæsar, Velleius, Ammianus Hircius: In vtraque Polybius, ac Tacitus: In Principum arcanis, & aulica vita Tranquillus, Lampridius, Spartianus: In moribus populorum, & regionum varietate Diodorus, Mela, Strabo: nihil enim prohibet, quin & hos quoque cum alijs recenseamus, quanquam, pro mista ratione scribendi, Geographi historici verius sunt appellandi.

FECI, DOMINE, quod mandasti; non quidem bene, sed tamen vtcunque potui. Nec me fugit,

cum hæc scriberem, oportere non modo in omni genere Historiarum, sed etiam in rebus agendis diu versatum esse, qui virtutes Historicorum, ac vitia notare decreuerit. Vt enim Historicus vir grauis, integer, seuerus, intelligens, disertus, & quasi vitæ tam priuatæ, quàm communis, omniumq; rerum magnarum scientia instructus esse debet: Sic eisdem excultum artibus, & doctrinis esse conuenit, qui de Historicis sententiam dicere sit paratus. Rem sanè arduam, sed hominum generi per quam vtilem; interest enim reipublicæ, vt ait Bodinus, iudicia de scriptoribus, qui in publicum exeunt, incorrupta, minimeq; depravata videri; ne, cum alienæ industriæ modum ponere volumus, optimos quosque à scriptione deterreamus; nè ve qui nostro iudicio fidunt, in errorem ducantur. Quibus animi dotibus, cum ego, pusilli admodum ingenij, & nullius ferè iudicij mihi conscius, omninò destituar, coactus tamen sum imperio tuo censuram instituere quadraginta virorum, qui iam dudum inter immortales ob sapientiæ opinionē, & publicū famæ testimoniū, omniū litteratorum consensione consecrati, desierunt cum mortalibus numerari. At meum hoc, qualecunque, præiudicium nihil erit impedimento iudicio tuo, qui, cum Senator, fortuna, & virtute coeuntibus, sis constitutus melioris longè, & sanctioris Areopagi, quam ille apud Athenienses fuerit, potes iure tuo non tantùm homines, sed etiam Diuos iudicare. Vale. Scribebam Taruisij VI. Cal. Nouembris, Anno asserti Orbis M.DC.XXVI.

Tuus, DOMINE, futurus quoad viuam

Balthassar Bonifacius.

ADRIA-

ADRIANI POLITI

ORDO ROMANÆ HISTORIÆ LEGENDÆ.

IN historia cognoscenda, vt rerum gestarum, & temporum ordinem, qui vnus esse solet memoriæ custos prosequamur, & à primis temporibus ad vltima hæc nostra tempora, quasi filo per manus ducto, deueniamus; primus historiæ scriptor, quem nobis ad legendum proponi oportet, esto is, quem ordine cæteri consequentur.

Dionysius Halicarnasseus, cuius historia complectitur vetustissimas Italorum, & Vrbis Romæ origines, & Romanorum res gestas domi, foriſque vsq; ad Lartem Herminium Exquilinum, & T. Virginium Tricostum Cœlimontanum Cos. ideſt annum ab Vrbe condita CCCVII.

Titus Liuius, cuius primi tres libri ab aduentu Æneæ in Italiam, vsque ad Lartem Herminium, & T. Virginiũ Tricostum Cos. conueniunt cũ vndecim libris Dionysij, qui extant, & eadem omnino tractant, quæ Dionysius: sed breuissimè si cum Dionysio comparantur.

Eutropij primus liber ferè totus, cum issdem tribus Liuij libris coniungendus.

Plutarchi { Romulus cũ 1. Numa Põpilius P. Valerius Publicola C. Martius Coriolanus cũ 2. } Liu.

T. Liuij extremus tertius liber à Larte Herminio scilicet, & T. Virginio Tricosto Cos. vsq; ad extremum decimum librum; ideſt ad annum ab Vrbe condita CDLXII. Quo anno fuerunt Cos. Q. Fabius Maximus Gurges, D. Iunius Brutus Scæua, & erit decursus circiter CLV. annorum.

Eutropij extremum caput primi libri. De capta Vrbe à Gallis.

L. Flori primus liber vsq; ad bellum Tarentinum, & cum Pyrrho Rege.

Plutarchi L. Furius Camillus.

L. Flori extremus primus liber de seditionibus; De prima, secunda, tertia, & quarta Vrbis discordia. A Quinto autem Fabio Maximo D. Iunio Bruto Cos. vsq; ad P. Cornelium Scipionem, & T. Sempronium Longum Cos. Quibus Cōsulibus geri cœptum est bellum Punicum secundum, anno videlicet DXXXVI. ab Vrbe condita Liuij historia septuaginta quattuor annorum amissa est: in eius locum leguntur T. Liulj à Floro in compendium redacti quæ, vulgo, Epitomæ nominantur. Sunt autem isti T. Liuij liber vndecimus, ac reliqui nouem, qui eum statim sequuntur à Q. Fabio Maximo Gurgite, D. Iunio Scæua Cos. vsq; ad P. Cornelium Scipionem, Titum Sempronium Lōgum Cos. atque hic erit, vt paulo ante diximus, circiter LXXIV. annorum decursus.

Hoc in loco II. Decades Liuij desiderantur.

Plutarchi Pyrrhus.

L. Flori de bello Tarentino, & cum Pyrrho Rege, de bello Picente, de bello Salētino, de bello Vulsinienſi.

L. Flori liber secundus de Primo bello Punico, de bello Liguſtico, Gallico, Illyrico.

Polybij primi duo libri.

Eutropij liber secundus de Tribunis mil. cos. potestate, vsque ad initium belli Punici secundi.

T. Liuij lib. vigesimus, ac nouem, qui eum statim sequuntur; à P. Cornelio Scipione T. Sempronio Longo Cos. vsq; ad Seruium Sulpicium Galbam C. Aurelium Cottam Cos. ad annum scilicet ab Vrbe condita DLIV. Est autem decursus annorū circiter XVIII. ab initio videlicet belli Punici secundi, vsque ad initium belli Macedonici primi.

Forsitā meliu xxx. & nouem vt infe rius.

Forsitā medos

Appiani Alexandrini de bello ab Annibale gesto liber vnus.

Po-

Polybij tertius & quartus liber præterea nonnulla in fragmentis vsque ad extremum xvij. librum. Quæ tamen quia manca sunt, & valde perturbata separari commodè poterant è tertio, & quarto lib. atque ex hoc ordine reijci.

Eutropius de bello Punico secundo, quod extremo capite tertij libri comprehensum legitur.

Plutarchi { Q. Fabij Maximus. / M. Claudij Marcelli

L. Flori historia de bello Punico secundo, quæ libro secundo legitur.

Hinc ab bellum Maced. pergendum est, quod cum Philippo Rege Persei patre gestum fuit; ideoque post superiores continuo legendi sunt.

T. Liuij lib. 31. & nouem reliqui, qui eum statim consequuntur, a Seruio Sulpitio Galba C. Aurelio Cotta Cos. qui anno ab V. C. DLIV. Consulatum gessere, vsq; ad Claudium Pulchrū, T. Sempronium Gracchum Cos. ideſt, annum ab V. C. DLXXVII. Quo anno Istricum bellum geri cœptum est, & erit decursus circiter XXIII. annorum.

Iustini liber de bello Macedonico primo, & bello Syriaco Regis Antiochi, & de bello Ætolico.

Plutarchi M. Porcius Cato Censorinus, seu Maior, vt ab alijs appellatur.

Appiani Alexandrini liber de bello Syriaco.

Eutropij liber quartus de bello Macedonico, & de bello Syriaco, & hic est decursus fermè XXII. annorū. Ab Vrbe autem condita DLXXVII.

T. Liuij liber XLI. & reliqui quattuor qui postremi consequuntur à C. Claudio Pulchro T. Sēpronio Gracho Cos. vsque ad C. Sulpicium Gallum, M. Claudiū Marcellum Cos. annum scilicet ab Vrbe condita DXXCVIII. & erit decursus XI. fermè annorum.

Plutarchi T. Quintius Flaminius.

L. Flori liber secundus de bello Istrico, de bello Gallogræco, de bello Macedonico secōdo, ac de bello Illyrico,

Plu-

Plutarchi L. Aemilius Paulus, qui Perseum vicit, ac de Macedonia triumphauit.

Eutropij lib. 4. de bello Macedonico secundo, & hic erit decursus annorum fermè xxij.

T. Liuij lib. 46. & 13. qui proximè sequuntur à L. Floro in epitomas redacti; nam ipsius qui erant integri perierunt, legendi à C. Sulpitio Gallo, M. Cl. Marcello Cos. vsq; ad extremum 59. librum ideſt ad Mem. Aemilium Lepidum Lucium Aurelium Orestem Cos. annum, scilicet ab Vrbe condita DCXVIII. & erit circiter XL. annorum decursus.

Appianus Alexandrinus de rebus Lybicis, siue Carthaginiensibus.

L. Flori de bello Maced. 3. de bello Punico tertio, de bello Achaico, de rebus in Hisp. gestis, de bello Numantino, ac de bello Asiatico.

Eutropij de bello Punico tertio, de bello Maced. 3. de bello Achaico, & de bello Numant.

Plutar. C. & Tib. Gracchi.

L. Flori de legib. Gracchanis, de seditione Tib. Gracchi, de seditione C. Gracchi lib. 3.

T. Liuij liber lx. ac xxx. qui deinceps illum sequuntur à M. Aemilio Lepido Oreste Cos. vsque ad extremum xxix. librum, ideſt ad M. Aemilium Lepidum Volcatium Tullum Cos. annũ scilicet ab Vrbe condita Dcxxcviij. & erit fermè LX. annorum decursus.

C. Crispi Sallustij liber de bello Iugurtino.

L. Flori de bello Iugurtino, de bello Allobrogico, de bello Cymbrico, Teutonico, & Tigurino, item de bello Thracio.

L. Flori de seditione Apuleiana, Drusiana, de bello, quod aduersus socios gestum est, de bello Seruili.

Eutropij de bello Iugurtino, de bello Cymbrico, de bello Sociali, de bello ciuili Mariano, & Mitridatico. Item prima pars sexti libri vsque ad bellum cum Spartaco gestum.

Plutarchi C. Marius, & L. Cornelius Sylla.

Ap-

Digitized by Google

Appiani Alexãdrini primus lib. de bellis ciuilibus.

T. Liuij liber xcj. ac xvij. qui eum ordinem sequuntur, vsque ad extremum cviij. ideſt à M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo Coſs. ad C. Cl. Marcellum. L. Cornelium Lentulum Coſs. annum videlicet ab V. C. Dccv. quo anno geri ceptum eſt bellum ciuile Cæſ. & Pomp. & erit circiter xvij. annorum decurſus.

Eutropij lib. vj. de bello cum Spartaco.

L. Flori de bello cum Spartaco, de bello ciuili Mariano, Sertoriano, de bello ciuili ſub Lepido, de bello Mithridatico.

Plutarchi Sertorius.

L. Flori de bello Cretico, de bello Balearico, de expeditione in Cyprum: de bello Gallico, de bello Parthico.

Plutarchi L. Licinius Lucullus, M. Licinius Craſſus, & M. Tull. Cicero.

Dionis fragmenta trigeſimi quinti, & trigeſimi ſexti libri.

Appiani Alexandrini libellus de bello Mithridatico.

C. Criſpi Salluſtij de coniuratione Catilinæ.

Dionis liber xxxvij.

L. Flori bellum Catilinæ.

Eutropij coniuratio, & bellum Gallicum vſque ad Cæſarem dictatorem.

C. Iulij Cæſaris commentarij de bello Gallico.

Dionis lib. xxxviij. ac duo deinceps, qui eum continuè ſequuntur, vſque ad extremum. xl. librum.

T. Liuij liber cix. ac ſeptem, qui deinceps eum ſequuntur à Cl. Marcello, L. Cor. Lentulo Coſs. vſque ad Iulium Cæſ. M. Ant. coſs. annum ſcilicet, ab V. C. Dccx. quo anno Cæſar in Magiſtratu occiſus eſt, & erit decurſus circiter quinque annorum.

C. Iulij Cæſ. de bello ciuili Alex. Africo, Hiſpanienſi.

Suetonij Tranquilli C. Iulius Cæſar.

L. Flori liber iv. de bello Cæſaris, ac Pompeij.

Dionis liber quadrageſimus primus, ac duo ſequentes

tes vsque ad extremum quadrageſimitertij.

Eutropij Caius Iul. Cæſar dictator.

Plutarchi Cn. Pompeius Magnus, C. Iul. Cæſar M. Porcius Cato Vticenſis.

Appiani Alexandrini lib. ij. de bellis ciuilibus.

T. Liuij epitomæ cxvij. ac xxiij. qui deinceps eum ordinem ſequuntur, præter quos nulli alij ad ætatem noſtram peruenere, à C. Iul. Cæſ. ſcilicet, & M. Ant. Coſ. vſque ad Neronem Claudium Druſum Germanicum T. Quintium Criſpinum Coſs. Quo in Magiſtratu Druſus eſt mortuus, annum ſcilicet ab V. C. Dcclxv. & erit circiter xxxv. annorum decurſus.

Lucij Flori extremus quartus liber de Cæſ. Aug. ac reliqua deinceps omnia.

Eutropij liber ſeptimus vſque ad Tib. Cl. Neronem Cæſ. Imperatorem.

Plutarchi M. Antonius, M. Iunius Brutus.

Appiani Alexandrini de bello Illyrico, & tres extremi libri de bellis ciuilibus.

Dionis lib. quadrageſimus quartus, ac duodecim, qui continue ſequuntur, vſque ad extremum lib. quinquageſimi ſexti: ſcilicet vſque ad Imperium Tiberij Claudij Neronis.

Suetonij Tranquilli C. Cæſar Aug. & erit decurſus xxj. annorum, a Druſo, ſcilicet & Criſpino Coſs. vſque ad Sex. Pomp. Sex. Apuleium Coſs. Quibus Coſs. Auguſtus obijt, & hunc annorum decurſum cum ſuperiori decurſu coniungi oportebit.

Huc addemus prius & poſterius volumen Vellei Paterculi, Ioannis Zonaræ annales ab V.C. vſque ad Imperium Tib. Cæſaris, & Iornandis Epiſcopi de Regnorum, & temporum ſucceſſione, qui perpetuo, & continenti ordine, ea breuiſſimè complectuntur, quæ à Romulo vſque ad Tib. domi, foriſque acta ſunt. Quamquam hi (quia continuata hiſtoria eſt) facile coniungi cum ſuperioribus poterunt. Sic vt res cum rebus tempora cum temporibus

ribus aptissimè conueniant. Id quod etiam volumus intelligi de Diodoro Siculo, de Trogo Pompeio, de Val. Max. de Paulo Orosio, & de eo, qui libellum de viris Illustribus scripsit. Omnia enim aut capitibus ita distinguuntur, vt sine vllo labore ad rem præsentem accommodari possint, aut ita continenti oratione perscribuntur, vt dissecari non possint, quin legentis ordinem, & cursum perturbent, ac remorentur.

Perducta igitur historia ad obitum Diui Augusti, idest (vt diximus) ad annum Vrbis Dcclvj. hæc, quę sequuntur, supererunt legenda, vt perpetuo ordine historiam ad hanc ætatem nostram perducamus.

C. Cor. Taciti ab excessu Augusti annalium libri quinque.

Dionis lib. quadragesimus septimus, quadragesimus octauus, & quadragesimus nonus, quibus continentur res domi, foriſque gestæ annorũ circiter xxvj. ab excessu Cæs. Augusti ad excessum C. Caligulę.

C. Suetonij Tranquilli Tiberius Cæsar. C. Caligula.

C. Cornelij Taciti liber vndecimus, ac reliqui, qui sequuntur omnes; nam à quinto ad decimumquintum ammissi sunt.

Dionis liber lx. vsque ad excessum C. Claudij.

C. Suet. Tranq. C. Claudius Cæsar, Nero Claudius Cæsar, Sergius Galba.

Plutarchi, Sergius Galba.

Suetonij Tranq. Otho Syluius.

Plutarchi, Otho Syluius.

C. Suetonij Tranq. Aulus Vitellius, Vespasianus, Titus.

Flauij Ioseph lib. de bello Iudaico.

C. Suet. Tranq. Flauius Domitianus.

Ex Epitomis Ioannis Xiphilini in Dionem Cassium, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus.

Ioannis Zonaræ eorundem Imperatorum vitæ; quæ & ipsæ apud illum, alię

ab alijs distinctæ seorsum legi possunt, vsq; ad Iustinianum Imp. ad annum scilicet ab V.C. Mccxxj à Christo autem nato Mxxix.

Iornandus Episcopus de rebus Geticis.

Procopius de bello Gothorum, de bello Persico, de bello Vandalico.

Agathius de bello Gothorum.

Leonardus Aretinus de bello Italico aduersus Gothos.

Ioannis Zonaræ Iustinianus.

Paulus Diaconus de gestis, & origine Longobardorum.

Hinc persequenda quæ à Dione Cassio, hoc est, ex ijsdem Epitomis Xiphilini in Dionem; nam de his scripta Dionis non extant, ab Ælio Spartiano, a Iulio Capitolino, ab Ælio Lampridio, à Trebellio Pollione à Flauio Vopisco, à Vulcatio Gallicano ab Herodiano, à Sexto Aurelio Victore, ab Eutropio, à Pomponio Læto, ab Ammiano Marcellino, à Ioanne Zonara, à Niceta Choniata, postremo à Petro Messia Hispan. de Imperatoribus scripta sunt. Quæ omnia seperari, & rursus componi possunt, & ex vno quoq; auctore seligi, vt singulorum Imperatorum vitæ, ac res gestæ continuatè legantur.

Huc addi possunt, historia Blondi, M. Antonij Sabellici, Leonardi Aretini, Poggij Florentini, Pauli Iouij Nouocomensis, compendium rerum Neapolitanarum, & alia huiusmodi sexcenta, quæ in lucem prodiere vltimis annis, & quæ à nostris quotidie scribuntur.

Hæc sunt, quæ de ordine eius Historiæ, quæ ad Romanum Imperium pertinet legenda proponere voluimus. Si qui tamen existimabunt nos fuisse in partiendis temporibus, quasique in dissecandis tamquam in membra ac frusta quædam auctoribus, nimium diligentes, ac superstitiosiores; eundem profecto modum ordinem sequuti primum

quemq;

quemq; auctorem, cuius partes legendas proposuimus legere totum poterunt.

Nos certè hunc ordinem quoad res memoriæ mandandas pertinent esse optimum, non modo iudicauimus, sed etiam experti sumus.

Nomina auctorum, qui Romanas Historias scripserunt.

Dionys. Alicarnasseus
T. Liuius
L. Florus
Eutropius
Plutarchus
Polybius
Appianus Alexandrinus
Crispus Sallustius
Dio Cassius
C. Iulius Cæsar
Suet. Tranquillus
Velleius Paterculus
Ioannes Zonara
Iornandes Episcopus
Diodorus Siculus
Pompeius Trogus
Val. Maximus
Paulus Orosius
Libellus de Viris Ill.
C. Corn. Tacitus
Flauius Ioseph de bello Iudaico.
Procopius de bello Gothorum
Agathius de bello Gothorum.
Paulus Diaconus
Aelius Spartianus
Iulius Capitolinus
Aelius Lampridius
Trebellius Pollio
Flauius Vopiscus
Vulcatius Gallicanus
Herodianus
Sex. Aurelius Victor
Pomponius Lætus
Ammianus Marcellinus
Niceta Choniata
Petrus Messia
Blondi Flauij
M. Ant. Sabellici
Poggij Florentini
Leonardi Aretini
Pauli Iouij
} Historiæ
Compendium rerum Neapolitanarum, & recentiores.

HISTORIÆ LATINÆ SCRIPTORES

IVXTA ORDINEM HISTORIARVM,

Quæ ab eisdem conscriptæ sunt.

Index adprimè vtilis ad historiæ cognitionem,

CONSCRIPTVS A CAROLO SIGONIO

Antiquitatis assertore.

Diodorus Siculus Græcus.
Iustinus in Epitoma Trogi Pompeij. Latinus.
Dionysius Halicarnassæus. Græcus.
Titus Liuius Patauinus Latinus.
Lucij Flori Epitome duplex Latinus.
Flauius Eutropius. Latinus.
Plutarchi Cheronæi Vitæ Græcus.
Caius Plinius Secundus Cęcilius Iunior. Latinus.
Caius Velleius Paterculus. Latinus.
Polybius Megalopolitanus. Græcus.
Aemilius Probus. Latinus.
Appianus Alexandrinus. Græcus.
Caius Salluſtius Crispus. Latinus.
Caius Suetonius Tranquillus. Latinus.
Dion Nicæus. Græcus.
Publius Cornelius Tacitus Latinus.
Caius Iulius Cæsar. Latinus.
Sextus Iulius Frontinus. Latinus.
Paulus Orosius. Latinus.
Lucius Aelius Spartianus. Latinus.
Caius Iulius Capitolinus. Latinus.
Titus Aelius Lampridius. Latinus.
Vulcatius Gallicanus. Latinus.

Tre-

Trebellius Pollio. Latinus.
Flauius Vopiscus. Latinus.
Herodianus Alexandrinus. Græcus.
Sextus Rufus. Latinus.
Ammianus Marcellinus. Latinus.
Zosimus Gazæus Græcus.
Iornandes Gothus. Græcus.
Beda Anglus. Latinus.
Paulus Diaconus. Latinus.
Marcellinus Comes. Latinus.
Procopius. Græcus.
Agathius. Græcus.
Anastasius S. R. E. Bibliothecarius.
Ioannes Zonara. Græcus.

Ex recentioribus.

BLondus Flauius. Latinus.
Pomponius Lætus. Latinus.
Ioannes Nauclerius. Latinus.
M. Antonius Sabellicus. Latinus.
Ioannis Cuspiniani Cæsares.

ORDO HISTORIÆ LATINÆ,

Vt à quoque scriptore per temporum seriem petenda est.

De his, quæ ante Reges in Italia, & sub Regibus Romæ gesta sunt annis CCXLIV. scripsere.

DIonysius Halicarnasseus Græcus lib. IV.
Titus Liuius. lib. I.
Lucius Florus. lib. I.
Pub. Velleius Paterculus. lib. I.
Flauius Eutropius. lib. I.
Plutarchus in Romuli, Numæ, & Poplicolæ Vitis.
Plinius de Viris Illustribus.
Paulus Orosius. lib. II.
Sextus Rufus.
Ioannes Zonara. Tom. I.

Solinus. Cap. I. & II. Polyhistoris.

Ab exactis Regibus ad leges XII. Tab. Ann. LVIII. quæ conscribi cœpta sunt Ann. ab V. Condita. CCCIII.

Dionysius libris VI. sequentibus.
Titus Liuius lib. ij.
Lucius Florus lib. j.
Eutropius lib. j.
Plutarchus in Poplicola, & Coriolano.
Plinius de Viris Illustribus.
Paulus Orosius libris ij.
Sextus Rufus.
Ioannes Zonara Tomo j.
Diodorus Siculus non nihil lib. xj. & xij.

A Tabulis XII. ad bellum Tarentinum & Regis Pyrrhi, qui anno Vrb. Condita DLXXIV. in Italiam venit, Annis CLXXI.

Dionysius pauca libro x. & xj.
Titus Liuius à lib. iij. ad x.
Item ex Flori Epitome libro xj. & xij. & Historiæ libro j.
Eutropius lib. j. & ij.
Plutarchus in Camillo.
Plinius de Viris Illustribus.
Paulus Orosius lib. xj. & xiij.
Sextus Rufus.
Ioannes Zonara Tomo j.
Diodorus Siculus nonnihil lib. xiij. & xiv.

A Pyrrho ad secundum bellum Punicum, quod captum est ann. Vrb. DXXXVI Ann. LXII.

Polybius lib. j. & ij.
Lucij Flori Epitoma à libro xiij. ad xx.
Et in historia lib. j. & ij.
Eutropius lib. ij.
Plutarchus in Pyrrho, Marcello, & Fabio Max.
Plinius de Viris Illustrib.
Paulus Orosius lib. iv.
Sextus Rufus.
Ioannes Zonara Tomo j.

A bello Punico secundo usque ad tertium, quod fuit anno Vrbis DCV. Ann. LXX.

Titus Liuius à lib. xx. ad xlv.
Lucij Florij Epitoma à xlv. usque ad xlix.

Po-

Polybij liber iij. iv. v. vj. & fragmenta reliquorum.
Lucij Flori historia libro ij.
Eutropius libro ij. iij. iv.
Silius Italicus lib. viij.
Plutarchus in Annibalis, Fabij Max. Scipionis, Marcelli, Catonis maioris, Pauli Æmilij, & Flaminij.
Plinius de Viris Illustribus.
Æmilius Probus in Annibalis, & Catonis.
Appianus in Syrio.
Paterculus lib. j.
Paulus Orosius lib. iv.
Sextus Rufus.
Ioannes Zonara Tomo j.

A' bello Punico Tertio ad Cæsarem Dictatorem, qui fuit ann. Vrb. DCCVI. Ann. C.

LVcius Florus in vtraq; Epitoma, in Liuij à lib. xlix. ad lib. cix. in alia lib. ij. & iij.
Appianus in Lybico, Iberico, & Mithridatico, & primo, secundoque bellorum ciuilium.
Eutropius lib. iv. & v. & vj.
Plutarchus in Gracchorum, Marij, Syllæ, Sertorij, Pompeij, Luculli, Cæsaris, Ciceronis, Catonis minoris, Antonij, & Bruti Vitis.
Cornelius Nepos in Attici vita.
Sallustius in Iugurthino, Catilinario, & Concionibus.
Dion libris xxxvij. xxxviij. xxxix. xl.
Suetonius in Cæsare.
Lucanus lib. x.
Cæsar in Commentarijs.
Paterculus lib. j. & ij.
Plinius de Viris illustrib.
Paulus Orosius lib. iv. v. & vj.
Sextus Rufus.
Ioannes Zonara Tomo j.

A' Cæsare Dictatore ad obitum Augusti, qui fuit anno DCCLXVII. Annis LXII.

DIon à libro xl. ad lvj.
Suetonius in Cæsaris, & Augusti.
Appianus lib. ij. iij. & v. bellorum ciuilium, & in Parthico.
Velleius Paterculus libro ij.
Cæsaris Commentaria de bello

bello Ciuili cum Aulo Hircio, seu Oppio.
Florus in vtraq; Epitoma, Liuij ad libro cix. ad cxl. & in altera lib. iij. & iv.
Plutarchus in Cæsaris, Ciceronis, Antonij, Bruti, & Catonis.
Eutropius libris vj. & vij.
Cornelius Nepos in Attico.
Tacitus initio libri j.
Orosius libro vj.
Sextus Rufus.
Sextus Aurelius Victor.
Ioannes Zonara Tomo ij.
Zosimus libro j. Historiarū.
Iosephus Iudæus libris antiquitatum. xiv. xv. xvj. xvij.

Ab obitu Augusti ad Domitiani necem, quæ fuit anno DCCCXLIX. Annis. LXXXII.

Dion libris lvij. & lviij.
Ioannes Xiphilinus in Epitoma Dionis.
Tacitus lib. xxj.
Suetonius in reliquis x. Imperatorum Vitis.
Eutropius libro vij.
Sextus Aurelius Victor.
Sextus Rufus.
Zosimus libro j.
Orosius libro vij.
Zonara Tomo ij.
Iosephus lib. xvij. xviij. xx. Antiquitatum.
Et de bello Iudaico lib. vij.

A Neruæ Principatu ad Constantini Imperium, quod fuit ann. Vrb. MLVIII. Annis CCX.

Eutropius lib. vij. & ix.
Sextus Aurelius Victor.
Sextus Rufus.
Ioannes Xiphilinus in Epitoma Dionis.
Paulus Orosius lib. vij.
Aelius Spartianus.
Iulius Capitolinus.
Ælius Lampridius.
Hærodianus Grammaticus.
Vulcatius Gallicanus.
Trebellius Pollio.
Flauius Vopiscus.

Ex recentioribus.

Pomponius Lætus.
Zosimus lib. j.
Eusebius in Chron. & Historia Ecclesiastica.
Ioannes Zonara Tomo ij.

Digitized by Google

A Coſtantino ad Iuſtiniani Imp. obitum, qui fuit anno Chriſti DLXV. vrbis verò MCCCXII. Ann. CCLXI.

Ex recentioribus.

POmponius Letus.
Eutropius lib. x.
Euſebius Pamphil. Cæſarienſis in vita Conſtant. lib. v.
Oroſius libro vij.
Sextus Aurelius Victor.
Sextus Rufus.
Ammiani Marcellini libri poſteriores xviij.
Zoſimus à libro ij. ad xviij.
Socrates Scholaſticus in Hiſt. Eccleſ. libro. ix.
Hermius Sozomenus Salaminius in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. ix.
Theodoricus Cyrenſis in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. vj.
Theodoricus Scholaſticus in Hiſtoria Eccleſiaſtica libro vj.
Euagrius Scholaſticus in Hiſt. Eccleſiaſt. lib. vj.
Hiſtoria Tripartita.
Iornandes Gothus in Chronicis.
S. Hieronymi Chronica Euſebio adiecta.
Proſper Aquilenius in Chronicis.
Procopij lib. vij.
Agathij Scholaſtici lib. v.
Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius in Vitis Pontificum, & Hiſt. Eccleſiaſtica.
Theophanes Iſaurus.
Nicephorus Calliſtus in Hiſtoria Eccleſiaſtica.

A Iuſtiniano deinceps.

EVagrius Scholaſticus.
Beda Anglus.
Paulus Diaconus.
Anaſtaſius in Vitis Rom. Pontificum, & Hiſtoria Eccleſiaſtica.
Ioannes Zonara Tomo iij.

IO. ANTONII VENERII
NOBILIS VENETI,
DE
ORACVLIS
ET
DIVINATIONIBVS
ANTIQVORVM
TRACTATVS SVCCINCTVS,
ET EXQVISITVS.

Digitized by Google

IO. ANTONII VENERII
NOBILIS VENETI
DE
ORACVLIS
ET
DIVINATIONIBVS
ANTIQVORVM
TRACTATVS DOCTISSIMVS,
ET ELEGANTISSIMVS.

Digitized by Google

LECTOR.

Quisquis es egregiè cordatus, probè pius,
Io. Antonio Venerio Patritio Veneto
Primùm benè ominare:
Dein libellum huncce in manus sume,
In quo licebit
Eruditionem inspicere præclaram, & doctrinam:
Non è scholasticorum Centurionum Manipulis
Evocatam,
Sed è veteris arcanæ sapientiæ summorum Ducum
Planè ipsis huc conductam Cohortibus:
Ad hæc
Multiplicem lectionem, Et rerum usum:
Tetricam tandem Oraculorum
Disciplinam,
Ita expolitam, Ita evulgatam:
Ut, quæ antehac in ipsis latuere mysteriorum
Abditis, nunc demum in lucem prodeant,
Elegantiori ornatu ad maiestatem composita;
Nullo fœda situ vetustatis.
Huic tu Viro longè clarissimo
Lubens fave, & eximiam in eo cum nobilitate
scientiam agnosce,

Raram

Digitized by Google

Raram hoc ſæculo Avem, & vt ſupervacaneam,
Ita oſcinem temporum feliciorum:
Interim dum ille
Maiora ſpondet, Tu expectas, & expoſcis,
Accipe oblativum de bonis Artibus Augurium:
Lege, & Vale.

Franciſcus Corteſius.

DE ORACVLIS ET DIVINATIONIBVS ANTIQVORVM.

IN longo, laborioſoque libro, quem de Religione texuimus, & apud Nos, vt multa dies, ac litura coerceat, adhuc retinemus, de Idolatricæ Religionis interitu ſermonẽ habentes, inter cauſas, cur illa perierit, Oraculorum defectum numerauimus, quibus hominum fides erga Deos, illos præcipuè nitebatur. Nam, cùm primum Chriſtiana Religio per orbem vulgari cœpit, Oracula ferè omnia loqui deſierunt: Cuius rei duo Ethnici Auctores, *Porphyrius*, & *Plutarchus*, præ cæteris teſtes ſunt. Primus, qui in Chriſtianos aliquando inuehens dixit: *Mortales, ex quo Ieſus colitur, nullã ex Dijs vtilitatem ſenſiſſe:* Alter, qui *de Oraculorum defectu* libellũ compoſuit; quærens cauſam, cur defecerint? Nam ſua ætate, præter vnum, aut duo, cætera omnia defecta, & obſcurata tradit. Hos, quantumuis doctos viros, falſa Religio ita obcæcauerat, vt veram huius rei cauſam noſcere nequiuerint: quæ, procul dubio, Chriſti in Terram aduentus fuit. Suſtulerat enim Dominus poteſtatem tenebrarum: & malis Dæmonibus vires ademerat, quibus Hominum genus fallere ſolebant. Quod Apollo Pythius fateri coactus eſt: quia (teſte *Nicephoro Caliſto*, in primo libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ) is à Cæſare Auguſto, quis in Imperio ſucceſſurus eſſet, interrogatus, diù tacuit; & cùm iterum atq; iterum

Teſtimonium Plutarchi, & Porphyrij, de defectu Oraculorum.

iterum respondere, silentijq; causam aperire, rogaretur, hæc tandem carmina protulit:

Lactantius Firmianus.

Me puer Hebræus, Diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Lactantius quoque *Firmianus*, hanc veritatem in dies clariùs apparuisse, testatur: cùm in libri de Verâ sapientiâ capite vigesimoseptimo, tantam crucis virtutem suâ ætate fuisse, scribat, vt, cùm Idolatræ Dijs immolare vellent si quis fronte cruce signatus aderat, nec sacra litare, nec à Vatibus vllum responsum habere, quirent. Verùm, quamuis procul dubio hæc vera sint; Nobis, prophanorum Auctorum sententias, de origine, ac interitu Oraculorum, in hoc libro exponere, & examinare, mens est, quia ab eorum ineptijs, nostræ Religionis veritas, clarius etiam patebit. Sed prius, cuiusmodi Oracula ista fuerint, declarare oportet: Nam, cognito effectu, de causâ facilius loquemur.

CAPVT I.

Qualia fuerint Oracula Antiquorum.

Porphyrius, & *Iambliehus*, tria Oracula ex omnibus, vt præcipua, commemorant. Vnum apud Colophones in Ionia; vbi aqua bibita vaticinandi virtutem præbebat. Alterum apud Branchides, in eadem Prouincia; vbi non aquam bibens, sed vapores ex aqua hauriens, diuinabat. Tertium in Delphis; vbi ad os antri sedens vaticinabatur. Huius Oraculi Delphici Origo, a *Diodoro Siculo*, in libro de vita Philippi Regis Macedonum, exponitur. *Fama est*, inquit, *Oraculum hoc à Capris inuentum fuisse, hinc; Delphos, cum illud consulunt, Caprarum sacrificia offerre. Nam, cum eo in loco, vbi nunc Templi ostium est,*

Diodorus Siculus.

Digitized by Google

est, Terra hiatus pateret, quando circumpascentes Capræ in illum fortè intuebantur, insuetam vocem statim emittere, gestibusque & saltibus ita exultare cœperant; vt Pastores admiratione afficerentur. Vnde vnus aliquando è Pastoribus, curiositate motus, ad cauum accedere, & intus inspicere ausus est: cum illicò eadem perturbatio, quæ capris obuenerat, illum corripuit, & diuino furore vexatus, futura prædicere cœpit. Huius rei fama, per Regionem vulgata, plures illuc, ad hæc mirabilia perspicienda, traxit; & omnibus, experiendi gratia ad antrum accedentibus, idem, quod primo, euenit. Quare vna omnium mente iudicatum est, terrestre Oraculum ibi reperiri, & aliquandiu hic mos seruatus fuit, vt, qui Oraculum consulturi adiuerant, ad hiatum ipsimet se prosternerent, & alter alteri mutuo responsa daret. Verùm, cum sæpè, diuini illius furoris agitatione, aliquem interire contingeret: statutum fuit, Fœminam eligi, qua ab Oraculo prædictiones acciperet, & cunctis responderet: cui, vt tutus ad hiatum esset accessus, machinam super ipsum, tribus pedibus fultam, ædificarunt, quæ Tripus nuncupatur. Hæc de Oraculo Delphico Diodorus. Quibus ex *Herodoto* addendum est; non vnam Fœminam tantùm, quia non sufficisset; sed plures huic Oraculo simul inseruijsse. Scribit enim *Herodotus* in Erato; *Perialam, vaticinantium mulierum Antistitem apud Delphos, à Cleomene donis corruptam.* Ex quibus, vaticinantes mulieres Delphis non vnam; sed plures fuisse, apparet. De aliorum duorum Oraculorum origine, nil reperi. Sed Fœmina ijs etiam præsidebat, quæ multis ritibus, & cæremonijs, (teste *Iamblicho*,) ad Deum recipiendum, se parabat antequam ad aquas accederet, & in furorem verteretur. Branchidica; mulier, in hac præparatione, triduum conterebat, antequam responsa daret. Præter hæc tria Oracula, idem *Diodorus Siculus*, in libro de vita Alexandri, de alio meminit, quod erat in Libya, & Iouis Ammonis nun-

Oraculi Delphyci inuentio, & natura.

Herodotus.

cupabatur: estque illud, a quo magnus Alexander, ipsius Iouis filius, dictus fuit. Oraculum istud peculiari quodam modo habebatur. Templum inter multas arbores constructum erat, prope fontem Solis, propterea nominatum, quia eius aquæ, Sole accedente, frigidæ, & recedente, calidæ euadebant. Vnde in meridie, frigidissimæ & noctis gallinicinio, calidissimæ reperiebantur. In hoc templo, Dei simulacrum smaragdis, alijsq; gemmis compositum, residebat, quod Sacerdotes manè, aurea quadam naui impositum, humeris gestabant, quò ei voluntatem eundi esse nouerant, magna Virginum, Matronarumq; turba, pæana canentium; & Deum cantu patrio laudantium, subsequente. Non refert autem Diodorus modum, qui ab Oraculo isto in dandis responsis seruabatur: neq; Nos apud alios illum inuenimus. Cæterùm, hoc Ammonis Oraculum Delphico antiquius fuisse, ex *Pausania* conijcimus. Scripsit enim, in libro de rebus Eliacis, *Pausanias*; constare, Græcos Libycis Oraculis olim vsos fuisse: cum extent aræ, in Ammonis Templo ab Eleis dedicatæ; in quibus incisum sit, de quo Oraculum Elei consuluerint, & quod responsum acceperint. Verisimile autem non videtur, Eleos tunc temporis longinquum Oraculum extra Græciam consulturos adijsse: dum tanti nominis Delphicum propinquum habuissent. Idem *Pausanias*, in libro de rebus Phoicorum, docet; cur Oraculum Delphicum Apollini adscriptum sit: & inquit, illud in initio Telluris fuisse nuncupatum, quia Tellus ore suo responsa dabat; Tellurem postea illud Themidi donasse, & Themidem Apollini tandem tradidisse. In quibus Pausaniæ dictis, non minima quidem latent mysteria. Nam, cùm Oraculum istud à Terræ hiatu proueniret; primi illius Inuentores, nil vlterius considerantes, Telluris illud dixerunt, sed posteri, cognoscentes, nil à Terra, absque Cœli virtute, fieri, & non omnia, sed honesta à Dijs petenda, Themidi Deæ,

Mirafontis natura in Libia.

Pausanias.

Pulchra quadam mysteria.

ex

ex Cœlo, Terraque ortæ, & cuius munus erat, mortales docere, quid à superis petere fas esset, idem adscripsere: vt scilicet significarent, Oraculum non à Terra tantùm; sed a vi ex Cœlo, Terraque emergente, produci, & monerent singulos, ne iniusta petituri illud adirent. Recentiores tandem, perspicientes Solem Patrem omnium, quæ in Terra fiunt, & sine illius ope nil oriri, sed communem matrem tot effectus, ab eo grauidatam, parere, Apollini, solari Numini, Oraculum donarunt. His quatuor Oraculis, alia in Aegypto antiquiora reperiebantur. Nam Aegyptus omnibus Regionibus antiquior dicitur; & ab eo in cæteras Prouincias, præcipueq: in Græciam, omnis falsa Religio manauit; *Herodotus q.* tradit, duas Fœminas, Iouis Thebani Sacerdotes, ex Aegypto digressas, duo Oracula, Delphicum in Græcia, & Dodonæum in Africa, cõdidisse; quibus duobus Oraculis, Nos illa duo Ioniæ recentiora putamus. Nam Iones, Asiæ minoris Populi, originem habuere à Ionibus Græcis, qui eò migrarunt. Verum, vtcunque de antiquitate sit; certum est, hæc quatuor Oracula mirabilitate, & fama, cæteris omnibus anteisse. Non desunt tamen alia, silentio minimè prætereunda, quæ ab ipso *Pausania* memorantur, vt vnum Apollinis, apud Corinthios; cui Virgo, viri consuetudine prohibita, assidebat: quæ noctu, singulis mensibus, agna (vt vocant,) facta, & victimæ sanguine illicò postea sibato, diuino furore replebatur. Et aliud maximè veridicum, [vt inquit,] in fonte ante Cæreris Aedem, apud Achæos; ex quo rerum omnium, & morborum præcipuè, futura cognoscebantur euenta; quod erat huiusmodi. Demittebant consulentes speculum, tenui suspensum funiculo, vsque ad aquam, ita, vt illius summitatem attingeret: postea sacrificijs, & precibus, Deam conciliabant, quo facto, in speculum intuebantur, & ex imaginibus, quas in illo videbant, an æger victurus, vel moriturus esset, poterant

Multa Oraculorum genera, ex Pausania.

Agna, mensura genus, ad dimetiendos agros

diuinare. Apud Cyaneos quoque, Apollinis Tyrei Oraculum reperiebatur; vbi, qui in fontem descendebant, omnia, quæ desiderabant, vaticinabantur. Vesta etiam suum Oraculum apud Corinthios habebat, vbi illam consulentes, cum thure incenso, lucernis accensis, & nummo donato, beneuolam prius reddidissent, interrogabant, & ad ipsius simulacri os aurem illico apponebant; quam postea manu prementes, templo egrediebantur, & egressi aperiebant, primamque vocem, quæ aure patefacta excipiebatur, Oraculi responsum iudicabant. Tandem aliud Herculis Oraculum, in eadem Corinthiorum regione fuit, vbi ex talorum iactu futura noscebantur. Tali erant varijs litteris inscripti, ita vt ex eis verba componi possent hos, qui Oraculum consulebant, Deo precibus prius placato, manu confusè sumptos super mensam iaciebant, & ex litteris, quas monstrauerant, verba componendo: verborum sensum, Oraculi responsum existimabant. Hæc omnia Oracula à Pausania referuntur: præterquæ adfuerunt etiam nonnulla, quibus ipsamet Deorum simulacra loquebantur, nec multis etiam mulieribus fatidicis, ac vatibus, nulli certo Numini assistentibus, Antiquitas caruit. Aderant quoque multi Doctores, non quidem ipsi furore perciti; sed qui fanaticorum dicta intelligere, somniorum significata noscere & ex victimarum extis, auiumque volatu, futura prædicere gloriarentur. Horum omnium causas, cur fuerint, & cur esse desierint, ex profanis Auctoribus requiremus. Et quia hæc omnia in Idolatrica Religione fuerunt, quid de his, ab illius Sacerdotibus, Theologisque creditum sit, prius inuestigandum, & ab Aegyptijs, vt antiquioribus, ac à Mercurio Trismegisto, illorum Theologiæ auctore, incipiendum est.

CAPVT.

CAPVT II.

Exponitur sententia Mercurij Trismegisti.

MErcurius Trismegistus, (teste *Marsilio Ficino*,) primus Theologiæ auctor fuit; & ab eo omnes alij Theologi emanarunt; qui vnus post alterum quinque fuerunt: Orpheus, Aglaophemus, Pythagoras, Philolaus, & Philolai discipulus Plato; à quo ipsa Theologia penitùs absoluta est. Mercurius, vt quidam dicunt, viginti-mille; vt alij referunt, triginta-sex-mille, quingenta, & viginti-quinque, volumina conscripsit; sed ex tantis duo tantùm, Pimander, & Asclepius, superfunt; ex quibus, quid ille de Oraculis senserit, exquirere possimus. Aliorum verò quatuor Theologorum libros tempus omnes deleuit: quocirca eorum sententiæ non satis constant, nihilominùs ex Plutarcho, Porphirio, Iamblicho, alijsque recentioribus illa Theologia initiatis, quænam esse potuerint, compræhenditur. Platonis mens, cùm tot illius libri habeantur, nemini eis studenti ignota esse potest. Mercurius ergo putauit, præter cœlestes Deos, naturas alias, inter illos & Homines medias, reperiri; quas Angelos, & Dæmones, & aliquando terrenos Deos appellat. His omnium Oraculorum, ex statuis loquentium, ortus & interitus causam attribuit; videlicet, vt Oracula durent, quousque Dæmones in statuis morantur; & eadem pereant, cùm illi ex eis egrediuntur, cur verò hæc ab ipsis Dæmonibus fiant, varias rationes adducit. Eos, inquit, Regionem, inter Cœlum, & Terram interiectam, incolere, & ex herbis, lapidibus, aromatibus, alijsque terrestribus, vim diuinitatis naturalem in se habentibus, constare: Vnde, vt propè nos habitantes, & nobis quasi amica cognatione

Quæ fuerint antiquæ Theologiæ Auctores.

Naturæ Dæmonũ ex Mercurio.

tione iunctos, amore erga humanum genus affectos esse; propterea que Hominibus, prout illorum natura fert, diuersis modis auxiliari; sortibus futura prædicendo, & alia ad nos pertinentia curando. In statuas quoque, à nobis constructas, ingredi; & ex illis responsa dare; multosque annos in eis, ob varias causas, morari. Primùm, quia statuæ ex materiâ eis congruenti factæ sunt, deinde, quia Homines multis illecebris eos in illis detinere sciunt; vt frequentibus sacrificijs, hymnis, laudibus, & harmonicis concentibus; quibus delectantur. Nam, cum ex terrestribus constituti sint; voluptate, dolore, alijsque passionibus, non carent. Ex statuis postea exire: siue quia ipsæ statuæ tempore corrumpantur; siue quia earum cultus ab Hominibus prætermittatur; siue quia ipsi Dæmones, ob aliquam negligentiam, irascantur colentibus; siue tandem, quia morandi satietate affecti sint. Ne verò Mercurius incredibilia dixisse visus esset; dicta pro viribus probat; & Hominis naturam, quantùm potest, inprimis extollit; ne, Oracula ab illo formari potuisse, mirum sit. Hominem ergo, animal venerandum, & prædicandum, magnumque Mundi miraculum, appellat; qui ex omni natura constitutus sit, cœlesti, terrena; mortali, ac immortali, & omnibus, tàm superioribus, quàm inferioribus, iungatur; parte, quæ ex anima, sensu, spiritu, & ratione constat, Diuinis; parte, quę ex igne, aere, aqua, terraque conficitur, sublunaribus, sed quando se ipsum à cupiditatibus earum rerum separat, quas mortalis pars appetere solet, animumque à corpore abstrahit; tunc quasi in essentiam Dei transfiguretur, & cœlicolis vel præstantior, vel dignitate par, euadat, potestatemque maximam acquirat; ita vt, quemadmodum Deus cœlestiũ deorum est effector; ita ipse Deos illos, qui in Templis habitant, efficere possit, statuas videlicet, animatas sensu, & spiritu plenas, præsciasque futurorum. Huiusmodi, subiungit, Proauos nostros fuisse; qui tamen cœlestis Dei per-

Statuæ loquebantur, & prædicebant futura.

perfectam cognitionem non habuerint. Nam, eo cognito, Deos terrenos non curassent, sed ingrati de illo, & à Diuina Religione valdè aberrantes, artem, quà Deos efficerent, excogitarunt; statuasque extruxerunt, in quas, cùm ipsi animas creare non possent, Dæmonum, vel Angelorum animas euocarunt. Hæ autem vocatæ, venerunt: tum quia horum Hominum magna vis erat; tum, quia Angeli, & Dæmones, tantam cognationem cum Hominibus habent, vt ad nostri obsequium propria natura trahantur. Hæc est *Mercurij* de Oraculis sententia, ex illius libris à Nobis excerpta, & quàm pauciſſimis explicata: Quæ Oracula aliquando omnia defutura, his verbis prædixit. *Linquetur Ægyptus; & Terra, quæ fuit Diuinitatis sedes, Religione viduata, Numinum præsentia destituetur: alienigenis enim Regionem istam, terramq; complentibus, non solùm neglectus Religionum; sed, quod durius, quasi legibus præscripta pœna, à Religione, pietate, cultuq; diuino, prohibitio erit. Tunc Terra ista sanctiſſima, sedes delubrorum atque templorum, sepulcris, mortuisq; pleniſſima videbitur: O Aegypte, Aegypte Religionum tuarum sola supererunt fabulæ, incredibiles Posteris tuis, solaq; supererunt verba, inciſa lapidibus, tua pia facta narrantibus: & inhabitabit Aegyptum Scythes, aut alius vicina Barbariæ Populus; Diuinitasq; repetet Cœlum.* His dictis hæc paulò inferiùs addit. *Noua conſtituentur iura, lex noua: nil sanctum, nihil religioſum, nec cœlo, nec cœlestibus dignum, audietur, aut credetur.* Hæc aliaque similia, *Mercurius*, quibus Mahometanam superstitionem vaticinatus videtur; & defectum Oraculorum, neglectui, defectuique Religionis tribuit; dicens, Oracula defutura, quando Homines Religionis expertes impijque euadent, neque enim tunc Idola colent, neque ea fabricabunt; neque in illis Dæmonum animas introducere valebunt; Dæmones verò, cùm se neglectos viderint, ab antiquis etiam statuis discedent.

In

In his tenebris ergo Mercurius fuit; vt Oraculorum defectum Hominum vitijs, & Dæmonum iræ potiùs, quàm Diuinæ potentiæ, adscripserit. Nunc, quid de Sibyllis, & Vatibus etiam crediderit, videamus.

Mercurij sententia, de Vatibus, & Sibyllis.

Hos quoque diuina virtute putat vaticinari; sed quomodo eos Dij suo spiritu repleant, non declarat. Cæterùm, inquit, Hominem Dijs nulla ratione melius, quàm Religione, iungi, eos enim nostris admirationibus, venerationibus, laudibus, & obsequijs, delectari: propterea Musarum chorum è Cœlo in Terram demisisse; vt sonis, & cantibus harmonicis, eos colere possimus. Tunc verò perfectissimam esse Religionem; quando à singulis cupiditatibus, & omnium rerum, quas mortalis pars appetit, desiderio, animus separatur, quia ipse ad diuina, & mortalia, simul adijci nequit; immo eò magis à Diuinis seiungitur, & partis superioris vim amittit; quo magis mortalibus mancipatur. Sed hac de causa paucos in Terrarum Orbe Religiosos reperiri: quia plurimos corporeæ, terrestresque voluptates, à Diuinitatis contemplatione, abstrahunt; quorum anima insanabilibus vitijs vulnerata, inscitia, & imperitia quoque opprimitur; & ijsdem passionibus, quas Brutorum animæ patiuntur, obnoxia euadit: quocirca, cùm à Diuinis omninò seiuncta, & tota in terrestria sit immersa, à diuina mente prorsus destituitur; quæ ijs contrà, quæ bonæ, piæ, puræ, sanctæ, religiosæque sunt, semper adest, contraque imminentia mala opem fert: eas ab ignorantia liberans, nocte per somnia, die per portenta, per aues, per victimarum viscera, per Spiritum, & per Sibyllam docens; ita vt præterita, præsentia, & futura, noscant; claram intelligentiam adipiscantur; & ipsi Diuinæ essentiæ, provt fieri potest, similes fiant. Quare ex hac Mercurij doctrina nil aliud percipitur; quàm Sibyllas, & Vates, esse Dei opus, ad proborum, religiosorumque Hominum beneficium; quorum mens tanto fulgore ab ipso

Deo

Deo illustretur, vt propheticis dictis enuntiata intelligere, & à malis cauere possint. Non cognoscitur verò, quo modo Sibyllas, & vates Deus hac vaticinandi virtute repleat; sed à Porphyrio, & Iamblicho, id explicabitur, qui ab ipso Mercurio forsan didicerunt: cùm multos illius libros isti viderint, quos Nos non habemus, & hanc tam præcipuam doctrinæ partem ab eo prætermissam fuisse, verisimile non sit. Verùm, quia de Angelis, & Dæmonibus, tàm à mercurio, quam ab alijs Theologis, mentio sæpè fit: vt dictis claritas insit, quid Angeli, & Dæmones, apud hos fuerint, antequam vlterius progrediamur, operæ precium est indicare.

CAPVT III.

Antiquorum sententia de Angelis, & Dæmonibus.

ANtiqui, licèt Deorum, & Dæmonum nominibus, (vt notat Plutarchus,) promiscuè sæpè vsi sint; non tamen Deos, & Dæmones, idem esse, immò plurimum differre, putarunt: neque tamen, vt Nos, naturam Dæmonum inuisam, detestandam, & infimam; sed nobilem, amandam, colendam, humanisq; animis præstantiorem, crediderunt, quod indè euenit; quia post diluuium Homines, iterum numero aucti, & per orbem diuisi, cum veri Dei notitiam amiserint; Angelorum quoque, ac Dæmonum veram cognitionem perdidere, & quemadmodum humana prudentia, Orbem Deo carere non posse, cognoscentes, summi Creatoris loco, falsos Deos excogitarunt, ita, plurium effectuum causas ignorantes, quas Deo tribuendas non putabant, naturam Dæmonum longè aliam ab ea, quæ sit, statue-

runt: neque eam ab Angelica distinxere, nisi loco: (vt quidam dicunt,) & parua quadam excellentia: ex Dæmonibus eos, qui partem Cœlo proximiorem habitant, Angeli nomine vocantes. Cæterum, vt plurimum ab omnibus, Dæmones Angeli quoque nuncupati fuere, ob nuntiandi officium, quo assiduè fungi credebantur. In quem errorem Antiquos, non tàm humani ingenij cæcitas, quam ipsorum communium Hostium fraus impulit; qui hinc Hominum genus subijcere, & Deo, Cœlestibusque debitos honores vsurpare voluere. Propterea hæc falsa de Dæmonibus doctrina, antiquissima est, & huius inuentionem, quidam Zoroastri, quidam Assyriorum Magis, & quidam Aegyptijs, tribuunt. Sed quicunque illius auctores fuerint, ipsi hac de causa eam excogitarunt. Videntes, & audientes multa mirabilia, vt voces in aere, statuas loquentes, Homines fanaticos, qui futura prædicere, & vocibus peregrini sermonis, quem nunquam didicerant, vti scirent, ac alia Naturæ, humanitatisq; vim superantia, neque hæc à Dijs cœlestibus fieri putantes: quia eos à materialibus nimis abstractos, & à Nobis seiunctos credebant, cum quilibet effectus suam habeat causam: alias Naturas, inter humanam & diuinam existentes, cœlestibus Dijs inferiores, & Hominibus proximiores, ponere coacti fuerunt, in quas omnium mirabilium causas conferrent. Has autem reperiri, *Plato* duabus præcipuis probat. Prima in Conuiuio, quæ est huiusmodi. Postulat Orbis perfectio, cuncta, quæ in eo sunt, vinculo quodam connecti. Quod cùm in corporibus optimè factum inspiciatur, quia elementa se mutuo tangunt, & quæ ex illis contraria inuicem sunt, mediorum interpositione simul in Mundo, quasi in vno corpore, iunguntur: idem in animis fieri credendum est. Quare, cum Dij, & Homines natura maximè distent: Dæmones interijci debent, qui medium locum impleant, & distantes coniungant, idq; non

Distinctio inter Angelos, & Dæmones.

Dæmones cur ab Antiquis fuerint excogitati.

Quibus Rationibus Plato Dæmones ponat.

solùm

solùm natura, sed muneris functione etiam, præstent, interpretando, & trajiciendo humana ad Deos, & diuina ad Homines, videlicet Deorum monita, & præcepta, ad nos, preces, & sacrificia nostra, ad illos. Secunda ratio in Epinomide sic adducitur. Cum quinque præcipua corpora in orbe reperiantur, Terra, Aqua, Aer, Aether, & Ignis, Terraque habeat sua animalia, vt Homines, & Ignis sua, vt Sydera, suis tria reliqua carere, verisimile non est, non enim, quia non videntur, debemus illa inficiari. Nam à corporum qualitatibus, vt Animalia cernantur, vel non cernantur, euenit: & Terrestria quidem, ob terræ densitatem, igneaque, ob ignis lucem, visibilia sunt: Aerea verò, & Aetherea, ob horum elementorum raritatem, visui non patent: Aquea autem, vt Semidei, aliquando apparent, magnam admirationem videntibus afferendo. Quare Dæmones, aethereum, ac aereum, in tertia, mediaque Regione reperiri, *Plato* statuit: quos, ob laudabile munus, quo funguntur, Nos precari, colereque debeamus. Huic Platonis sententiæ, omnes Academici, sequentibus seculis, semper assensere. Nam *Plutarchus*, in libro de defectu Oraculorum, scripsit, omne inter Deos, & Homines commercium ab ijs tolli, qui Dæmonum genus non concedunt: cùm naturam interpretem, & administram, remoueant. *Apuleius*, in libro de Deo Socratis, Deos, inquit, adeò sublimes esse, vt nullus eorum Hominibus misceatur; nihilominus eorum cultum non auferendum, quasi preces nostras non audiant, & nostra vota ad eos non perueniant: quia sunt quædam diuinæ mediæ Potestates, inter aethera, & terras, in hoc aeris spatio positæ; quibus desideria nostra, preces, merita, & munera, ad Deos referuntur, & à Dijs etiam ad Nos suppetiæ portantur. *Proclus* quoque, in commentatione Platonis dialogi, qui dicitur Alcibiades primus, scriptis mandauit, neminem rectè considerantem, aliam quandam nobis proximam pro-

Apuleius.

Proclus.

uidentiam, ad noſtra omnia pertinentem, præter Dæmonicam, inuenturum: quia Dæmon omnia, quæ in Nobis, & circa Nos ſunt, gubernat. Cæterùm, *Marſilius Ficinus*, præ cæteris diligentius, in Theologiæ Platonicæ libro quarto, & in pluribus Platonis dialogorum commentationibus, & argumentis, Platonicam opinionem explicat ac defendit: aſſerens, aqueos Semideos eſſe illos, qui Nereides vocantur ab Orpheo; & Zoroaſter inquit, in Africa, & Perſide, cerni in quibuſdam ſublimioribus aquæ exaltationibus, ab ijs, qui acutioribus oculis præditi ſunt. Et quia dicere aliqui potuiſſent, nil opus eſſe Dæmonibus & Semideis, ne aer, & aqua ſuis animalibus careant, quandoquidem aer auibus, & aqua piſcibus abundat: Confutat *Marſilius* pluribus rationibus ſententiam hanc. Primum, quia piſces, & aues terreſtria potius, quàm aquea & aerea animalia, ſunt: cum in terra degant, & terreſtri cibo vtantur, nec vlla auis vltra Montium vertices volet, deinde, quia non debent hæc elementa rationalibus animatis carere: cum terra his non careat; & tamen inferius, viliuſque elementum ſit. Quod ſi aliquis quæreret, cur non in aere, & aethere, quemadmodum in terra, & aqua, duplicis generis animalia reperiantur, videlicet ratione prædita, & rationis expertia? Reſpondet *Marſilius*, ab inferiorum elementorum impuritate, prouenire Animalium irrationalium procreationem, propterea que ea à cæteris, purioris ſubſtantiæ elementis, non procreari. Hæc eſt Marſilij Ficini, Platonicæ ſententiæ de Dæmonibus, explicatio: De quibus Plato non idem ſenſit omnino, quod Theologi Ægyptiorum. *Mercurius* enim appellat Dæmones, terrenos Deos, & putat, eos ex herbis, lapidibus, & aromatibus conſtitutos, terreſtribus qualitatibus præditos; & propterea terrenarum rerum oblatione delectari. *Plato* verò Dæmones, aeterea, aereaque animalia vocat: non quia terreſtris ſubſtantiæ expertes omninò ſint, ſed quia ex aethere,

Marſilius Ficinus.

Cur aer, & æther non habeant animalia rationis expertia.

there, aut aere, præcipuè constent. *Mercurius* etiam mali & vltoris Dæmonis, sæpè mentionem facit: quia cum ex eis, quæ à Dæmonibus fieri credidit, quædam bona, quædam mala essent; Dæmonum genus, in bonum, & malum diuisit, & huic sententiæ omnes Aegyptiorum Theologi postea assensi sunt. Sed Plato, (vt mihi videtur,) nullos malos Dæmones posuit: cum eos ex purioribus elementis, quam Homines, constare, & laudabili munere fungi, putauit. Verùm, quia ob mala, quæ in orbe fiunt, Antiqui malos Dæmones cogitarunt, & hos quarundam etiam diuinationum auctores crediderunt: propterea illorum, de malis Dæmonibus, & de ipso malo, sententia distinctior, & copiosior, est explicanda.

Non dantur mali Dæmones ex Platone.

CAPVT IV.

Quid de Malo, ac de Malis Dæmonibus, senserint Antiqui.

QVoniam bona, & mala in Orbe procul dubio reperiuntur; (nam sanitatem ægritudo aufert; generationis opera corruptio destruit; & virtutibus vitia aduersantur,) immò in his sublunaribus nullum bonum tam sincerum existit, quin eidem multa mala admista sint: magnum antiquis sapientibus negotium datum est, vnde hæc diuersa; an ab eodem, vel à diuerso principio, proueniant; inquirendi. Et *Homerus*, quamuis clarissimum ei, sine exemplo, illuxerit ingenium; in hoc certè non diuinus Vates, cùm bona malis permista videret, & cuncta à Deo proficisci crederet; finxit, in Iouis limine, duo iacere dolia, plena sortibus; vnum bonis, alterum malis; è quibus Iupiter misturam quandam faciat, quam Nobis impertiat; indeque Hominibus, nec

Homerus.

bona,

bona, nec mala prorsus; sed hæc inuicem confusa, euẽniant. Quæ Homeri opinio, cùm ipse etiam iram, libidinem, odium, omnesque perturbationes affectuum Dijs alias attribuerit, posterioribus Poetis peiora dicendi occasionem præbuit; videlicet, Hominum genus, vt à Titanibus originem ducens, Dijs odio esse, & ab illis propterea in Terrarum orbe, quasi in carcere quodam, detineri, & omnibus miserijs circumueniri. Verùm hæc ab omnibus Sapientibus, qui ante, & post Homerum fuere, confutata sunt. Nam neque Magi, qui Ægyptijs antiquiores dicuntur, (teste *Plutarcho* in libro de Iside, & Osiride) consonum existimarunt, vt primus aliquis poneretur, qui, Cauponis instar, è duobus dolijs veluti liquorem quendam misceret, ac distribueret, & *Plato* Homerum è sua Republica expulit: dicens, bonorum solum Deum esse auctorem; malorum autem, quamlibet aliam, præter Deum, causam quærendam. Quoniam igitur bonum à malo non oritur, & nihil absque causa fit; Zoroastri, Magorum Principis, sententia fuit, duo principia contraria, siue duos Deos, contrarijs deditos artibus, reperiri: quorum altero bona, altero mala efficiantur, & bonorum effectorem Deum, malorum Dæmonem, vocauit; propriaque etiam nomina ambobus indidit: Oromazem illum, Arimanium hunc dicens, & ex rebus sub sensum cadentibus, primum inquit luci, alterum tenebris similiorem, & primo victimas pro gratijs agendis, & bonis impetrandis: secundo, mali auerruncandi causa, immolandas: à primo bonos, à secundo malos Deos fuisse creatos, & inter hos alium Deum intermedium, nomine Mitram, existere, sed fatale tempus appetere, quo Arimanius omninò perdatur: Terraque omnis æquabilis, & plana, velut vna ciuitas beatorum hominum, euadat: qui vna lingua tantùm vtantur, ne quid ad felicitatem desit. Hæ Magorum fabulæ, à Manichæis omninò ferè postea receptæ

Opinio Zoroastri, & Magorum.

ceptæ sunt; quos *D. Dionysius Areopagita*, libro de diuinis nominibus, reiecit: probans, in peiorem errorem labi, qui duo principia ponunt, quàm qui malum à Deo prouenire opinantur. Nam, si duo rerum principia, inuicem contraria, & repugnantia, reperiri concedatur: nec Deus ipse à detrimento, molestiaque, procul aberit: siquidem non desit, quod ipsum quoque perturbet. Ægyptij verò Magis prorsus non assensere; non enim ob mala, quæ in rerum natura videntur, vnum generale principium malorum, Deo aduersum; sed ob iniusta, quæ probis Hominibus euenire creduntur, malos Dæmones posuere: vt ex *Porphyrio*, & *Iamblico* patet, quorum hic, in libro Mysteriorum, hæc scripsit. *Verùm si quis fortè conuicerit, ex imprecationibus ad superos factis, aduersa quædam aliquibus iniustè contingere, alias quasdam præter Deos bonaq: Numina, causas inquirere compellemur, quas si fortè non inueneri-mus, non tamen ob hoc suspicari aliquid debemus de Dijs, indignum diuina natura, eaq. scientia certa, quæ de bonitate Deorum nostris intelligentijs est innata, in quà procul dubio Graci omnes, Barbariq: consentiunt. Proinde, cum malorum species diuersæ sint, atq. dissidentes, non in vnam, sed in diuersas, referendæ sunt causas. Si verum est, quod de Idolis dicebamus, improbisq: Dæmonibus, hinc sanè exoritur multiplex origo malorum.* Hæc Iamblichus. At quæreres; Vnde malos Dæmones originem habuisse, Aegiptij crediderint: cum ex eorum doctrina, dici nequeant à Deo creati? Opinio Aegyptiorum fuit, omnes Dæmones à Deo bonos creatos, sed quosdam, electione praua, sponte malos euasisse. Quod à Phærecyde Syro etiam comprehenditur, qui scripsit, multos Dæmones, Ophioneo serpentino duce, defeciſse à Ioue, & Iouem eos ad inferos deturbasse, quo ipsi nunc Homines trahere conantur. Neque in hoc quidem solùm, sed in omni ferè malorum Dæmonum natura explicanda. Aegyptij

Dionysius Areopagita.

ptij cum Christianis Theologis conuenerunt. Vnde enim, nisi ex Aegyptiorum cupa, Porphyrius & Iamblichus perpotarunt, malorum Dæmonum proprium esse mendacium; hos esse eos, qui in oraculis mentiuntur, & turpia consulunt: hos omnia agere, vt Dij videantur, & Potestatem eis præsidentem cupere pro Deo maximo haberi: proptereaque veritatem aliquando dicere, vt fidem nostram sibi concilient, & quædam bona quandoq; præstare, vt nobis boni appareant? Facile igitur Magis & Aegyptijs fuit, malorum causam assignare: cum illi malos Deos, & isti malos Dæmones, constituerint, ad quos mala possent referri. Sed malorum, quæ in Natura fiunt, vt ægritudinum, corruptionum, & huiusmodi; quam originem Aegyptij reperient, cum eorum culpam in malos Dæmones non conferant? Et *Plato*, qui omnes Dæmones bonos credidit, vnde hæc, & cuiusuis generis mala, proficisci dicet? Quod ad Aegyptios attinet, *Mercurius*, in Pimandro, huic dubitationi abundè satisfacit: inquit enim, has passiones creata opera sequi, quemadmodum aes rubigo: animata corpora limus. Vnde quemadmodum Faber ferrarius non induxit rubiginem, neque animati corporis genitor cœnum ac sordes; eodem modo nec Deus etiam malum, sed generationis perseuerantia mali causam præbet, & propterea Deus mutationem rebus instituit, seu quandam generationis ipsius purgationem. Ex qua doctrina colligitur, à Deo non solum mala non fieri: sed impediri, & alia bona ex illis educi. Nam, cùm necesse sit, generata corrumpi, vt generatio perpetua fiat: corruptio non quidem à Deo: sed à passionibus generationem consequentibus, prouenit, & Deus pro sua bonitate facit, vt ex vnius corruptione alia res generetur, quod est, veluti generationem, corruptionis sordibus inquinatam, abluere, ac purgare. Vnde in eodem Pimandro scripsit, falsis quibusdam appellationibus Hominum

Deum vnius mali esse auctorem.

mentes

mentes turbari: quia neque generatio vitæ creatio est: sed latentis vitæ explicatio: neque corruptio mors est, sed potius, occultatio. *Plato* vero, hanc Mercurij sententiam omnino recepisse, videtur. Nam in Politico inquit, Mundum, cum prius deformis & absque ordine esset, præsenti ornatu à Deo decoratum, & ipsum ordine, quem habuit, certo temporis spatio spontè motum fuisse, sed quia natura corporea, mutationis expers omninò esse non potest, immò priscæ naturæ fomes Mundo semper ineſt; hinc fieri, vt, procedente tempore, ipse ab accepto ordine discedat, ac deformetur; periculumque subeat, vt cum omnibus, quæ in eo sunt, prorsus dissoluatur. Sed Deus, primi ordinis auctor, eum in tanto discrimine positum videns, miseretur, & resumptis gubernaculis, iterum astat, & præsidet, ægrotantiaque omnia & dissoluta corrigit, ac in ordinem restituit, Orbemque à senectute & morte plenè liberat. Quare omnium naturalium malorum culpa, in naturam corpoream, materiamque, à Platone confertur. Vnde non sine causà *Plotinus*, nil boni in materia reperiri, & naturam corporum eatenus malam, quatenus materiam participat, scripsit. Malorum autem, quæ Hominibus eueniunt, *Plato*, quædam nostra culpa tantùm oriri, & quædam non esse mala, quàmuis nobis videantur, existimat. Nam, si de pœnis loquamur, quibus à Deo afficimur; hæ quidem malæ non sunt: cùm improbitatis medicina sint, quâ iustiores reddimur. Soli verò improbitati, & ignorantiæ, mali nomen conuenit, sed hæc à corpore tantùm proueniunt: quia anima humana, antequàm corpus ingrediatur, respicit Ideas, & vera entia noscit, corporeisq; cupiditatibus non est obnoxia. Tantùm verò abest, vt, ex Platonis sententia, Deus horum malorum causam det: vt quinimmò scriptum sit in Timæo, neque etiam illam animæ nostræ partem, quæ perturbationibus afficitur, à Deo creatam fuisse, sed inferioribus Dijs, vt hanc conderent, &

Platò in Politico.

Plotinus.

Lege Platonem in Gor-gia.

ad immortalem naturam mortalem texentes, Hominem facerent, Deum mandasse: quia, si à Deo solo Homines fierent, Dijs adæquarentur. Non putauit ergo Plato à suprema Mentis diuinitate, quid posse fluere, nisi diuinum, impassibile, & immortale, adeoq; bonum, vt non solùm euadere non possit malum sed neq; receptaculum malorum.

Plutarchi sententia de anima humana.

Quam sententiam Plutarchus, & Philo postea amplexi sunt. Nam ille, in libro de Animæ procreatione, dixit, non omnem animam nostram esse Dei opificium: cùm verisimile non sit, eam partem à Deo conditam fuisse, quæ perturbationum, rationi aduersantium, fons est, & hic, in libro de Mundi fabrica, scripsit: Hominem, cùm prudentiæ, & imprudentiæ, fortitudinis, & timiditatis, iustitiæ, & iniustitiæ, honesti, & turpis, boni, & mali, ac, (vt summatim dicatur,) virtutis, & vitij capax sit, non solius Dei opus esse: quia non conueniebat, Deum, qui Hominum Pater est, Filijs suis malorum causam dare, sed ipsum, ad constituendam Hominem, alios tanquam cooperatores vocasse, à quibus fieret pars receptrix malorum: & propterea plurium numerum adhibentem, vt in libro Geneseos habetur, *Faciamus Hominem*, dixisse, plures enim ad Hominis constitutionem conuenerant. Itaque *Philo*, quàmvis sacris litteris imbutus, sanctissimam Trinitatem ignorans, in Platonis errorem lapsus est. Mihi verò eorum opinio magis probatur, qui dicunt, malum inter ea, quæ existunt, non numerari; sed defectum priuationemque tantùm esse, cuius sententiæ fuit *Proclus*, in libro de Malo, & *Athanasius*, in oratione contra Idola. Sed in hac quæstione nunc morari non possumus; ne à proposito Nos adducat: cùm ad Porphyrij, & Iamblichi sententiam, de Oraculis, explicandam, accedere iam debeamus.

Philo, in libro de Mundi opificio.

D. Athanasius, in oratione contra Idola.

CAPVT.

CAPVT V.

Quem sententiam de Oraculis, & Vatibus, Porphyrius habuerit.

Porphyrij sententia, ex illius libris de Abstinentia ab esu carnium, & de Sacrificijs, ac ex ijs etiam, quæ de illo à Iamblicho, illius Discipulo, referuntur, comprænditur. Isomnis vaticinationis, tàm bonæ, & legitimæ, quàm prauæ, & reprobandæ, causam afferre conatur: & vaticinationem legitimam, ad Deum supremum, inferioresque Deos, & bonos Dæmones, ac ad ipsam etiam Animæ nostræ naturam; vaticinationem verò prauam, ad Dæmones malos, & Religionis abusum, refert; in quibusdamque cum Mercurio conuenit, & in quibusdam ab illo dissentit. Conuenit cum Mercurio, in Animæ natura explicenda, &, ad futurorum præuisionem, abstrahendæ mentis à corpore necessitate adducenda. Dissentit autem, in opinione de Deorum, ac Dæmonum natura, & cultu: vt infrà patebit. Quemadmodum igitur *Mercurius* in Pimandro sensit, animas Hominum esse diuinas, & immortales; sed in corporis molem dispersas, voluptate, & dolore ceu riuulis duobus, ex ipso corpore scaturientibus, deprauatis, in diuiniorique parte oppressas, omnium rerum, quas priùs sciebant, obliuisci, pulerique, ac boni visione priuari; & propterea, si priorem statum recipere, & futurorum præsciæ iterum euadere cupiant, mortalis partis appetitus despicere, & Religioni contemplationique se dare debere, vt Diuinæ Menti rursus iungantur. Ita,& *Porphyrius* docet. Nam, in libris de Abstinentia ab esu carnium inquit: in intellectuales substantias Nos fuisse, ac esse olim creatas, pu-

Porphyrius in libris de Abstinentia ab esu carnium.

ras ab omni sensu, & irrationali natura; sed, cùm duabus facultatibus præditi essemus, alter ad superiora, altera ad inferiora vergente; nequeuntes in superiori intelligibilique statu semper manere, ad inferiora descendisse, sensibusque iunctos esse: ex qua coniunctione, omnes inferiores facultates, quæ sensibus, & corpore ad suas actiones vtuntur, emanarint; non secùs, ac Terra, cùm tritici semen amisit, auenæ producantur. Quòd si ad pristinum statum reuertere optemus; vnicam viam reperiri, videlicet horum omnium, quæ ex coniunctione cum mortali Natura contraximus, reiectionem: imitando eos, qui, cùm ab exteris Nationibus domum redeunt, peregrinos mores, ab alienigenarum consuetudine acceptos, deponere conantur. Id facientes, in secundo libro de Sacrificijs, asserit transferri ad Deum, & in semetipsis Deum habere: naturamque rerum intelligere, & euadere vates Iouis familiares. Itaque vnam, & meliorem vaticinationis causam, *Porphyrius* reddit; quam *Iosephi* Historici testimonio probat: à quo scriptum est, ex illa Religiosorum Hominum secta apud Hebræos, quæ Essæorum nuncupabatur, multos Prophetas euasisse: quia illi vitam abstinentia, tolerantiaque mirabili, ac diuino cultui deditam, agebant. Huic causæ duas alias addit; quæ tamen ambæ non sine abstractione fiant. Prima, ab animæ nostræ natura: secunda, ab inferioribus Dijs, Dæmonibusque, prouenit. Primam ergo appellat passionem animæ, in cogitatrice facultate: quæ aliquando ex vehementibus fixisque cogitationibus; aliquando ex corporis affectione, vt ex melancholia, phrenesi, ecstasi, & ebrietate, fiat. Tunc enim mens, cùm à corporeis facultatibus maximè alienata sit, sua natura præsagit. Secundam, inquit esse Deorum, vel Dæmonum afflatum: qui, & ipsi, quando vim diuinandi in Nos infundere volunt, mentem nostram, vt illam recipere possit, à corporeis facultatibus seiungunt, non secùs, ac vinum, me-

Idem, in libro de Sacrificijs

Iosephi Historici.

melancholia, alijque morbi facere soleant: hinc Vates, & Sibyllas, in ipso vaticinādi actu, furere, & bacchari. Et quia quærere aliquis potuisset, cur non omnes apud omnia Oracula eodem modo afflentur? Respondet *Porphyrius*, Deorum, Dæmonum, & Animarum naturam, non eandem esse; sed ex diuersa ratione distingui: quàm primi ad aetherea: secundi ad aera: & animæ ad terrena corporea, habent: propterea diuersis modis, ac rebus, mentis alienationem Nobis euenire: & hinc quosdam aqua bibita; alios vapore ex aqua hausto, alios halitu ab ore Antri recepto; & alios cymbalorum tibiarumque sono, vel alia musica, furore diuino repleri, ac vaticinari. Quoniam verò tunc temporis multi Deorum in statuis degere credebantur, qui sacrificijs lætari monstrabant; vnde animalia sacrificandi mos inualuerat: *Porphyrius*, huius rei causam assignans, à Mercurio valdè dissentit. Dixerat enim *Mercurius*, terrenos Deos terrenis qualitatibus præditos esse; & propterea sacrificijs, & suffimentis gaudere, & in statuis morari; quia statuæ ex cognata illis materia compositæ sint. *Porphyrius* verò, bonos Deos, vel Dæmones, his delectari, non probat. Nam, cùm beneficæ naturæ sint, viuentium bona procurant; non destructionem desiderant, hincque, & Nos, ab Animalium occisione, deortandi occasionem sumit, dicens, eorum cæde remotiores Nos fieri à Dijs: quia, si vitam intelligentem agere, in pristinumque statum redire cupimus, debemus ab ijs omnibus, quibus corpus maximè pinguescit, abstinere; & nos ipsos ita componere, vt externis rebus quam minimè fieri possit, indigeamus: vtinamque fine cibo, & potu vitā posset traduci, quia Dijs, qui alienis non egent, similiores euaderemus, & mens nostra, corporalium facultatum exercitio non impedita, ignorantia purgata, Dæmonum monita intelligeret, & futura præuideret. Præter quam quod, animalium cæde, vis immitis & ferina in nobis in-

Dijs animalia nō esse sacrificanda.

uale-

ualescit humanitatemque, ac mansuetudinem amittimus; sicque à Dijs magis seiungimur, qui veræ pietatis & iustitiæ sunt amatores. Immane vero esse, animalia occidere; constat, inquit, ex eo, quod ipsa naturæ à nobis non valdè diuersæ existunt, cuncta enim animam habent, & nulla anima rationis omninò est expers: quia id inanimato competit, quod animato prorsus opponitur: & quia Natura non dedit animalibus sensus, vt tantùm sentiant, sed vt sentiendo vtilia & nocitura cognoscant; hæcque fugiant, illa sequantur: quod sine raciocinatione, iudicio, ac memoria, fieri nequit, & tandem, quia sermone interiori, ac exteriori, animalia loqui cognoscuntur, quem Nos non intelligere, non est mirum: cum nec etiam multorum Barbarorum sermonem intelligamus; qui Nobis indistinctam vocem emittere potius videntur. Sed ex antiquis, & recentioribus Sapientibus quidam, animalium sermonem se intelligere testati sunt: vt Melampus, & Tiresias apud Antiquos, & Apollonius Theaneus apud recentiores, qui Hirundinem alijs aliquando nunciantem, Asinum tritico onustum ante portam Vrbis, cecidisse: & triticum humi esse diffusum, audiuit. Vnde, inter animata non aliam reperiri differentiam, putat Porphyrius, præter eam, quæ maiori, & minori efficitur, vt scilicet quibusdam plus, quibusdam minus rationis, insit, & id Aristotelis etiam auctoritate probare conatur, quia, cum scripserit *Aristoteles*, animalia sensibus acutioribus prædita, cæteris prudentia præstare; non videtur animas essentiæ, sed maioris, & minoris differentia distinxisse: cum non à seipsis, sed à corporibus, maiorem vel minorem aptitudinem, ad suas facultates exercendas, accipiant. Quare, quemadmodum Perdices volatu carere non dicuntur, eo quia Astures velocius volent: ita nec cætera animalia rationis expertia dicenda sunt, quia magis intelligat Homo. Ridiculum verò putat dictum eorum, qui ab animalibus,

Nullum animatũ ratione prorsus carere.

quod-

quodcunque rationabiliter fieri videtur, natura, non ratione, agi, asserunt, quasi ratio non etiam in Nobis natura, sed accidens, esset. His à Porphyrio ita explicatis, docet, quomodo in Deorum cultu ipsi Nos gerere debeamus: aitque, Deo supremo & maximo, cum purus, & immaterialis omninò sit, nil materiale offerendum; immò neque voce, neque sermone animi intimo, eum coli debere; quia hæc corporeæ passionis expertia prorsus non sunt: sed silentio puro venerandum esse, mentemque ei, ad eius contemplationem elatam, dicandam. Nam optima ipsi, & omnibus Dijs, oblatio est, pura mens, & animus perturbationis vacuus, & perfecta Diuinitatis rerumque omnium cognitio. Cæteros autem Deos inferiores, sermone, & oblatione rerum, quas Nobis largiuntur, esse colendos, terrestresque fructus, ac flores, quædamque alia eorum naturæ quodammodo cognata, eis donari oportere, vt ignis Soli ac Lunæ, & quia eorum ope præcipuè intelligimus; primitias intelligentiarum nostrarum, quemadmodum faciebant Pythagorici, qui circa lineas numerosque versati, istorum plurima Dijs obtulerunt; alium numerum Palladem, alium Dianam, alium Apollinem nominantes: hisque Deos aduocare soliti erant, quorum opera ad vaticinationem, seu ad alicuius rei notitiam, sæpè vtebantur. At, quia consuetudine receptum erat, vt Dijs animalia sacrificarentur: *Porphyrius*, omnem huius consuetudinis causam in malos Dæmones confert, vtque id cognoscatur; vtrorumque Dæmonum, tam bonorum, quam malorum, naturam describit. Boni igitur Dæmones sunt, inquit, animæ spiritui adiunctæ, sed spiritum ratione superantes; corpusque harmonica proportione compositum habent, & cum beneficæ naturæ sint à benefaciendo nunquam desistunt: propterea magnas locorum partes, sub Luna positas, gubernant, animalibus, fructibus, ventis, artibus, singulisque rebus

Quomodo Pythagorici colerent Deos.

Bonorum Dæmonũ descriptio

omnes

omnes diuerso munere præsunt, omnium vtilitatem curant; Naturam humanam cum diuina coniungunt: humana Dijs, & diuina Hominibus, nuntiant; imminentia mala à Nobis auertunt; multaque nobis per somnia, per voces, & per alia signa, significant, quibus vera bona percipere possimus. Id enim Nobis verè bonum est, liberos à malis Dei voluntatem noscere, & cum intellectuales simus, cognitione illius, qui optimus & sanctissimus est, mentem nostram illustratam habere. Vtinamque bonorum Dæmonum significata Nos intelligeremus. Nam omnia mala vitantes, veris bonis frueremur. Sed non quilibet illa cognoscit, quemadmodum non quiuis, sed qui litteras tantùm didicerit, legere sit. His Dæmonibus animalia sacrificanda non sunt: quia eorum natura benefica, viuentium bonis, non destructione, lætatur. Dæmones verò mali, animalium sacrificijs delectantur: quia ipsi sunt animæ spiritui adiunctæ, sed ei ratione cedentes: corpusque inconcinnè compositum, & malè affectum habent vaporibus, suffitionibus, libamine, nidoreque carnis, & sanguinis pingue scens, indeque vires sumens, iræ & cupidinum impetu feruntur, quæ veloces, & violentæ in illis existunt, proutque his instigantur, detrimenta omnibus inferunt, omniumque malorum sunt auctores; pestis, penuriæ, terræmotus, turbinum, æstus, incendij, & si quæ alia, præ cæteris autem lædunt Hominum genus, mentem nostram pro viribus deprauantes, rerum inferiorum cupidines in Nobis excitantes, Nosque à Deo prorsus seiungentes: ijs verò mendacijs inprimis Nos fallunt, vt deos diuersæ naturæ ab eà, quæ illis est, existimemus, & falsa bona pro veris habeamus. Hinc Poetarum multos prauo spiritu afflant: vt turpia de Dijs canant, & eos iræ, voluptati, ac dolori obnoxios, eorumque malorum auctores describant, quæ nobis ab ipsis malis Dæmonibus eueniunt: & vt felicitatem in dominatione, diuitijs, alijsque extrin-

Malorum Dæmonii natura.

Vates, à malis Dæmonis affati, turpia de Dijs eccinere.

secis

fecis bonis positam, asserant, quia nos, Poetici sermonis elegantia, metrique suauitate rapti, & ipsius vi quasi stupidi, rebus incredibilibus fidem præbemus: propterea que seditiones, bella, pluraque alia facinora commitimus; quibus Orbis errore ac confusione repletur, & veros Deos colere credentes, ipsis malis Dæmonibus sacrificia afferimus; quo ipsi valdè gaudent. Nam ambitiosi sunt, proque Dijs haberi cupiunt, & primus, qui eis præsidet Dæmon, maximus existimari affectat, vnde in victimarum extis, quid veri quandoq; prænuntiant, vt fide nostra sibi conciliata, in maioribus Nos decipere queant, & interim Nos in earum cultu persistamus. Verùm, quamuis publica Ciuitatum vtilitas postulet, vt obsequijs & sacrificijs hi mali Dæmones, ne Reipublicæ noceant, placentur & leniantur; homines tamen, puro temperatoq; animo præditi, nil eos timent: nec illis opus habent quia puri animi sanctitateque munitum virum aggredi non audent; vel aggressum lædere non valent; immò illius minas valdè timent. Vnde Sacerdotes, malos Dæmones minis terrere, & ad aliquid faciendum cogere solent, his verbis vtentes: *Nisi vos ita feceritis, cœlos confrigam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcana in abyssо abscondita vulgabo*. Quibus minis ipsi deterrentur: habent enim cogitatricem facultatem stupidam, ac infirmam, quæ vehementioribus dictis agitatur, ac stupet. Hæc ex mente *Porphyrij*, est illegitimæ vaticinationis, quæ in sacrificijs ex animalium visceribus habebatur, causa. Huic, ne quid desiderari possit, rationem earum vaticinationum etiam adiungit, quæ à veneficis Hominibus præbebantur. Et has inde prouenire asserit: quia viri isti deglutinat iecur, aut cor, aut aliud membrum præcipuum cæsorum animalium, quorum animæ, illius membri amore cognatione que raptæ, in ipsa Hominum corpora intrent, ibique existentes vaticinentur. Sunt enim, inquit, omnium animalium animæ præsagę

Mali Dæmones Sacerdotum minis terrentur.

Quomodo Venefici vaticinentur.

futuri, quando à corpore separatæ existunt, & sua corpora adhuc valdè diligunt: tuncque magis, cùm ea violenter relinquerunt. Vnde circa ipsa morari, & sæpè lamentari, audite sunt. Quare Venefici, harum dilectione, ad sua ministeria abutuntur, & propterea quidam talparum, vel Asturum, vel ceruorum corda edentes, futura prædicant. Hæc sunt, quæ à *Porphyrio*, de Oraculis, & vaticinationibus, dicta, partim ab illius, partim à Iamblichi libris, colligere potui. De harum rerum defectu, nullum sermonem ab eo habitum reperi: sed illius mens, ex hac doctrina, conijcitur à Mercurij Trismegisti sententia nihil diuersa videlicet, defeciſſe hæc omnia, ob amissum cultum illorum Deorum, ac Dæmonum, à quibus proficiscebantur. Conuenit enim id cum illo etiam illius impiè dicto, *Mortales nullam vtilitatem ex Dijs sensisse, ex quo Christum cœperint venerari.* Verùm Iamblichus, quamuis Porphyrij Discipulus, in multis ab illo dissentit: quare ipsius quoq; sententia est perpendenda.

CAPVT VI.

In qnibus Iamblichus à Porphyrio differat; & quam vaticinationum causam adducat.

IAmblichus doctrinā supernaturalē, Theologicā magis, quàm Porphyrius, tradit: immò Porphyrij sententiam refellit, quotiescunq; ille quid corporeæ passionis Dijs, aut Dæmonibus, attribuit, vel naturalē aliquā causā reddit eorū, quæ ab illis proueniunt. Vnde omnes Deos, & Dæmones, supra materiā ac Naturā elatos, & omnē vaticinationē opus diuinū existimat: & nihilominus, contra Porphyriū ad Deorum cultū, & ad præsagitionē assequendā, animaliū sacrificia, aliaq; materialia, adhiberi vult. Quare vt huius sententia patefiat, quid de Dijs, de Dæmonibus, de

Ani-

Anima, & de Vaticinatione, senserit, distincto ordine explicare debemus. De principijs ergo Diuinitatis, eadē Iamblico, quæ omnibus antiquis Aegytijs, opinio fuit. Isti vnū primum, & supremum Deum posuere: quem nec ens, nec intellectum, nec essentiam, nec esse ipsum; (quia his omnibus supereminet, & antecedit,) sed vnum super ens, & super intelligibile dixerunt, de quo Plato etiam, in Parmenide, optimè disseruit. Ab hoc vno superente, vnum primum ens emanasse putarunt, qui & ipse Pater essentiæ super essentiam sit, magisque proprio nomine Vnitas vocetur: quia est potius vnum, quàm ens, & est pater omnium intelligibilium, videlicet Idearum; Mensque, opifex Mundi, à Platone in Timæo nuncupatur. Tertio igitur ordine post ipsum, & in ipso, sunt Ideæ; quas Iamblichus appellat inuisibiles Deos; quorum quoque essentia, vnitas quædam sit, sed hanc vnitatem quandam nominari ait; quia ipsa vnitas nil aliud est, quàm ipsum primum essentiæ principium. Est autem vnius essentiæ, non solùm quælibet Idearum: sed omnes Ideæ sunt vnum etiam inter se: quia vna communis vnitas dilatatur in omnes, & per communem vnitatem, videlicet per primam mentem, cunctæ exsistunt: ad quam, vt ad vnum obiectum, principium, & finem, omnes simul, absque vlla temporis differentia, in eodem momento referuntur. Neque omnibus ipsis simul, quia singulæ res diuersas respiciant, vnitatem competere negandum est. Nam earum essentialis vnitas rerum multitudinem antecedit; neque possunt res natura posteriores, vnitatem Idæis, natura prioribus, auferre. His inuisibilibus Dijs, Dij visibiles, mundanique, succedunt, & istorum quoque vnitas est: quia Idæis iuncti sunt; quarum vnitate ipsi inter se iunguntur, neque id eis corpora impediunt: quia cœlestes eorum animæ, quàmuis corporibus præditæ sint, nil ab illis suscipiunt; sed quid potius illis dant. Diuersa enim est ratio cœlestium, & inferio-

Iamblichi sententia de suprema Diuinitate.

Ideæ sunt inuisibiles Dij.

feriorum: quia materiæ in inferioribus vis tanta est, vt formam materialem reddat, in cœlestibus verò tantùm forma valet, vt materia formalis fiat: & corpora potius animalia, quam animæ corporales, dici debeant. Quare cœlestes Dij, vocari iure incorporei possunt: quia nil corpora obstant eorum excellentiori actioni, vitæque felicitati; immò eos, ad ipsum vnum tendentes, sponte sequuntur. neque ipsa animas continent, sed illis excellentiori quodam modo continentur, & quemadmodum apud Nos cuncta corpora, potentia, (vt vocant,) materiali vnum sunt: ita Dij omnes vnitate, quæ in eos ab Idæis profluit, quasi actu quodam, sunt vnum. Et isti nulla Mundi parte continentur, nec vlli præfinito loco adsunt; sed vbique sunt, & quilibet Deus cuilibet parti Mundi totus adest; cuiuslibet que stellæ anima, non tàm in sua stella, quàm vbique est, quia natura diuina infinita, & incomprehensibilis, continet omnia: nec ipsa loco vllo continetur. Et quamuis alij Deorum aerei, alij aquei vocentur, & diuersis Mundi plagis diuersa Numina distribuantur id à natura Deorum non prouenit, quorum prouidentia vniuersalis est, sed quia vna Mundi pars vnius potius, quàm alterius Dei actiones, & munera, suscipere est apta: propterea vnius Dei virtus, in vno potius, quàm in altero loco: apparet. Ideò varias Mundi plagas, ædes, & statuas, Dij fortiti dicuntur: qui licet hoc, vel illud, potissimum illustrent nil tamen communicant cum locis, aut corporibus, in quibus agunt: cum omnis materiæ sint expertes, nullique alterationi, diuisioni, mutationi, aut cuiuslibet generis passioni, obnoxij. His mundanis Dijs proximi sunt Dæmones, & Dæmonibus Heroes. Inter hos hæc differentia reperitur, vt Dæmones superiores sint, ad Deos; magis accedant, Heroes vero degant inferius, & cum humanis animis magis conueniant. Differunt Dæmones à Dijs, in multis: eorum enim prouidentia non est ita vniuersalis,

Distinctio inter Dæmones, & Heroes.

vt

vt illa Deorum, quæ ad omnia tendat, sed particularis magis, circaque res quasdam atque Prouincias versatur: neque suis corporibus adeo supereminent, vt Dij, sed eis arctius iuncti sunt. Nam Deos, suorum corporum gubernatio, à diuinarum Idearum contemplatione nihil abstrahit: immò agendi vim ipsi à contemplatione accipiunt, & ipso intelligendi actu cœlos mouent, eoque facilius, quò attentius speculantur. Vnde nulla naturæ diuersitas, ac multitudo, eis inest: quia, licet duo illis competant, contemplari, & agere, non tamen vnitatem amittunt. Nam actio in eis nil aliud est, quàm quid à contemplatione proueniens. At Dæmonibus actio contemplationem aliquando impedit; ita vt non tàm contemplantes, quàm agentes dici possint, nihilominus nec ipsi, nec Heroes, vllius passionis corporeæ participes sunt; sed impassibiles, & sempiterni, quia, cum ministri Deorum sint, sequantur, quæ Deos in Mundi ordine conseruando: si passio illis inesset, nullus ordo seruaretur. Quare malè facit Porphyrius, distinguendo Deos ac Dæmones ex habitudine, quam ad aetherea aereaque corpora habent: non enim debent priora, & causæ, ex effectibus, posterioribusque, distingui. Heorum & Dæmonum munus est, traducere diuina ad nos, & nostra ad Deos: quare disponunt ita Deorum dona, vt à nobis suscipi possint, & sic præparant nos, vt illa suscipere valeamus; exprimunt etiam nobis, quæ sunt occulta, & ineffabilia in Dijs: conciliant omnia mundana inter se, & omnis harmonici consensus sunt auctores. Post Dæmones, postremo loco humanæ Animæ reperiuntur, quæ & ipsæ inter Diuinorum genera collocantur. Harum essentia, est Dei cognitio: quia præcipuum esse animæ, est intellectus iunctus contemplationi Deorum, in quo idem est; esse & intelligere diuina. Sed quemadmodum Deorum proprietas est vnitas; ita Animarum proprietas est, declinatio ad multitudinem: quia inclinat

In quibus differant Dæmones à Dijs.

Confutantur opinio Porphyrij

Natura Animæ humanæ.

ad mouenda, vitali que ſpiritu replenda corpora, & ad congruendum cum omnibus. quo circa priori intellectuali ſtatu omiſſo, induunt formam illam, quæ humanam ſpeciem conſtituit; & qua tam varis viuendi generibus viuunt, vt cum omnibus conueniant Iam ergo Iamblichi ſententia, de naturis Deorum, Demonum, & Animarum, explicata; quid ipſe vaticinationem eſſe dixerit, videamus. Omnis vera legitima que diuinatio, eſt, *inquit Iamblichus*, opus diuinum; quamuis multæ ipſius ſpecies reperiantur. Nam, quamuis aliquando in ſomnijs, aliquando in extis animalium, & in alijs vilibus ac materialibus, futura videantur; & aliquando nos ipſi illa prænoſcamus, nunquam tamen hæc fieri poſſunt abſque numine, opera que Deorum. quia vaticinatio non poteſt ab alijs deduci, quàm à Dijs; qui continent inſe ipſis terminos ſcientiæ omnium rerum. Quod patet etiam ex eo; quòd omnia, quæ in ipſo diuinationis opere fiunt, ſuperant Naturæ Humanitatiſq; modum, vnde non à Naturæ Humanitatiſque viribus fieri poſſunt: quia deterius præſtantiora efficere non valet. Miracula verò, quæ videntur, ſunt hujuſmodi. Sæpè, in ſacrificatis animalibus, præcipua membra, ad vitam neceſſaria, non reperiuntur. Aues quoque, ex quibus auguria captantur, ſe ipſas aliquando precipitant, vel ad ſaxum allidunt, vel alio modo necant: ita vt non à ſe ipſis; ſed diuina vi, moueri conſtet. Flammæ etiam in aere aliquando apparent. Tandem ipſi Prophetæ, in ipſa vaticinationis actione, per ignem aliquando intacti tranſeunt; vel, ſi vruntur, aut punguntur, non ſentiunt. Quare fallitur *Porphyrius*, dum præſagium, paſſionem animæ in cogitarice facultate, appellat. Nam anima humana, corpore caduco obumbrata, nullam habet vim, ad opus diuinum præſtandum. deinde, omnis anima vaticinaretur; ſi id ei ex natnra propria conueniret. Neque oportet illas vaticinationes afferre, quæ ſominando cogitando que fiunt.

Omne rectum diuinandi genus à Dijs proficiſci.

Nam

Nam somnijs, cogitationibus, affectibusque nostris naturalibus, rarò, & casu, attingimus futurorum veritatem; & omnis huiusmodi præsagitio, coniecturæ potiùs, quàm præsagitionis, nomen meretur. Sed omnis vera diuinatio in nobis ex diuinitate prouenit: quando à Dijs anima nostra illustratur. Signumque est; quia, cùm vaticinamur, omni humana cogitatione & actione caremus, nostrumque statum non animaduertimus: neque humano more mouemur; sed toi diuino furore corripimur: Deusque in nobis pro anima est, & operatur. Hanc verò nostram à nobis ipsis alienationem, Porphyrius malè comparat ei, quæ ab ebrietate, melencholia, alijsque morbis, prouenit hac enim in deterius labimur: at illa Deorum in melius deducimur. Sed erroris Porphyrij, *ait Iamblichus*, hæc causa fuit: quia, cum videret, ad vaticinationem assequendam, apud Oracula preces adhiberi, aqua, multique materialibus, opus esse; & ipsum Vatem recedere à naturali statu: nescivit harum rerum causas assignare, nisi dicendo vaticinationem esse passionem animæ cum inspiratione dæmonica; & Deos quandam cognationem cum materia habere. Verum *Iamblichus* horum omnium causas reddit: Deos nihilominus à materia prorsus abstractos, & vaticinationem opus tantum diuinum asserens. Ipsius ergo doctrina hæc est. Anima nostra, cum intellectus contemplativus, iunctusq; Dijs prius fuerit, & mox in alteram vitam, videlicet in humanam, descenderit, qua, multarum inferiorum facultatum exercitio, ab ipsis Dijs valde seiuncta remotaque est si in primum statum redire, felixque euadere cupit: oportet, vt se omnibus inferioribus soluat, quantumq; potest à corpore, omnibusque potentijs abstrahat, quæ ex coniunctione corporea, & ex corporis desiderio, emanarunt. Id autem si efficere voluerit, contemplans Deos facultate rationali; operam perdet: quia facultas nostra rationalis, quæ non conuertitur nisi ad considera-

Ostenditur causa erroris Porphyrij.

tionem

tionem eorum, quæ sensibus & cognitione offeruntur? decipiet nos, materiali corporeaque figura Deos repræsentando. Quare opus est, hanc quoque omittere, & non solum à corpore, sed ab omnibus potentijs, quæ cum corpore, & cum materia, vllam cognationem habent, prorsus seiungi, quia tunc in priorem vitam regressi, quæ est, (vt diximus,) Deorum cognitio, essentiæ tactu Deos attingemus, & iuncti Dijs, videbimus omnia, quæ spectant ad Mundum superiorem & inferiorem, & veras præsagitiones assequemur. Nam rationes rerum, dependent à rationibus, quæ sunt in Dijs: vnde Vates & Sibillæ præuiderunt multa pericula Populis imminentia, monueruntque eos, vt cauerent. At dicet aliquis; Quo pacto obtinebimus abstractionem hanc? Respondet Iamblichus: Religione: cuius tanta est vis, vt possit aliquando nos, absque Dæmonum Heroumque opera, iungere Dijs. Sed rarò quidem id accidit. Nam tantam perfectionem Sacerdotes, in fine Sacerdotij, vix consequuntur, vnde oportet Dijs, ac Dæmonibus medijs, vt plurimum vti. Verùm subiunges: Si Dij, ac Dæmones, materiæ & corporibus supereminent, & omnis passionis prorsus expertes sunt; cur eos precamur? Et cur ad vaticinationes multa materialia, & corporea, adhibemus? Respondet Iamblichus: neque preces, neque materialia, ratione Deorum, sed nostri causa tantum, adhiberi: vt scilicet his medijs, ad Deos recipiendos, præparemur. Dij enim, inquit, neque precibus mouentur; neque ob sacra malè peracta irascuntur; sed nos, supplicando, sacraque peragendo, ad Deos conuertimur, illisque iungimur. Neque dicat Porphyrius; vsum rerum materialium, in sacris, haud congruum esse Dijs, qui à materia omnino seperati existunt. Nam ipsa etiam materia, cùm à Patre omnium Opifice facta sit, potest aliquando tantam perfectionem acquirere, vt apta quadat ad Deos suscipiendos: & in materialibus multa quoq;

Preces & sacrificia ad vaticinationes requiri.

quoq; latent immaterialia, quæ sunt congrua Dijs: vt rationes, species, ac mensuræ; & tanta Deorum bonitas est, itaq; Dij ad benefaciendum prompti sunt; vt parua rerum nostrarum congruitas nobis sufficiat, vt ex illis aliquid hauriamus, diffundunt enim ipsi suum lumen per omnia, vsq; ad inferiora; neque ipsam materiam illo carere permittunt. Vnde, quodcunq; materiæ purum, perfectumq; est, ad Deos suscipiendos idoneum exiſtit; ipsaq; etiam Terra Deos suscipere est apta, immò fatidica Deorum potestas adeò vbiq; adest, & omnia replet, ac illustrat, quæ sint ad suscipiendum parata; vt in quolibet elemento, animali, ac naturali, pro ipsius capacitate, quid ad præsagitionem conferens impressum reperiatur: & Hominibus adeò inseruiunt Dij; vt in calculis, lignis, virgis, lapidibus, frumento ac farina, indicia præbeant futurorum. Vnde quidam Vates per farinam vaticinati sunt. Oportet ergo, & animam nostram, & etiam res materiales, præparare, vt Deum recipere possint; præparatur verò anima nostra, apud Colophonium & Delphicum Oraculum, aqua fontis, vel halitu ex antri ore spirante: quia spiritus diuinus implet aquam, vel halitum, virtute quadam ad vaticinationem conferente; videlicet purgatoria, qua Sacerdos hauriens purificatur, accommodaturque sic Deo, vt illum capere valeat. Apud alia autem Oracula, alijs rebus præparamur, & in primis Musica: quia anima nostra, in Mundo intelligibili, audiuit harmoniam diuinam; cuius reminiscitur, quando audit melos, habens aliquid similitudinis cum illo diuino, & hac memoria vehementer afficitur, hocque affectu redditur familiaris Deo; ita vt diuino spiritu afflatur, & mirabilia faciat. Sed apud omnia Oracula, reddimur præcipuè apti, ad Deos recipiendos, precibus, & veneratione, immò opus nullum in sacris vnquam efficitur, absque supplici cultu Deorum: quia frequens hæc veneratio tollit humanos mores nostræ cogitationis, & horum loco infert di-

Dij suam bonitatē per omnia diffundat.

Cur Musica conferat, ad assequendam vaticinandi vim.

vinos, animamquè ad Deum totam conuertit, ac perficit ea, quæ insunt nobis apta ad diuinorum Numinum tactum, nosque magis ad diuinos splendores capiendos assuefacit. Verùm, si quæras, cur Homines varijs modis afflentur? & cur afflati non eadem, sed diuersa, agant? Respondet Iamblichus; id euenire ex diuersis proprietatibus Deorum. Si rursus quæras, cur tam multa, & diuersa, in sacrificijs adhibeantur? Respondet idem, quia multa Numina ad idem opus diuinum concurrunt: vnde oportet res omnibus consentaneas adhibere. Nam quilibet superior Deus, habet multos alios inferiores Deos, ac Dæmones, ordinatim subiacentes, & antequàm ille superior sacrificio adsit, omnes inferiores illius ordinis mouentur. Quare, quemadmodum, si vna chorda frangatur, harmonia tota dissonat: ita vno prætermisso Numine absque debito ritu, sacrum opus suam integritatem non habet. Debitus verò cultus Deorum, ac Dæmonum, qui materiæ præsunt, est earum rerum oblatio, quarum gubernationi præpositi sunt. Neque, vt dicebat Porphyrius, animalium sacrificium est confutandum; quasi vapor, ab animalibus exhalans, nares turbet Deorum. Nam Dij nullam passionem à materialibus pati possunt; præterquam quod nullus vapor terrenorum valdè sursum ascendit: sed per animalia solemus eos Deos aduocare, qui animalibus illis præsident, & ignis, qui in sacrificijs adhibetur, materiam destruit, & ab illius vinculis soluit ea, quæ per essentiam immaterialia quidem erant, sed materiæ alligata reperiebantur; solutaque reddit idonea, ad Deorum receptum.

Hæc de vaticinationibus, & de cultu Deorum *Iamblichus* docet: dicens tamen, huiusmodi sacrificijs nil illum indigere, qui mente eleuatus, & à corpore omninò abstractus est: quia hic, ad immateriales Deos, per sublimia se attollit, & inferiora nil curat. Sed quia id pauciſſimis

conti-

contingit, & plurimi Hominum ad Naturæ opera inferius vergunt, nonnullique etiam medium tenent, inter purum intellectum, ac Naturam, & vt plurimum in sacris ea petimus à Dijs, quæ sunt ad vitam humanam accommodata modus sacrificandi, pro rebus huiusmodi, congruus erit is, qui cum corporibus, & cum generatione, habeat commercium; non qui sit à materia, & corpore penitus separatus. Præter has vaticinationes, hactenus memoratas, aliam, [*inquit Iamblichus*,] in ijs somnijs habemus, quæ diuinitus mittuntur. Quando enim vigilamus, vtimur vt plurimùm ea vita, quæ nobis cum corpore communis est, sed cùm dormimus, animus à corpore soluitur; & illa vitę species separata, & intellectualis expergiscitur in nobis, & futura in suis rationibus prænoscit, quia Anima nostra, generabilium rationes se ipsa complectitur, præterquam quòd in eo statu magis est apta recipere Deos. Sed nulla est certa diuinatio in ijs somnijs, quæ humanitùs nobis à cogitationibus, curisque diurnis contingunt, hæc enim raro, ac casu, vera prædicunt, & vt plurimum nos decipiunt. His vaticinationum generibus expositis, reliqua omnia vocat *Iamblichus* malorum Dæmonum dolos, qui mentiantur, & fallant, turpiaque consulant, & peragant.

Causæ diuinationum per somnia.

Tandem commemorat Iamblichus quasdam vaticinationes, arte factas à quibusdam, Idola quædam struentibus ex certis materijs, quæ corporum cœlestium influxus recipiant. Sed has inquit longè inferiores esse ijs, quæ à Dijs proueniunt, & fallaces multum, coniecturarumque nomine potius nuncupandas. At aliquis obijciet: Quid prosunt diuinationes Deorum immissæ ijs, qui se à corpore soluunt, Dijsque iungunt, si Vates vt plurimum, cum vaticinantur, extra se positi sunt, & quid dicunt ignorant fierique potest, vt futura prænoscentes, illis tamen nesciant, vel nequeant vti? Hanc quoque difficultatem Iamblichus tollit; asserens, Deos, vna cum præsagitione, fa-

cultatem etiam, ad præcauenda incommoda, nobis suggerere. Et hæc est omnis *Iamblichi*, de Oraculis, & Diuinationibus, doctrina, ex illius libro de Misterijs à nobis collecta, & paucis explicata. De horum verò defectu, nil ipse litteris mandauit: sed certe à Mercurij sententia non alienus fuit, videlicet, hæc defeciſſe ob eorum Deorum neglectum, prætermiſſumque cultum, quia ad illorum munera ſuſcipienda non idonei ſimus. Iamblichi opinione expoſita, quid *Plato*, vltimus horum Theologorum, de his ſenſerit, perſcrutemur.

CAPVT VII.

Quid à Platone, ac ab illius Aſſeclis, de vaticinationibus doceatur.

Plato harum omnium cauſas ad Dæmones refert. Nam in Conuiuio dicit, omnes vaticinationes, Sacerdotum diligentia circa ſacrificia, expiationes, incantationes, & diuinationem omnem, atque Magicam, à Dæmonibus, naturæ mediæ inter Deos, ac Homines, emanare; & per hos, vigilantibus nobis, ac dormientibus, colloquium inter Deos, ac Homines confici. Verum de ritu ſacrificiorum, & ſacrorum vſu, ad Deos aduocandos, nil locutus eſt: nihilominus, cùm Aegyptiæ illius Theologiæ ſacris initiatus fuerit, credi poteſt, ipſum ijs, quæ Theologi illi docuerant, aſſenſum fuiſſe; Mercurijque certè, & Porphyrij doctrinam potiùs, quàm Iamblichi, ſecutus eſt, quia, in Epinomide, ſolos Deos dolore, voluptateque liberos, ſapientia, & cognitione penitus gaudentes; ſed Dæmones paſſionibus obnoxios, doloris participes, bonos viros amare, & malos odio habere, teſtatur, & cum ipſe etiam duos animæ ſtatus ponat,

nat̃, vnum ante, & alterum post introitum in corpus: primum statum non alia via, quam ope facultatis ratiocinantis, recuperari; in Phædro scripsit. Quæ doctrina à mente Iamblichi aliena est.

Sed vt id clarè intelligatur, omnem Platonis sententiam, ex Phædro, Timæoque collectam de his, explanemus. Animæ nostræ, ingenitæ & immortales sunt, & antequam corpus ingrediantur, assident conuiuio Deorum, diuinasque dapes gustant: videlicet veritatis contemplatione nutriuntur, veraque entia conspiciunt; scilicet Ideas; non autem adumbratas potiùs, quàm veras res, intuentur, quæ in eodem statu nunquam consistunt, sed semper generantur; cuiusmodi hæc sensibilia inferiora sunt. Quæ res igitur, cur ab hoc statu discedentes, in corpora descendant? Et inquit *Plato*; quia similes sunt alato currui cui præsit Auriga, & qui duobus inter se dissidentibus equis vehatur, quorum alter bonus, alter malus existat: quo circa dura & difficilis vectura sit. Nam equus bonus sequi vult Deos, & per eam viam currum ducere, qua illi incedunt, at equus malus calcitrat, resilit, ad terramque vergit, ac trahit. Vnde magnus labor, ac certamen Aurigæ proponitur: in quo multas alarum pennas currui sæpè confringit, & descendere cogitur, labens, prout plures vel pauciores pennas confregerit, in generationem perfectioris, vel imperfectioris viri, scilicet aut Philosophi, aut Regis, aut Poetæ, aut Militis, aut Tyranni, aut alterius conditionis, in quo statu, si ab humanis studijs segregatus, quantum potest, diuinis inhæret; amissas recuperat alas. Sunt autem, (vt metaphoram explicemus) duo equi, bini animæ instinctus: quorum vno, ad vitam supernam, & intellectualem; altero ad inferiorem, & generatiuam, corpora animantem, nutrientem, propendit, & equus, qui dicitur prauus, frangit binas ipsius animæ alas videlicet, (vt *Marsilius Ficinus* interpretatur,) intellectus

Cognoscitur Platonis sententia ex Phædro, & Timæo.

&

& voluntatis propenſiones, ad veritatem, & bonitatem diuinam. Recuperantur verò iſtæ alæ (*ait Plato*,) ope ratiocinationis, quæ ex multis ſenſibilibus format vnum vniuerſalem conceptum: quo recordatur anima eorum, quæ olim vidit Deo iuncta: & tunc, hæc inferiora deſpiciens, reflectitur ad vera entia, quæ ſunt ſurſum. Hæc de animæ abſtractione ab humanis Plato; qua nos non Vates fieri, vt priſci illi Theologi dixerunt; ſed rerum, quas in altera vita vidimus, memores, & cognitores teſtatur. Alterius igitur abſtractionis mentionem facit in Timæo, quam vaticinationi idoneam aſſerit, & eſt, quando vel morbo, vel ſomno, vel diuino aliquo raptu, anima è ſuo ſtatu dimouetur. Nam ipſa, dum ſanæ mentis ſummus, ſenſuum, & ratiocinationis officijs impeditur, & non patet affiatui diuino: propterea non ſapientes, ſed fatidici vaticinantur; qui omnia, quæ in ipſo furore dicunt, ignorant. Vnde Lex iubebat ſapientes viros illis præeſſe; à quibus eorum dicta notarentur, & interpretarentur. Sapientes iſti, (*ſubiungit Plato*,) Prophetæ vocabantur, re autem vera non erant Prophetæ, ſed interpretes vaticinationum. Quomodo vero iſti furentes, & mente alienati, vaticinari poſſint, comprehenditur ex eodem Timæo. Nam ibi inquit Plato; Deos minores à ſupremo Deo, hominem, quantum fieri poterat, perfectiorem formare: iuſſos, mandati diuini memores, deteriorem etiam noſtri partem ita inſtituiſſe, vt & ipſa veritatis quodammodo particeps foret, & in ea vaticinia explerentur, propterea illam in iecore colocaſſe, & iecoris naturam lenem, claram, dulcem, amaritudinis participem, varijſq; alijs qualitatibus præditam, feciſſe: vt omnium cogitationum, ex mente deſcendentium, figuras in ſe ipſa ſuſcipere, & aſpectui reddere poſſet; horumq; receptione aliquando terreretur, aliquando lætaretur, aliquando manſuefieret, aliquando doleret, & pro eorum diuerſitate, diuerſis afficeretur modis.

dis. Cùm verò hæc de Iecore, & de animæ parte, qua concupiscimus, docuisset Plato; nil vlteriùs explicat, quomodo in hac parte vaticinationes expleantur. Sed illius mens facilè noscitur, in hac enim natura, quæ omnium simulacrorum recipiens est, Dæmones futurorum simulacra imprimunt, quæ à Fatidicis prædicuntur. Fatidici enim in illa insania, sermonem habent, de quibuscunq; offeruntur cogitationi eorum. Non præstant autem Dæmones id, in sanæ mentis Hominibus: quia horum Iecora recipiunt simulacra à propria mente; neq; patent ijs, quæ extrinsecùs immittuntur. Non tamen omnes prudentes omnino carent præscientia futurorum; quàmuis etiam à furore percitis ea non percontentur. Nam probi homines amantur à Dæmonibus, sermonemq; habent cum ijs, & admonentur de quibuscunq; illis quę euenire debent. Itaque Socrates Dæmonis familiaritate vtebatur; & absq; vlla afflatione monebatur de ijs quæ illius intererat scire. His prædictionibus adde illam, quæ ex somnijs contingit; de qua Plato nil à Iamblico dissentit: & habebis omnem Platonicam de vaticinationibus doctrinam, quæ ex illius Dialogis colligi possit. Nam de ijs, quæ ex sacrificijs, expiationibus, & incantationibus, efficiuntur, & de horum etiam defectu, nil, (vt diximus,) ipse litteris mandauit. Verùm duo Auctores Platonici *Proclus*, *& Plutarchus*, de is differunt. Quare horum quoque sententias explicare, opus est. *Natura Iecoris, ex Platone.*

CAPVT VIII.

Sententia Procli, de diuinationibus per sacrificia.

Proclus, in libello, quem scripsit de Sacrificijs, & Magia, probat, res naturales magnam similitudinem

nem, & cognationem inter se habere, & rationem quandam infimis ad suprema, & terrestribus ad cœlestia, inesse. Quomodo enim inquit, planta Soliflequa versus Solem semper moueretur? Et quomodo Selinetropia verteretur ad Lunam? Et cur Leones, & Galli, animalia solaria vocantur: nisi quia, pro sua natura, solaris Numinis participes sunt? Et cur Helitis lapis habet radios, quibus solares imitatur? Et cur alius lapis, qui Solis oculus dicitur, figura pupillæ oculi simili est præditus, ex cuius medio radius emicat; Hæc omnia fiunt, quia in infimis suprema, & in supremis infima exsistunt: in Cœlo, que terrena, vt in sua causa, modo cœlesti: in Terra vero cœlestia, modo terreno, reperiuntur; & omnia inferiora à superioribus proueniunt, super ordinemque rerum in vnum colliguntur; quamuis sub diuersis Numinibus ordinentur, & superiora dilatentur in descendendo. Quare veteris Sacerdotij Auctores, hæc scientes, cœlestibus & terrenis vsi sunt: vt diuinas virtutes in locum inferiorem, ob quandam similitudinem, deducerent: & cùm simplicia non sufficerent, plurium mixstionem adhibuerunt; fabricantes statuas ex multis materijs, & odores multos simul componentes: vt vnum, ex pluribus compositum, plures virtutes haberet, vtebantur etiam ijs, quæ naturarum contrarietatem tollerent; vt sulphure, & aqua marina, purificat enim Sulphur, propter odoris acumen, & Aqua marina, propter igneam qualitatem, & his recipiebant primò potentias Dæmonum, vt rebus, actionibusq; naturalibus proximas, deinde à Dæmonibus, ad Deorum vires, & actiones, procedebant. Hoc modo *Proclus* diuinationem in sacrificijs, expiationibus, & incantamentis, perfici putauit. Cur verò hæc defecerint, non declarat, sed *Plutarchus* copiosum sermonem habet, quem paucis aperiemus.

CAPVT

CAPVT IX.

Plutarchi sententia, de causa, & defectu Oraculorum.

PLutarchus doctrinam partim Theologicam, partim Naturalem, tradit. Nam inquit, à veritate, & decore valdè aberrare, tàm eos, qui Deum omnium rerum auctorem faciunt: quàm eos, qui nihil à Deo effici dicunt: sed omnes dubitationes facilè solui posse ab ijs, qui Dæmonum genus inter Deos, & Homines medium ponunt, & eorum, quæ eueniunt, causas, partim ad Deos, partim ad Dæmones, partim ad Naturam, referunt. Quare ad Oracula hæc omnia concurrebant. Anima nostra, causa naturalis, Dæmon, ac Deus. Anima, quæ diuinationem susciperet. Causa naturalis, quæ animam, ad diuinationem suscipiendam, aptam redderet. Dæmon, ac Deus, qui diuinationem immitterent. Animam autem, vt diuinationis esset capax, oportebat sua natura omninò spoliari, & omnem ratiocinationem deponere, quia tunc inseruire poterat, tanquam vehiculum, & instrumentum, Dæmonibus, ac Dijs; qui, velut præfecti, & custodes, regebant, & moderabantur omnem ipsius impetum, ac passionem. Sed, vt hæc euaderet, extrinseca naturali causa in pluribus opus erat: quamuis aliqui natura sic affecti, & constituti essent, vt huiusmodi sponte fierent. Hæc verò causa in primis erat Terra: neque mirum. Nam, cùm hæc suo sinu omnes cœlestes influxus recipiat, generandiq; vim à Deo Sole habeat; & tot mira quotidie producat: cur non poterit etiam, aut halitum spirare, aut fontem emittere, qui mentes Hominum è sua sede dimoueat? *Terram Oraculorum causam fuisse.*

Has Oraculorum causas *Plutarchus* reddit: Cur autem perierint, ex his facilè demonstrat. Nam causæ naturales (subiungit,) quamuis vniuersæ æternæ sint, singulæ tamen intereunt: Terra q; ipsa, quæ tota sempiterna, interitusq; expers est, varias vices in partibus patitur, & aliquæ eius virtutes alicubi oriuntur, alicubi occidunt, aliò migrant, aliunde demigrant: vt ex lacubus, & amnibus, alibi aliquando deficientibus, & alibi aliquando scaturientibus, patet. Dæmones quoque quamuis longam vitam viuant & ipsi intereunt. Nam Tiberij Cæsaris tempore, Tamo Nauæ, voce ex Mari egressa, nunciatum fuit, magnum Dæmonem, nomine Pan, apud Insulas Echinadas obijsse. Quare deficiunt Oracula, deficientibus causis, ex quibus prodierant. Forsan enim Dæmones illi, qui Delphico, & Branchidico Oraculis aderant, mortui sunt; & Delphica Terra amisit vim, spirandi ex antro illo halitum, furore Homines replentem: idemq; fonti Branchidico, & Colophonio, euenit. Cumq; hæc docuisset *Plutarchus*, sufficientem causam Oraculorum defectus assignasse putauit. Nihilominus hæc doctrina manca est: quia res naturales non omnes vbique pereunt, & Oracula, vno loco defecta, alibi prodijssent, si eorum ortus, & interitus prouenisset à causa naturali. Quare mirari debemus, ipsum Christianis, de his perfectam doctrinam tradentibus, aures non præbuisse; cùm suam tam imperfectam videret. Sed humani ingenij cœcitas magna est, quando fidei lumine caret, idque indè cognoscitur: quòd isti sapientes Viri, miro mentis acumine præditi, de Deo, ac Dæmonibus, tot veritati proxima dixerint; sed veritatem ipsam attingere non valuerint. Hinc autem maiorem nostra Religio gloriam consequitur, Quæ, vt clarior etiam pateat: omissis Theologis, quomodo alterius generis Sapientes de his philosophati sint, considerabimus. Sed priùs quædam ex dictis nascentes difficultates tollendæ sunt.

Dæmones mortales.

Ostenditur defectus doctrina Plutarchi.

CAPVT.

CAPVT X.

Occurritur obiectis, nascentibus ex supradictis.

QVamuis supradicti Theologi in multis discrepent inter se; omnes tamen, communi sententia, Oraculorum causas ad Dæmones referunt; qui siue ex se ipsis loquantur, siue Deorum voces nuntient, & interpretentur. Ex hoc oritur dubitatio. Nam Dæmones sunt naturæ mediæ, inter Deos & Homines, ab vtrisque distinctæ: ita vt nunquam inter Diuinam, Dæmonicam, & Humanam naturam, fiat mutatio: nec Deus Dæmon, aut Homo; nec Homo Dæmon, aut Deus, nec Dæmon quiuis illorum vnquam euadat. Et quamuis *Mercurius Trismegistus*, alijq; Theologi, dicant, aliquando Homines fieri Dæmones, ac Deos, non significant, vnã Naturam in aliam mutari, sed Hominem viuere vitam Dæmonicam, vel Diuinam, quia, (vt rectè præ cæteris docuit *Iamblichus*,) Animæ humanæ competit multitudo adeò, vt cum omnibus Naturis conuenientiam habeat. Quomodo ergo Oracula dicebantur Iouis, Apollinis, Herculis, Vestæ, Cereris, & aliorum, qui homines fuerant? Si dixeris, quia Homines isti fuerint, ob eorum excellentem virtutem, Diuinitate donàti: id iam confutatum est ab illa Theologia, quæ inter Deos, & Homines fieri mutationem negat, neq; enim Poetæ, nisi adulando, Reges & Cæsares Dei nomine appellarunt. Si asseueris, Homines hos non Deos factos, sed post mortem ad vitã intellectualem, Dijsq: proximam, reuersos esse; quia singulari virtute & innocentia, in Terrarum orbe vixerint: & propterea à cæteris Hominibus, diuinis honoribus, & statuis, cultos

fuisse, & ipsos in Oraculis potuisse futura prædicere, quia in beato illo loco, vbi degunt, nihil ignorant, id quoque non congruet cum illorum Theologorum doctrina. Nam *Plato*, in Phædro, Animas, cum ad pristinum superiorem statum reuersæ sunt, gustare quidem iterum vult dapes Deorum, scilicet cognoscere Ideas, sed nullam ipsis inferiorum competere prouidentiam, tradit; nisi quatenus iterum equo malo ad corpora inclinant. Si tandem fortè negaueris, Iouem, Apollinem, & cæteros Deos, Homines vnquam fuisse. Nam Iupiter, & Saturnus, dicuntur quidem planetæ. Vnde *Lucianus*, in Dialogo de Astrologia, inquit, Saturnum ligatum fingi: quia motus illius tardus est, & alij addunt, fingi vinctum à Ioue: quia Iouis planeta Saturni vires infringit, quando sub illius circulo reperitur. Alij verò tradunt, Saturnum esse tempus, & à cœlo genitum dici, quia tempus cœlestis motus est mensura: & Patri virilia exsecasse, quia cœlum, non alij, temporis generandi vim habet: & ipsum quoq; à Filio Ioue exectum, & in Tartara coniectum postea fuisse, quia tempus non in cœlestia, sed in inferiora tantùm, vim habet, & nullo tempore alius Mundus poterit generari, vel quia illa parte non egeat, quæ coniunctionem alterius requirit ad generandum: & mandisse Natos, quia secula consumit. Similiter asserunt alij, Iunonem esse aerem: qui fœmina dicatur, cùm nihil eo sit mollius, & Iouis soror, ac coniux nuncupetur, ob similitudinem, & coniunctionem, quam aer habet cum æthere, & Vulcanum esse ignem, qui ex aere natus, cæterisque Dijs arma fabricare affirmetur: quia extenuatus aer conuertitur in ignem, & calor est artifex omnium operum Naturæ, & Venerem esse animorum, & corporum similitudinem, quæ amoris inter Homines conciliatrix est: & nata fingitur è spuma Maris, quia, (vt inquit *Aristoteles*,) semen genitale animalium, est spuma sanguinis, & Aesculapium esse aerem, quia (vt tradit *Pausanias*) ab

aere

aere bona valetudo proficiscitur: filiusque Apollinis iure dicitur: cùm Sol aeri salubritatem impertiat. Si hæc, inquam, aliaque huiusmodi affirmaueris, quorum magnam copiam apud *Ciceronem*, in libris de Naturâ Deorum, reperies: habebis eundem Ciceronem, cum multis alijs Auctoribus, aduersum. Nam in eisdem libris hæc litteris mandauit, *Suscepit vita hominum, consuetudoq: communis vt beneficijs excellentes Viros in cœlum, fama, & voluntate tollerent, hinc Hercules, hinc Castor &, Pollux, hinc Aesculapius.* Quibus Ciceronis verbis assentitur *Horatius*, in secundo libro Epistolarum his, carminibus. *Cicero in libris de natura Deorum.* *Horatius*

Romulus, & Liber Pater, & cum Castore Polux,
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumq: colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt.

Pausanias quoq; in libro de rebus Atticis, morem hunc Homines Diuinitate donandi à Græcis seruatum fuisse, his verbis testatur. *Possum etiam alios recensere, quibus, cùm homines antè fuissent, Græci diuinos honores post mortẽ habuere: quibusq: etiam vrbes dicarunt, vt Eleo in Cherroneso, Protesilao in Bœotia, Lebadea Trophonio, apud Oronios Tẽplum Amphyarao.* Deniq: *Lactantius Firmianus* in libris de falsa Religione cap. 15. idẽ ab omnibus Populis factũ, his verbis demonstrat. *Priuatim vero singuli populi, gentis aut vrbis conditores seu viri fortitudine insignes erãt, seu Fœminæ castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt, vt Aegyptij Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni vranum, Latini Faunum, Sabini Sangum, Romani Quirinũ. Eodem vtique modo Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerẽ, Lemnos Vulcanũ, Naxos Liberum, Apollinẽ Delphi.* Quare horum omnium Auctorum testimonio, omnes isti Dij, qui Oracula edebant, Homines fuerunt, quorum etiam Origo traditur à *Diodoro Siculo*, in libro quarto Historiæ rerum antiquarũ; asserente, omnes genus trahere *Pausanias* *Lactantius* *Deorum genealogia.*

ab

ab Vrano, primo Rege Atlantidum, Populorum Libyæ, qui habitant prope Oceanum: cùm hic duos Filios habuerit, Saturnum, & Rheam; qui matrimonio simul iuncti, genuerunt Iouem, Olympum postea nuncupatum; antequàm alius Iupiter, Vrani Frater, exstiterit, qui in Creta regnarit; cuius sepulcrum Cretenses ostendunt. Huic verò Diodori historiæ addit *Lactantius*; Ioui duos Fratres fuisse, Neptunum, & Plutonem, cum quibus Regnum partitus sit; cuius Orientalis pars ipsi Ioui; Occidentalis Plutoni, & ora maritima Neptuno obtigerit, & propterea à Poetis, omnia obliqua figuratione obscurantibus, fictum esse, in Cœlo Iouem; in Mare Neptunum, & apud inferos Plutonem, regnare. En igitur magnum suprà dictis obiectum: cum statuerint Theologi, Oracula à Dæmonibus edita, & appareat nihilominus, Numina, quæ in Oraculis colebantur, Homines fuisse.

Pro huius igitur difficultatis solutione, nos afferemus doctrinam, quæ cum doctrina horum Theologorum congruere possit: non ignorantes, multa alia posse ab alijs afferri. Nam, vt *Themistius Philosophus* Valenti Imperatori testatus est, Idolatria fuit in plùs quàm tercentum sectas diuisa. Sciendum ergo, antiquos Homines, amissa veri Dei cognitione, in falsorum Deorum opinionem illicò incidisse, & Solem, Lunam, Stellas, ac Elementa, veneratos esse, multaque etiam alia Numina excogitasse, prout eos ignorantia causarum impulit: cum omnibus Numen quoddam præsidere putarint. Virtute etiam excellentes Viros, & de humano Genere, ob artis alicuius inuentionem, benemeritos, diuinis honoribus honorarunt, & post mortem in Deorum numerum adscripserunt: cùm quid maius illis humana natura fuisse, visum esset. Vulgus verò, vt par est, cœlestia, & elementaria corpora, hosq; etiam viros, absq; vlla distinctione, pro Dijs habebat, & venerabatur. Sed perspicatiores viri, rem attentius considerantes, diuer-

Themistius Philosophus.

diuersam naturam Numinum inuenerunt; & pro ut eis Mundi gubernatio, & ordo requirere videbatur, eam in corporea, & in incorporea, in visibilia, & in inuisibilia Numina, distinxere: Dæmones quoque Dijs inferiores cogitarunt, & humanas Animas, à Diuina, Dæmonicaque Natura distinctas, cognouerunt: neque elementaria, cælestiaque corpora venerati sunt, sed Numina, quæ illis inesse opinabantur. Vnde *Plutarchus* in opusculo de defectu Oraculorum, errare inquit eos, qui Solem, & Apollinem idem credunt: cùm inter illos ea differentia sit, quæ inter corpus, & animam reperitur. *Ouidius* quoque, Cererem, & Terram non idem esse, in primo libro Fastorum, his carminibus testatur.

Officium commune Ceres, & Terra tuentur.
Hæc præbet causam Frugibus, illa locum.

Ouidius, in primo libro Fastorum.

Quare Diuinitatem per omnia diffundi, & omnia gubernare, credebant, & eam in singulis rebus, ac locis, venerabantur. Homines verò pro Dijs non habebant, ita vt eos in Diuinam Naturam mutatos existimarent, sed Mortuorum, qui cum virtute vixerant, animas diuinis honoribus honorabant, tanquam ad Deos reuersas: vt, horum honorum desiderio, Viuentes ad virtutem inflammarent. Imposuerunt etiam sæpè Syderibus virorum nomina; vt æterna illa redderent, quemadmodum *Diodorus Siculus* asserit, ab Aegyptijs Solem Osiridem, & Lunam Isidem nuncupatam fuisse. Hincq; postea ortum est, vt Dij Hominum nominibus vocati sint, & Oracula, quæ Deorum, vel Dæmonum erant, Hominum, qui Dij euasissent, esse viderentur. Exempli gratia: Putabant Antiqui, Numen quoddam Terræ præesse, & ab hoc Oraculum edi posse. Exstitit postea quædam Mulier, Ceres nomine, quæ multa circa frugum sationem inuenit, & mirabilis in hac re fuit. Huius nomen Posteri vt æternitati donarent, siue Terræ, siue Numini; quod Terræ præsidet, indidere. Propterea procedente

Solutio dubitationis.

dente tempore, Mulierem illam Deum euasisse, & Oracula dare, videbatur: cùm tamen id ex illa Theologia verum nó esset; sed Deus, & Dæmon, Cereris nomen iam sortitus, responsa daret. Idem etiam de alijs Oraculis dicendum: & difficultates iam sublatæ sunt. Quare ad Naturalium Philosophorum sententias considerandas iam accedamus.

CAPVT XI.

Considerantur opiniones Philosophorum.

Diuisio Sapientiæ, ex Aristotele.

Aristoteles, in secundo libro Meteororum, Sapientes bipartitò diuidit: & quosdam humana sapientia præditos, quosdam ea sapientiores, appellat. Isti, ex superioribus ad inferiora descendunt: Illi, inferioribus ad superiora efferuntur. Primi supponunt quædam diuina principia, ad quæ omnes effectus referant, & ad causarum, quas præcogitant; naturas, effectus accomodare conantur. Alteri, ex effectibus, quos vident, quales sint causæ, conijciunt. Primi ergo Theologi, secundi Philosophi dicuntur, & inter hos ipse quidem Aristoteles primas tenet: cum ex ijs, quæ sensibus patent, nemo nec distinctius, nec subtilius, nec copiosius, philosophatus sit; immò hoc doctrinæ genus omnes ab illo didicerint. Quare, quid & ipse de his diuinationibus doceat, videndum est. Mancam tamen, & imperfectam illius doctrinam cognoscemus; vt quæ ex debili sensuum lumine emersit. Ille igitur, primum nullos Deos, aut Dæmones, rerum humanarum curatores, aut cognitores, posuit: sed, quæcunq; in Mundo sublunari eueniunt, corporum cœlestium motui, ac lumini, attribuit, & in primis Soli, ac Lunæ, vt maioribus, & proximioribus astris, & ei Solis conuersioni, quam sub aliquo circulo, qui dicitur Zodiacus,

diacus, annuatim conficit. Præter has, non alias causas ponit, & quamuis omnes sublunares effectus, ad hæc duo tantùm, videlicet lumen, & motum, referre, difficile sit: nō propterea ad alias occultas causas confugere vult: quia, ob nostram ignorantiam, numerum entium augendum non putat, immò nec Astronomis, occultos cœlestium corporum influxus ponentibus, assensit: sed, cum ex sensibilibus philosophetur, & Cœli motum æternum dicat, & videat, fieri non posse, vt formæ, in materia, & quantitate existenti, virtus sit, æterno tempore mouendi; & Cœlos octo tantùm existimet: ideò octo formas à materia separatas excogitauit; quæ puri actus, & puræ intelligentiæ sint, & illarum quælibet vni orbi præsit. Propterea, ex illius doctrina, ortus, & interitus Oraculorū causam reddere, ita difficile est; vt pleriq; Philosophorum Naturalium, de his loquentes, ab Aristot. principijs recesserint, & inter hos est *Auicennas*; qui scripsit, nō esse mirum, ab aliquibus mirabilia fieri, & futura præuideri: quia Homini bene composito, & supra materiā elato, cuncta materialia obediunt. Quæ opinio, Theologica potiùs, quàm naturalis est, & Mercurio Trismegisto, non Philosopho naturali, conueniens. Nam Philosophus nunquam concederet, futura à nobis præuideri; quantumuis nos ipsos à materia abstrahamus, intelligendo, seu vniuersalia, quæ conditionibus materialibus denudata sunt; seu ipsas etiā substantias separatas; quia, si abstractio hoc daret nobis, vt futura præuideremus: id multò magis substantijs separatis competeret, quæ tota essentia abstractæ à materia sunt, non, quemadmodum nos, vnica potētia animæ. Nihilominus istæ, ex Philosophis, nil præter se ipsas intelligunt: quia dicunt, eas, non potentia essentiæ super addita, vt nos; sed ipsamet essentia intelligere: & in eis, esse, & intelligere, nil differre, vnde, si extrinsecum aliquod intelligerent, perfectionem essentiæ ab extrinseco, ignobiliorique, haberent: quod esset absurdum. Neq; dicat *Auicennas*, nos abstractos à

Consulitur sententia Auicennæ.

corpore prænoscere futura; quia, cum omnes menti dediti sumus, acquirimus intellectum in habitu: qui est iunctus intelligibilibus arctiori iunctione, quàm materia formæ; ita vt cum eis vnum, & idem euadat: & propterea sciamus prædicere futura; quia noscamus causas futurorum. Nam Philosophi non putant, quemadmodum Astronomi, omnia, quæ fiunt, necessariò fieri, sed credunt, quædam esse necessaria, & quædam contingentia, vt *Aristoteles*, in octaui libri Physicorum, tex. Liij. distinguit, dicens: *In ijs quæ mouentur à primo Motore absq; medio, vt in cœlis, nil contingens reperitur: sed singularibus eorum, quæ mouentur ab ipso opera cœli, contingentia inest.* Horum verò futurorum contingentium, negant Philosophi dari scientiam: quia scientia causã necessariam docet; cuiusmodi non habent ea, quæ fieri, ac nõ fieri possunt: vt erant effectus particulares, qui ab Oraculis prædicabantur. Aberrat autem multo magis *Auicennas*, à principijs naturalibus, cùm dicit; Homini rectè cõposito omnia materialia obedire, miraculaq; ab aliquibus propterea fieri. Nam quæ tam perfecta nostri compositio nobis id dare potest, vt miracula faciamus? Est doctrina Philosophorum, Agens naturale non posse quid efficere sine motu, & non mouere, nisi tangendo mobile, aut proximè, aut medij alicuius interpositione, &, cum vtitur medio, non longè à Mobili distare debere. Nam illius virtus, cum finita determinataq; ad Mobile nimis distans non perueniret: agere autem, applicando actiua passiuis, & passiuum debere esse appositum, ad actionem actiui suscipiendã, quia nõ quodlibet fit ex quolibet. Hæc ergo doctrina, nullum miraculum permittit; sed vtitur actione, passione, tactu, motu, & alijs mediis naturalibus. Quod si dicat *Auicennas*; Hominem doctum, quia scit hæc naturalia adhibere, facere multa, quæ indoctis mirabilia sint: rectè dicit; nihilominus hæc verè miracula non erunt. At fallitur, dicens, Homini bene composito omnia materialia obedire: cum putet, à

Sublunaribus contingentiã inesse.

nostra

noſtra forma miſtionis benecontemperata, & harmonica, cunctas res naturales poſſe mutari. Nam quodlibet non agit in quòdlibet, ſed in determinatum ſubiectum: & res naturales diuerſæ cótrariæ q; ſunt, nec vna forma in omnes agere valet. Quare Auicennæ ſententia, à Philoſophorum ſchola eſt omninò reiecta.

Sunt aliæ ſententiæ, & ipſæ quidem à Philoſophia alienæ. Nonnulli, futurorum præuiſionem, intellectus Agentis lumini attribuunt. Alij, eam à Deo per cœleſtes intelligentias, immitti, dicunt. Alij aſſerunt, à cœleſtibus intelligentijs, per cœli motum, phantaſmata in nobis excitantem, produci. Qui omnes non rectè ex principijs naturalibus philoſophantur. Nam intellectus agens, (ſiue animæ noſtræ facultas ſit, vt placet multis Latinorum, ſiue vna intelligentiarum, vt dicit *Auerroes*, ſiue ipſe primus Motor, vt aſſerit *Alexander*,) nil aliud, vt omnes conueniunt, efficit, quàm reddat ea, quæ priùs poteſtate erant intelligibilia, actu intellecta: ita vt nos, ex multis indiuiduorum phantaſmatibus eſſentiam ſpecificam, omnibus conuenientem, abſtrahere, & intelligere poſſimus. Nam, quemadmodum lumen dat vim coloribus, qua agant in perſpicuum, & mutent viſum: ita intellectus agens dat vim obiectis, qua intellectui paſſiuo indiſtinctæ ſe offerant, & illũ ad vniuerſaliũ cognitionẽ extollant; quando autem hæc vniuerſalia intelligimus, tunc dicũt Peripatetici, eſſe completum & perfectum actum noſtræ intellectionis. *Auerroes* ſolus noſtram intellectionem vlterius etiam progredi, vult; videlicet ad cognitionem intelligentiarum: quia, quando habemus intellectum ſpeculatiuum, iungitur nobis, (inquit,) intellectus agens, vt forma & quia ipſe ſubſtantia ſeparata eſt; ideò ſubſtantias ſeparatas intelligimus. Sed *Alexander* non putat, nos intelligere eſſentiam formarum ſeparatarum, ſed ſolummodo materialium: quia non cognoſcimus intelligentias, niſi modo quodam nobis conuenienti, ſcilicet, vt in phantaſmatibus

Confutantur ſententiæ multorũ.

Quomodo substantiæ separatæ intelligãtur à nobis.

relucent, quatenus referuntur ad ordinem & dispositionem Mundi, & sunt causæ motus corporum cœlestium, hinc enim comprehendimus, eas à magnitudine separatas esse, & quomodo se habeant ad mouendum. Verùm, siue Alexandri, siue Auerrois, sententia vera sit, certum est, nec intellectum agentem, nec substantias separatas, ad futurorum cognitionem quid nobis conferre: quia substantiæ separatæ, secundum Philosophos, se ipsas solas cognoscunt; & iunctæ nobis non possent tribuere, quod non haberent; & in rerum quiditatibus, non sunt causæ necessariæ futurorum, nisi vniuersalium. Quare falluntur ij, qui, Auerrois sententiam malè explicando, putant, ipsum vnà cum Aristotele sensisse, Deum & cœlestes intelligentias hęc inferiora curare, & de Homine curam in primis habere, cùm is sit finis, cuius gratia cætera omnia facta sunt: & propterea, ad conseruandas leges, & Religiones, maximè incumbere; quia hæc ad Hominum gubernationem spectant: hinc, dũ aliqua viget Religio, omnia fieri, quæ illius conseruationi profint: & ideò apud Idolatras diuinationes, Oracula, & alia mirabilia fuisse, quibus illa Religio seruabatur: sed, quia rerũ sublunarium natura perpetuitatem non patitur, & à Religione Idolatrica ad Christianã transitio fieri debebat, Oracula, & cætera omnia, quibus Idolatria sustentabatur, aliquando defijsse, & noua miracula visa esse, quæ nostræ Religionis incrementũ darent. Hæc est doctrina *Petri Pomponatij*, quam non sapere Philosophiam, ex supra dictis apparet, præterquã quod nos nõ credimus, Aristotelem putasse Deum alicuius rei effectorem; sed finem tantùm cuius gratia cætera fiant: quia voluit eum in perfectiori genere causæ collocare, & dixit, in abstractis nullam dari distinctionem, inter intelligere, esse, & operari. Quare, ex mente Aristotelis; quidquid faceret Deus, esset ipsemet Deus: cùm nesciuerit ille distinguere productionem intrinsecam ab extrinseca, vt lumine fidei faciunt nostri Theologi. Quare

re, his confutatis, superest, vt nostram de Aristotelis mente sententiam iam proferamus.

CAPVT XII.

Opinio Aristotelis, ex Auctore.

NOs, doctrina Aristotelis, dicimus, omnium mirabilium, quæ narrantur, causam assignari non posse; sed Peripateticum negare ea, quæ supra Naturæ vires sunt vnquam accidisse, credereq; potiùs, vel à malis Idolatricæ Religionis Sacerdotibus, lucri causa, vel ab Exercituum Ducibus, ad animandos Milites, vel à Legumlatoribus, ad Populi obedientiam legibus comparandam, conficta fuisse. Nam his de causis, Minos à Ioue, & Numa à Nympha Egeriâ, leges sibi datas finxerunt; & Sylla prælium initurus, simulacrum Apollinis coram Militibus amplectebatur, rogans, vt promissa persolueret; quasi ille victoriam iampridem promisisset. Sertorius quoque, Ceruam candidam mansuefactamq; habens, hanc sibi à Diana donatam: & hac, quando pugnandum, & quando à prælio abstinẽdum esset, moneri, Militibus suaserat. Nec desunt alia Antiquorum vafrè dicta, & facta, quibus Religionẽ, ad publica priuataq; commoda, ab ipsis adhibitam fuisse, apparet. Nihilominus, quia negari non potest, multos Homines spiritu rapi, quo à se ipsis alienantur, & in furorem versi multa dicunt & faciunt, quæ ignorant; & quæ propterea à nulla illorum animæ facultate prouenire videntur; ideo *Aristoteles*, in primo libro Problematum, huius furoris causam his verbis reddere conatur. *In quibus multa, & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt, & ignaui: in quibus permulta, & calida, ij perciti, & ingenioſi, amasij, propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. Nonnulli*

Lege Valerium Maximũ de simulata Religione.

Aristotelis in primo libro Problematũ

nulli quoque, quia calor ille sedi mentis vicinus est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico feruescunt: ea quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ & omnes, quæ diuino spiraculo inspirari putantur sũ scilicet id non morbo sed naturali intemperie accidit. Maracus Ciuis Syracusanus, Poeta etiã præstantior erat, dũ mente alienaretur. At quibus ille calor remissus ad mediocritatẽ est, ij prorsus melancholici quidã sunt sed longè prudentiores. Hæc Aristoteles, quibus ad naturalẽ intemperiem, bilisque incensionem, referre vult furorem illũ, quem cæteri diuino afflatui attribuebant, & inquit, propterea fanaticos nescire, quæ in furore illo dicant, vel agant; quia ea bilis incensio mentem lædit; cum illius sedi vicina sit. Quæ doctrina difficultatem pati videtur. Nam quomodo læditur mens, quæ organo corporeo caret? Sed tollitur difficultas: quia mens indiget obiecto, quod ei à cogitatrice facultate offertur: & ideò, quando læsa est cogitatrix, ita vt obiecta cõfusa imperfectaq; offerat, mẽs delirat.

At quæret aliquis: Cur hic furor accidebat ijs, qui Delphico Antro, vel fontibus illis apud Branchides & Colophones, appropinquabant? Huic Aristoteles nil aliud quidem responderet, quàm id, quod de Terra docuit Plutarchus: videlicet, non esse mirum, eam, cùm tot miros effectus pariat, halitus & aquas, ea præditas vi, è sinu alicubi emittere, qua proximi Homines in furorem inducantur. Neque, de causa horum Oraculorum defectus, Aristoteles à Plutarcho dissentiret: scilicet hæc perijsse, quia omnia terrena mutabilia sunt, nec Terra ijs in locis eam vim nunc habet. At, si quis peteret, cur Homines in illo furore futura prædicere sciuerint? Negaret Aristoteles, hanc virtutem illis fuisse; diceretque illius Religionis vi factum, vt consulentes accommodarent Fanaticorum responsa ad futurorum prædictionem: interpretando verba, quæ responderant, aptando que ea rebus, prout consentaneum videbatur. Notandum verò, apud Delphos, & alia præcipua Ora-

la

cula, non licuisse cuilibet consulenti fatidicam mulierem alloqui. Nam Delphis Mulier secus cortinam latebat; nec ei erat, nisi cum Sacerdotibus, consuetudo. Et Oraculum consulturi, Templum ingrediebantur, & ante Dei simulacrum exponebant, quid optarent; quod à Muliere, & Sacerdotibus, secus altare existentibus, audiebatur. Tunc Mulier tripodem ascendebat; repletaque furore, quidquid in buccam venerat, pronuntiabat: nihilominus de his, quæ petita fuerant, loquebatur. Quia fanatici, cum delirant, sermonem semper habent de ijs, in quæ ante delirium cogitationem fixam habuere. Sacerdotes postea, prout melius poterant, Mulieris dicta in duo, vel tria carmina, consulentium petitioni accommodata, redigebant; sed eo verborum artificio composita, vt errare non possent. Exempli gratia; cùm Crœsus, Lydorum Rex, petijsset à Delphico Oraculo, an bello Persas aggredi deberet? Respondit Oraculum: Si bellum Persis moueretur, magnum Regnum cito euersum fore. Crœsus bellum mouit; & à Persis victus, Regno que spoliatus fuit. Tunc omnes in opinionem venerunt, non Regni Persarum; sed Lydorum, ruinam ab Oraculo prædictam fuisse. Hac igitur verborum ambiguitate, Populi fides erga Oracula seruabatur: nũquam enim Consulentes credebant Oraculum errasse, sed se Oraculi mentem potiùs non percepisse. Non deerant præterea multi, qui Oraculorum responsa intelligere interpretarique profitebantur, & in hos omnis ignorantiæ culpa conferebatur; quòd Oraculi verba rectè exponere nescissent, quotiescunque secùs, ac prædictum fuerat, accidebat. At, si quæras ab *Aristotele*; cur hæc omnia tandem desierint? multas causas assignabit. Primùm, quia, mutata Religione, Lymphati, non Deo pleni, sed amentes, vel malo Dæmone capti, nunc existimantur; neque eorum verba ponderantur, vt diuina; sed vel stulta, vel fallacia, vt à communi Hoste proficiscentia, creduntur. Deinde, quia, cum multa in his Oraculis, à

Multa fraudes Antiquorum in Oraculis.

Causa defectus Oraculorũ, ex Aristotele.

Sacer-

Sacerdotibus, & Principibus, fingerentur; Populus tandem dolos cognouit, & fidem amisit. Sacerdotes autem, lucri causa, multa fingere consueuisse, sacri & profani libri testes sunt. Legimus in sacra Scriptura, Danielem Prophetam, Templi solo cinere aspersо, vt ambulantium pedum vestigia in eo inquerentur, demonstrasse Babyloniorum Regi, quomodo Sacerdotes singula nocte, per occultum ostium, Templū ingressi, auferebant quadraginta Oues, & sex vini Amforas; quas Rex Deum edere, & bibere, quotidie, putabat. Tradit *Herodotus*, Perialam, Delphis vaticinantium mulierum Antistitem, donis subornatam, respondisse; Spartæ Regnum soli Cleomeni competere: quod Demarato quoque competebat. *Iustinus* etiam Historicus testatur, Alexandrum Magnum, ab Hammonis Antistite, Iouis filium nuncupatum fuisse: quia is ab Alexãdro fuerat præmissis Nuntijs subornatus. Cum igitur tot doli committerentur: quid mirum, si Populus illos tandem cognorit; vltimis præsertim Idolatriæ temporibus, quibus horum abusus creuerant, & Christiani eos patefaciebant? Nam res eò impudentiæ tunc venerat; vt Adrianus Imperator Oraculum Adriano, Puero defuncto, quem in delicijs habuerat, constituerit, quod heroicis carminibus responsa daret. Cui, quæso, quis fidem præstitisset? Hæc diceret Aristoteles. Qui si interrogaretur, cur, statuæ loqui desierint? nullam causam certè reddere posset: sed vnquam locutas fuisse negaret; itaque suam doctrinam mancam, & imperfectam ostenderet: quia Mercurius Trismegistus, & omnes Idolatricę Religionis Theologi, ac Historici, in hoc cum nostris conueniunt, vt statuas locutas asseuerent. Quare patet, ob Christi aduentum eas loqui desijsse, qui malis Dæmonibus vim Homines fallendi ademerat: vt vera fides cognosceretur, quam vt indies per orbem magis, ac magis proferat, ipsum rerum omnium supremum, & optimum Auctorem precamur.

PETRI

PETRI SERVII
SPOLETINI
DISSERTATIO
PHILOLOGICA
DE ODORIBVS.

Digitized by Google



Eminentiſsimo Principi FRANCISCO CARDINALI BARBERINO

PETRVS SERVIVS F.

FACIO, quod apud Scriptorum vulgus in more poſitum eſt, E. P. vt exili & minuto Commentario, nullaque ex ſe aut dignitate prædito, aut commendatione digno, ſplendorem, & amplitudinem Inclyto Tuo Nomini inſcripto, comparare ſtudeam. Vix, fateor, ac ne vix quidem effugere poſſe videor temeritatis, impudentiæue notam; qui te, aſſiduis operoſis maximiſque vniuerſi Chriſtiani Orbis occupationibus diſtenctum, hiſce nugis interpellare audeam. Ceterùm non tam impudentia vicit, quàm ſtudium, cupiditaſque non quidem tua in me

testandi merita, quæ cum vix animo comprehændere possim, planè impudens essem, si infirmissimo testimonio profiteri vellem: sed exiguo huic tenuique libello gratiam ac dignitatem a summa amplitudine tua conciliandi. Itaque non vetera solutum tua in me merita, E. P. sed noua rogatum beneficia Te conuenio: quem supplex imploro, atque obtestor, vt hunc commentariolum re ex se ἐφήμερον, & quasi Herbam solstitialem, æternum esse velis, Æterno Tuo Nomini consecratum.

LE-

LECTORI

Salutem dico, Velitationem interdico.

QVID istuc est? inquies Lector. An falcem tu in alienam messem injicere audes? Minimè verò, inquam, in alienam; sed in propriam atque domesticam. Quid enim mihi magis proprium, quàm suauissimum Balsami Odorem, velut a populatione multorum sartum tectum tueri? 1 *Segetes autem nullius incidam, nullius inuadam horrea: solùm in communi agro, vbi messem alij fecere diuitem, paupertinũ ingrediar facere spicilegium.* Importunè, (obijcies) in campum descendis, & 2 *Myconiorum more non inuitatus interuenis*. Imò coactus interfum, adsumque *Pro aris, & focis*; atque adeò, cum vsus veniet, 3 *Præsto ero ad præsidium, ad aciem, ad periculum*. Neque enim videar vnquam, vt 4 *Isocrates, palestræ, quàm pugnæ, magis acco-*

1 *Acidalius ad Velleium*

2 *Athenæus 1. Dipnos.*

3 *Cicero pro Deiot.*

4 *Quintilianus lib. 12. c. 2.*

accomodatus. Tu verò caue, 5 *Patrium mo-*
rem Academiæ imitatus, *aduersari semper*
omnibus in disputando hostiliter contendas.
Nam etsi 6 *Nunquam hostem, nunquam ca-*
stra vidi: aut certè 7 *Nunquam acies, nun-*
quam arma libens in prælia moui: tamen (ni-
hil iacto) 8 *Noui equidem clypeum dextra,*
leuaque monere; immo 9 *Noui probè & ipse*
Et petere probris, inimicaque dicere dicta
Itaque, si contumeliosè, insolenterque lacesses,
10 *Muto pacatum in prælia vultum,*
11 *Parata tollo cornua,* ac 12 *Reciproca tẽdo*
Condita tela. 13 Ceterùm *Illud te,* si quis eris,
Atratine, esse admonitum volo: primum Qualis
es, talem te esse existimes: vt quantũ a rerũ tur-
pitudine abes, tantũ te a verborũ libertate se-
iungas, deinde, vt ea in alterũ ne dicas, quæ cũ
tibi falsò responsa sint, erubescas. Vale, ac viue,
meque amantem ama, verè, seriòq; amantem:
nihil enim id vetat: 14. *Nã opinionũ dissimili-*
tudo tantùm abest a simultate, vt non solùm qui
sententia discrepant, in amore consentiant; sed
etiã, qui iudicio congruunt, simultates exerceãt.

Balsami

5 Cicero 1. de Orat.
6 Cicer. 2. de Orat.
7 Virgil. Aeneid.
8 Homer. Iliad 8.
9 Aeneas apud Homerum.
10 Petronius Arb. in Satyr.
11 Horat. in Epod.
12 L. Attius in Philoct.
13 Cicero pro Coelio.
14 P. Mantuius in Epi.

Balsami Odor, Cinnamomi, Stactes Cæterorum:

Veterum, & Recentiorum Vnguenta:

Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, Galenus illustrati:

Ciceronis locus restitutus, Lucilij correctus, Pomponij I.C. emendatus:

Plinius quà explanatus, quà defensus, quà notatus:

Multa Recentiorum animaduersa, Antiquorum perpensa multa.

SÆPE consultus, quid sentiam de Balsami Odore, deq; veterum, & recentiorum Odoramentis; sæpiusq; ab amicis hortatus, vt ea, quæ in otio, & laxamento à medicina facienda commentatus essem, litteris consignarem; hæsitaui semper, & multis de causis me ipse à scribendo hactenus reuocaui. Et primò quidem illud mihi negotium exhibebat non mediocre, quòd ea de re ageretur, quæ sensu potius, quàm ratione æstimanda, longè tamen esset à sensibus dissita: neque enim balsamum, aut antiquorum vnguenta nobis præsto sunt, quæ sensu expendere, atque diligentiùs explorare possimus. Deinde verò difficultatem rei mirum in modum augebant eæ, quibus distineor, occupationes. Totus enim sum in medicina facienda, exercendaque, ac nihil meum iucundiùs oblectat animum, suauiùsque demulcet, quam πρακτικὴ, καὶ ποιητικὴ, ipsa nempè exercitatio, curatioque morborum.

Ad

Ad illam verò medicinam theoricam, quæ verè ἀπόδειξιν, atque subtilior, penitusque à sensu seiuncta, intenta solùm mentis acie comprehenditur, quæque mihi adolescenti, ac iuueni mel, ac delicię fuit, animum referre vix possum, nihil ferè amans, (vide genij vicissitudinem) nisi quod morbos, quod ægros, quod horum hospitia non sapiat. Quem amorem, laude profectò, & commendatione dignum, inserere studiosè contendo in omnium eorum animos, qui me, & in Nosocomio S. Spiritus practicam medicinam exercentem, & in Romano Gymnasio Theoricam, vt vocant, Ordinariam profitentem frequentes conueniunt. Demum vrgebat me, vel tradabat potius, ac ferè impediebat vix ferenda imperitorum inscitia, malitiaque improborum verè insidiosa: quibus illud vnum summæ, & anxiæ curæ est, vt eos, qui aliquid vltra crepidam sciunt, quique otium grauioribus curis subreptum, in litteris honestè transigunt, carpant, fugillent, & per speciem laudis callida obtrectatione lacerent. Nimirum quiduis aliud, cui detrahere vehementer student, honorificè tribuunt, quàm practicæ medicinæ scientiam. Optimos eius mores imprimis vafrè, & malitiosè commendant, summum ingenium, industriam singularem, omnisque generis litteraturam laudant, exornant, amplificant, &, si Dijs placet, etiam ad cœlum extollunt. Sed vnum illud, inquiunt (en venenum, simulatis laudibus, & ad nocendum compositis tectum) in eo viro dolendum esse, Genium nempè, & ingenium litteris addictum, & inuolutum, atque à medicina facienda animum proinde alienatum. Mehercule hi longè nequiores sunt Pompeij Magni obtrectatoribus, qui cum in purissima eius vita nullam reperirent labem, qua culparent eum, atque perstringerent, eo tantùm nomine accusarunt, quòd *Digito caput scalperet*. Sed hos, similesque nebulones *Dij monerint meliora atque amentiam auerruncassint*. Qui verò fortes, & cupidi iu-

Ammianus lib. XVII.

Petronius in Chryse.

mus

mus *Amici, quod factum est futile, nos feramus fortiter.* Ennius in Phœnice.
neque enim sperandum est, vt eorum corrigatur natura:
Ante, opinor, lupos rapient hœdi, vituli ante leones; Valerius Cato in Diris.
Delphini fugient pisces, aquila ante columbas.

Feramus igitur, & factum infectum putemus. Hæc sunt, Lector, quæ me à scribendo deterrebant, ac planè dehortabantur: sed multorum suasionibus victus, Phylologica de Odoribus exploratum præmittere decreui, vt his, quid improbi, quid probi censeant, renunciantibus, de Physico Odorum Commentario, cum ab assiduis medicinæ faciendę occupationibus aliquid otij impetrare potero, arctissimumque illud vinculum (heu medicorum conditio) quo curandis ægrotis adstringimur, paululum laxare per salubritatem, annique tempus licebit, statuere possim.

Triplex autem de Balsamo hìc philologicè potius, quàm physicè tractanda quæstio est: prima *An benè, iucundèque oleat*: altera, *An ture, myrrha, cæterisque similibus suauiorem spiret odorem*: tertia, *An iucundius oleat ambra, moscho, zibetho.*

De prima ita censeo: Qui negat (negat autem non vnus) balsamum benè suauiterque olere, profectò meridie

Ostendi solem postulat ille tibi.

nam antiqui omnes, omnesque recentiores, qui balsamum tractarunt, odorem eius maximè commendant. Alexander Magnus in epistola ad Aristotelem scribit se vidisse *Balsamum cum optimo odore*: Andromachus apud Galenum, *Odoribus*, ait, *inclyta semper Balsama*, Theophrastus, balsamum *Odorem infert eximium, & copiosum*: Solinus, *E plaga eximia suauitatis gutta manat*: Flauius Iosephus, *Balsamum vnguentorum omnium longè præstantissimum*: Plinius, *Omnibus odoribus præfertur balsamum, & Succus è plaga manat suauitatis eximiæ*. Quibus omnibus assentitur Galenus, Pausanias, Dioscorides, Strabo, & si quid hoc ad rem pertinet, Martialis,

Balsami odor eximius ex antiquis. Lib. 1. de Antidot. cap. VI. Lib. 9. Hist. cap. VII Polyhist. cap. XXXIII Lib. XV. cap. V. Lib. XII. cap. XXV.

Virgilius, cæterique sexcenti, quos breuitatis causa prætermitto.

An fortasse antiquis tantùm benè olebat? qui nostra vnguenta, ex ambra, moscho, & zibetho ad summam suauitatem condita, nusquam odorari, Acutè solùm olentia (quæ Rondeletij, multorumque est opinio) ignauiterque fragrantia iucundissima putabant. Minimè gentium: nam etiam nostratibus, siue philosophis, siue vnguentarijs, quorum nares vnguento ambraceo delibutæ sunt, balsamum suauissimè olet. Alpinus oculatus, imò nasutus testis (nam succum, vel ex ipsa planta manantem odoratus est) *Suaui odore, eximiaque fragrantia* præditum testatur: Veslingius, & ipse *Testis, & spectator viuus, & præsens*, balsamum esse profitetur *Odoris suauitate gratum*: Stephanus Mantegaza in Relatione itineris Hierosolymitani vernaculo sermone conscripta, *E pianta gutta manat admodum lucida, & odorata qua verum balsamum est*. Kornmannus, *Gutta mirè fragrans scaturit ex ruptura*: Sebastianus Munsterus, Paulaniæ verbis vsus, viperæ, inquit, *Vescuntur succo balsami suauissimo*: Iouius, *Ex arbuscula liquor omnium odoratissimus resudat*. Quare non minùs alienum est de suaui, præstantique odore balsami dubitare, quàm *Inscyrpo nodum quærere*, aut *Maculam in Sole*. Aduersus tamen eos, qui dubitant, illudque, tot tantisque auctoribus minimè credentes, de odoris ignauia, aut insuauitate postulant, haud importunè occurrit illud M. Scauri: qui, à Vario accusatus, interrogauit Quirites: *Varius Sucronensis ait, M. Aemilium Scaurum, mercede conductum Populum Rom. prodidisse: M. Aemilius Scaurus huic culpæ se affinem esse negat. Vos vtri creditis, Quirites?* Nominato tantùm actore, & reo, populus accusationem repulit. Tu Lector, conferto sodes balsami suauitatis auctores, & vindices cum oppugnatoribus, & de tota re statue, ac planè decerne. Ergo, inquies, sunt, qui

Io. Dialog. & Med. Ægypt. Ad Alpinum.

Lib. 1. cap. xxiv.

Lib. vi. Geograph. Lib. xvii. Histor.

Terentius in Andr.

in

in balsamum malè animati, vi omni, ac facultate id exuere contendant? Sunt profectò: quos si audias, nobilissimus hic loquor, eximius, ac preciosus, & ab omnibus populis, scriptoribus omnibus, omnisque generis hominibus perpetua prædicatione commendatus,

Veteris fama vix tibi signa dabit. C. Laberius in Athenæ

Sed de re perspicua satis, immò plus satis; ac bono facilique homini verè nimis. Itaque

An balsamum suauiùs ture, & myrrha oleat, secundo loco propositam quæstionem accurratiùs, pluribusque tractare, aggredior. Tus odorum suauitate balsamo præstare, atque adeò myrrham non balsamum primas ferre, censent viri docti, litterisque mandarunt. Qua de re etiam atque etiam ipse consultus, anxièque percunctatus, illud candidè, & sine fuco primò respondere consueui, mirari me, (obiter id quidem, non tamen inutiliter præmittebam) cur cinnamomum etiam balsamo non præferant: siquidem *Odore hoc omnia vincit*, vt est apud auctorem libri simpl. Med. Odoro nempe grato, suauique: nam sexcenta penè sunt, quæ grauiùs, acutiùsque olent. Imò *Omnium rerum est odoratissimum*, vt ibidem scriptum est. Neque Galenus dissentit lib. de Ther. ad Pis. vbi cinnamomum habere ait *Odorem vehementer redolentem, Odoratuque suauissimum esse*; & lib. 1. de Antid. *Inexplicabilem præcteris bonum quendam odorem spirare*. Neque dicas odoratissimum esse non omnium odoratorum, sed aromatum tantùm, quia etiam balsamum ferè inter aromata censetur lib. VII. meth. cap. IV. Dicerem in re, difficili nodo implicata, cinnamomum olere suauissimè omnium, in Arabia patrio ferè solo nascentium, aromatum: non suauiùs balsamo, quod Galeno in Arabia fortè non nascitur. Dicerem, cinnamomum Galeno non alijs melùs redolere, nam vt *Diuersus est conuiuarum palatus*, ita olfatus diuersus. *Non enim idem odor gratus omnibus*, vt

An balsamum suauius ture, & myrrha?

Cinnamomi præstantia.

Cap. XII.

Balsamū aroma est.

Galenus explicatus.

Plautus,

Miranda olfatus diuersitas. ait Theophrastus lib. VI. de caus. Plantar. cap. V. Et alijs quidem alia iucundiùs odorant: ambra nonnullis alijs moschus, zibethum alijs, rosa, citrum, ieseminum, cætera. Imò aliqua sunt, quæ nonnullis benè quidem, alijs grauiter oleant. Noui pedissequum, qui a rosarum odore adeò abhorrebat, vt ijs animo deficeret. Iurisconsultum, qui *Fragarũ Arancio-rum Po-morum odium. Olei odium, & aliorum.* fragis æstuaret, exudaretque Barbitonsorem, malis arancijs. Auctor est Cromerus Vladislaum Iaiel. Poloniæ Regem pomorum odores ferre non potuisse: idem de Ioanne a Querceto Francisci I. Regis Galliarum a Secretis narrat Bruyerius. Hostius Comitem quendam olei communis odore in syncopen agi. Scaliger muscas sulphurem, serpentes galbanum, vngulæ mulinæ nidorem mures maximè odisse. Theophrastus a rosis cantharum, vultures ab vnguentis lædi, atque perimi. Verè igitur.

Petronius Arbit.

Non omnibus vnum est
Quod placet: hic spinas colligit ille rosas

Dicerem tertio cinnamomum lignum balsami ligno, non succo suauiùs olere, nam hic *Omnibus odoribus præfertur*, Plinio teste. Dicerem demum, vel dico potius, optimum cinnamomum *Inexplicabilem præ cæteris* suis speciebus, quarum sex meminit Galenus, *bonum quendam odorem spirare*. Quod si obiter dicta, indicta velis, libenter te dicentem audirem, neque enim *Narrabis asello fabellam surdo.*

Cinnamomi species sex.

Horatius.

Tus non suauius balsamo. De Ture autem, quod *Prora, & puppis est*, quid censendum? An balsamo suauius olere? Profectò, si oleret suauius, in condiendis vnguentis passim, & vulgo fuisset vsurpatum, cum magna vis eius vbique semper præsto fuerit.

Tus in vnguentum non vsurpatum. At apud Plinium, Theophrastum, Dioscoridem, Galenum, & alios, qui vnguenta condierunt, vel condita meminerunt, nunquam Tus video aut adhibitum, aut nominatum. Tempore, inquies, Athenæi in vnguentum

Quando primum vsurpatũ. vsurpatum. Vel ex hoc igitur coniectare licet, imò aper-

te

tè intelligere, vt nobis, ita etiam antiquis tus odore non fuisse nobile, neque enim tot sæculis ad Athenæum vsque vile iacuisset, & nunquam operarium.

Neque verò ab vnguentarijs neglectum fuit, quippe gummi, aut resina, quia & *Resina, & gummi adijciuntur ad continendum odorem in corpore* vnguenti, vt est apud Plinium lib. XIII. cap. I. *Resina cur vnguentis addita.*

Vnde firmare quis posset Brodæi coniecturam lib. IV. Miscellan. cap. V. vbi Ciceronis loco, Vnguenta *magis laudari, quæ terram, quam quæ crocum olere videantur*; pro *Terra* Ceram restituit: *Cera*, inquiens, *vnguentis addita, ne penitus diffluerent.* Sed hæc vt παρέργως hoc in loco, ita in alio fortasse diligentiùs, ac dedita opera, cum alterum Plinij locum e lib. XVII. cap. V. examinabimus. *Cicero 3. de Or. restitutus, cap. V.*

Accedit autem eò, quòd Plinius accuratè Tus describens, ac præcipuas omnes eius qualitates sedulò enarrans nullam odoris mentionem facit: Balsami verò cum meminit, *suauitatis eximiæ* esse ait. Imò verò antiqui omnes ac præsertim Poetæ, qui in epithetis multi esse solent, eaque morosè indagant, adhibentque ad fastidium vsque, quiduis aliud, quàm odorem, turi tribuunt. Tibullus *Pia tura* appellat. Statius *Eoum tus*, Virgilius *Masculatura*, & *Tus Panchaicum*. Ouidius *flauum tus* & *Votiua tura*. Propertius *Blandum tus*. Martialis *Pinguia tura* & *Exta tura* (*exta cruda* recte emendat noster Gronouius) Horatius, Cornel. Seuerus, Lucanus, Statius, & Seneca *Tura* sine epitheto. Propertium fortasse obijcies, qui lib. II. Eleg. XIX. tus *Rari* cognomento decorat: *Plin. lib. XII. cap. XIV.* *Tus odorem non laudatum.* *Turis epitheta.* *Turis epitheta.*

Atque ibi rara feres inculto tura sacello.

An *Rara*, quia quot mensibus adhiberetur? Tibullus, *Tus rarum dictum. Eruditio.*

At mihi contingat patrios celebrare penates,
Redereque antiquo mensirua tura Lari.

An potius, quia quotannis? vt est apud eundem,

Hic

bę, atq; appluda, & quibus ex arbore exsudans adhæresci, legeretur prius, quàm adhiberetur: ac propterea sine adspiratione scribendum apertè iubet Carisius lib. 1. Instit. cui assentitur perantiquus Tibulli Vaticanus codex, & celebratus ille Virgilij Carpensis, atque Scaliger De Causis, & Christianus Recmanus de Orig. Linguæ Latinæ. Iam si ἀπὸ τῦ θύειν deductum peruicaciter contendas, ego sanè *Non contendam nugis armatus*, neque *Rixabor de lana caprina*: sed tria moneam, primum vel eos, qui libentissime ἑλληνίζουσι, in hac deriuatione animo trepidare, & quasi incertos hæsitare, nam Xystus Betuleius ad Lactantium Firm. *Tus*, inquit, *nisi barbara vox sit à θύω deducere malim*. Alterum temerarium penè esse, à tot tantisque latinitatis auctoribus de latinitate dissentire: præsertim à Varrone, cui Cicero summa in Academicis, amplissimaque tribuit, quem πολυγραφώτατον in Epist. appellat, ac *Diligentissimum inuestigatorem antiquitatis in* Bruto: quem *Omnium facilè acutissimum*, & *sinè vlla dubitatione doctissimum*, ex Ciceróne Lactantius: *In litteris atq; vita hominem fide multa* A Gellius, *Romanorum eruditissimum* Quintilianus. Tertium esto à θύω, hoc est, à *sacrifico* tus deriuare: nego tamen suauiùs propterea balsamo redolere: nam, vt dicitur, *Nihil Graculo cum fidibus*. In sacrificijs autem adhibitum non *Idcirco, quòd odoratus habeat suaues, & narium commulceat sensum, reliqua verò sint aspera, & ob causam offensionis exclusa. Habent enim Dij nares, quibus ducant aereos spiritus? vt penetrare illos* (illas lego, licet Vrsinus, Helmenhostius, & Gelenius aliter sentiant, vnius litterulæ commutatione sententia clariore reddita) *possint nidorum differentium qualitates*? Sed quia præcæteris fumificum: nam etiam exiguum incensum in copiosum exhalat fumum, sursumque vna cum precibus ad cœlum liberrimè efferri videtur: vt propterea in Psalmo CXL. scriptum sit:

Horatius.

Varronis elogia.

lib. 1. c. vi. Instit. lib. xvii. c. xviii. lib. x. c. 1.

Tus insaccris cur adhibitum. Arnobius lib. vii.

Arnobius emendatus.

Tus maxime fumificum.

Di-

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: & à Tibullo lib. III. Eleg. III.

Quid prodest cælum votis implesse Neæra?
Blandaque cum multa tura dedisse prece?

ab Ouidio lib. VI. Metamor.

Turaque dant sanctis, & verba precantia flammis.

& lib. IX.

Tura dabat primis, & verba precantia flammis:

atque IV. de Ponto,

His ego do toties cum ture precantia verba.

ac tandem a Dione lib. XLI. *Ture accepto, precibusque eius rei ergo factis, ipsum tus, vt secum eas preces deferat, (ad ignem) proïciunt*. Itaque Tus Magorum apud Euangelistam aptiùs interprætatur a Riccardo Montagutio Tomo I. de Originibus Eccles. *Ardens oratio*, quàm ab Augustino, Ambrosio, & Petro Chrysostomo ipse Deus. Iam verò haud temerè negare possem, quia tus a θύειν deductum est, a sacrificare proinde deriuasse: θύειν *enim græcè idem atque* θυμιᾶσθαι. *Veteres græcè* θύειν *non pro sacrificare, sed* ἀντὶ τοῦ θυμιᾶν *ponebant*. Quare θύον *Græci vocant genus ligni odorati, a ture diuersum*, vt ex Dionysio docet Salmasius ad Solinum. Et Eustachius ad Homerum eandem significationem probans ait, *Apud Poetam* θύω *idem est ac* θυμιάω, hoc est, suffitum facio, fumum edo gratum, ingratumue, vt θυμιαμένω κέρατος cornu facto incensu, cornu ve suffitu apud Lucianum. Quauis igitur ratione turis etymologiam spectemus, intelligere non possumus, nec vllo suspicari modo, id suauitate odorum balsamum æquare, Quibus si addantur, quæ a Scaligero Exercit. CCIII. scripta sunt, res omnino palam erit: *Ipsi verò Dij tam placantur odoribus, quàm nidoribus*: & Exercit. CIV. *At odor diuina res est. Tam bonum, quàm malum intelligo. Suffitibus veteres profitebantur aeris, locorumque naturam aptam reddi ad numina suscipienda.*

Tus Magorum quid.

Θύειν quid significet.

Θύω quid Homero.

Odores in sacris & nidores adhibiti.

Ne-

Neque verò Arabia, vt aliqui opinantur viri docti, literisque mandarunt, Turis, præstantia eximioque eius odore dicta est *Felix Beata*, *Odorifera*, *Diues*. nam *Beata* quidem & *Felix* appellata tum comparatione cum Deserta, tum aliorum maximè aromatum copia, atque odoribus, *Quos creat plurimos*, quosque sola fert vberrimè, Beatè, ac Feliciter: vt propterea scriptum sit ab Andromaco apud Galenum: *Diuite felix rure Sabæus*: Aut certè *Illo situ felix*, nam quasi *Peninsula inter duo maria Rubrum*, *Persicumque procurrens quodam naturæ artificio ad similitudinem Italiæ mari circumfusa*, cœli, terræ, maris ingenti beneficio Beata & Felix est, verè εὐδαίμονας, atque ὀλβίους vt a Solino & Dionysio dicitur. *Felix* etiam *appellatur Arabia falsa, & ingrata cognominis*, *quæ hoc acceptum superis ferat*, *cum plus ex eo inferis debeat*. At verò *Beatam illam fecit hominum in morte luxuria*, *quæ Dijs intellexerat genita*, *adhibens vrendis defunctis*. Imò Seneca beatitudinem cinnamomo acceptam refert: is enim *Cinnamis syluas Arabum Beatas vidit* in Oedipo. *Odoriferam* autem appellatam esse non aut solo, aut præcipuo ture, sed sexcentis alijs, ture magis suauiusque redolentibus, quis dubitat? *Pastor odoris Arabs*, ait Propertius lib. III. & Tibul. lib. II.

Vrantur pia tura focis, *vrantur odores*,
Quos tener è terra Diuite mittit Arabs.

Adeò ferax est Arabia diuersarum rerum odoratarum, vt Strabo scripserit Sabæos odoribus stupefieri; vt feratur adagio Ἀραβικῶς ὄζειν, *Arabicè olere*; vtque Plinius maximè miretur, *Peregrinos ipsam* (Arabiam) *mirè odores*, *& ad exteros petere*. *Tanta mortalibus suarum rerum satietas est*, *alienarumque auiditas*. Vnde lucem non mediocrem haurire possumus, qua tenebras, Aristotelis loco ab Septalio obductas, expellamus. Ad secundum Problema lib. XII. hæc habet, alioqui doctissimus, mihique

Arabia cognominum non ex ture.

Arabia cur Beata, & Felix dicta, Plinius.

De Antidot.

Plin. lib. VI. cap. XXIIX.

Plinius lib. XII. cap. XIIX.

Arabia cur dicta odorifera

Arabia ferax odorum; Sabæi odoribus stupefacti.

Plin. lib. XII. cap. XVII.

eximia doctrina animo meo cariſſimus Ludouicus Septalius: *Sic Arabiam, & Lybiam ob exceſſum ſiccitatis vix odorata hoc in loco producere ſcribit* Ariſtoteles. Profectò præſtantiſſimus Commentator & a veritate aliena ſcribit, & Ariſtotelis ſententiæ, quam explicandam ſuſcepit, contraria. Aliena quidem a veritate, quia Arabiam odoratiſſima gignere, ſatis inter omnes conſtat, vel a nobis mox productis teſtimonijs. Contraria verò Ariſtotelis ſententiæ, quia hoc reuerà ſibi vult ibi Philoſophus, Ad odorem creandum calido, humidoque opus eſſe; calore quidem non exiguo, humido verò exiguo, ac moderato, vt enim plantæ humor in odorem temperetur, neceſſe eſt, vt & calor præpolleat, & humor vinci, ſubigi, & coqui commodè poſſit. Ex quo fit, vt in regione ſeptentrionali, vbi languet calor, humoreque abundat & affluit inodora ſint omnia, quæ ex terra naſcuntur. Neque verò exiſtimandum propterea eſt, humorem eſſe debere omnino exiguum, quia ſi talis ſit, exſucca erit terra, ab eaque nata arida, exiccataque, ac planè inepta, vt vaporem fundant odore ſuauem, neque enim a calore coquitur exiguus ille humor, ſed potius exuritur. Quarè in Africa, ſicca, exuccaque meridionali regione, quæ ex terra naſcuntur, inodora ſunt. Contra verò accidit in Arabia, quæ ad orientem ſolem vergit: ſuccoſa enim magis eſt & humecta, nam calor præpolens terram, moderato humore perfuſam, benè coquit & ſubigit, ex eaque nata in ſuauem odorem condit, ac temperat. Ne pigeat ergo, vt omnia tibi apertiora ſint, ipſum loquentem Philoſophum audire: *Etenim quæ parcè humida quendam in modum recaluerint, odorata reddũtur, humor enim coqui calore nimirum poteſt. Qua de cauſa totius quoque orbis terrarum quæ ad ſolem orientem ſpectant, odoratiora exurgunt, quàm quæ ad ſeptentrionem, & eorum ipſorum, quæ ad ortum plus vergunt, quàm quæ ad meridiem, eo*

quòd

Septalius reprahenſus.

Ariſtoteles explicatus.

Ad odorem qua requirantur.

Cur in ſeptentrione odores non gignantur.

Africa cur odorata non gignat.

Arabia cur odorata gignat.

Ariſtotelis ſententia de regionibus odoriferis.

quàd loca Syriæ, & Arabiæ pleniora sunt, atque terrenosiora. Africæ verò arenosa siticulosaque. Nec enim humorem nimium inesse oportet [concoqui namque nimius non potest] nec nullum, sic enim nullus vapor inde gigni potest. Aristoteles igitur scisungit, quod ad odores spectat, Arabiam a Lybia, quam Septalius coniungit; eamque *Odoriferam* esse ille scribit, quam hic inodoratam profitetur. Sed videor abripi ex philologicis ad physica, explicandæ causa Aristotelis sententiæ. Hactenus igitur hæc; ad Arabiam reuertamur: quæ nuncupata demum *Diues* est, quia Arabes *Commertijs student, aliena non emunt, vendunt sua*, non enim merces mercibus, sed auro commutant. Peculiariter verò *Siluis diuites* sunt Arabes, vt Solinus scribit; quod confirmare videtur Tibullus, *Odoratæ diues Arabs segetis*; & Apuleius, *Odorum diuites Arabas*: imò odoribus: vt propterea inter eos Plinius meritò scribat, *Sabæos esse ditissimos siluarum fertilitate odorifera*, & auctor Herculis furentis (quisquis is sit, Seneca, aliusue)

Septalius in quo dissentiat ab Arist.

Arabia cur diues nuncupata.

Solinus c. XXXVI.

Plin. lib. VI. cap. XXVIII.

Diues Sabais colligit truncis Arabs.

Trunci autem Sabæi maximè sunt balsami plantæ Martialis.

Martialis a Gronouio luxata.

Lapsa quod externis spirant opobalsama truncis.

sic enim legendum est ex doctissimi Gronouij emendatione: alioquin sententia inextricabilis esset, vt Gruterus fatetur. *Mare* etiam *diuites* sunt Arabes, eodem Solino teste: *Ex illo namque margaritas mittit* ad cæteras omnes regiones, quæ *Præcipuè laudantur*, vt auctor est Plinius, nam sicut

Solinus cap. XXXVI. Plin. lib. XXII. cap. XIIX.

Non omne mare generosa fertile testa,

Horatius.

ita non cuiusuis pretiosæ gemmæ. Demum *Auro, metallis, agrorum riguis, mellis, ceraque prouentu* maximè locupletes & opulenti habentur Arabes, si Plinio credimus.

Cæsius reprehenditur.

Cum igitur Arabia neq; ex Ture solo, neque præcipuè ex ture ea, vt Cesius ait, sibi nomina ascisçat, planè alienum est, quod inde intelligi posse nonnulli viri docti arbitrantur, Balsamo Tus odoris suauitate præstare.

Quæstio de Turis natale solo.

Antequam verò a ture discedamus, illud haud importunè de eius natale solo in quæstionem vocamus, *An in sola nascatur Arabia*, res est profectò difficillimo implicata nodo, quam nullus, quod ego sciam, explicare tentauit. Et quidem si Solino credimus, *Arabia sola tus mittit*: quod ipsum Plinius antea testatus fuerat his verbis: *Tura præter Arabiam nullis, ac ne Arabia quidem vniuersæ* natura largita est, sed ei solùm regioni, quam Sabæi incolunt, vt est apud Virgil. lib. 11. Georg.

Tus vbi nascatur Solino c. XXXVI.

India sola nigrum
Fert ebenum: solis est turea virga Sabæis.

De Petitione Consulatus.

Quis, obsecro, non crederet tantis viris, verbis tam apertis loquentibus? Sed opportunè mihi hæc perpendenti in mentem venit Ἐπιχαρακτὴρ *illud* apud Ciceronem, *neruos atque artus esse sapientiæ, non temerè credere*, nam Dioscorides, Strabo, & Statius (pares enim paribus oppono) contrarium profitentur, & Dioscorides quidem *Indicum* tus inquit, *siluescit, & colore liuet*: & Strabo *Tus optimum apud Persiam nasci* scribit lib. XVI. Statius IV. Siluarum I.

lib. 1. cap. xxx.

Prope finem.

Aut tus Niliacum, piperque seruant.

Niliacum quid In eleg. in Mæcenatis obitu.

Niliacum autem Ægyptium potius intelligiè, quàm natum in Prouincia illa Isidi contermina: vt idem *Pecus Niliacum*, Lucanus *Vrbs Niliaca*, C. Pedo Albinouanus *Niliacæ Carinæ*, P. Varro Atacinus *Niliaeus tumulus*, Martialis *Ora Niliaca*, *Acetum Niliacum*, *Feræ Niliacæ*, *Lens Niliaca*. Ijs verò accedunt recentiorum geographorum testimonia, præsertim Magini Tab. XXXII. *Ebenum quoque arborem, & ipsa* (India) *habet, & in præruptis petris arbores quidam tus exsudant*. Cardanus etiam lib.

In Tumulo Pompeiorum.

Tus in India nascitur.

VIII.

VIII. de Subtil. Tus in Aetiopia quoq; nasci scribit. Magna profectò auctorum discrepantia, vt iurè diceres, hi omnes velut *Sabini, quod volunt, sibi somniant*. Vt verò natus inde soluatur nodus, altero opus est Alexandro. Itaque ingenuus quisque hunc imitatus, affirmare posse videtur, eos, qui scribunt, in sola Arabia tus nasci, falsò scribere. Neque puderet candidum, ingenuumque id asserere: nam

Tus in Aetiopia nascitur.

Alexander gladio soluit nodum.

Non vnus aliquis scire natus omnia est;

Horatius.

& vt ait Poeta,

Quandoque bonus dormitat Homerus,

& sanè (de Plinio hoc dictum volo)

Opere in longo fas est obrepere somnum

Sed mitius agamus cum viris de re litteraria optimè meritis. Arabia sola tus *Abundè* mittit, quod suppetat vniuerso penè orbi (apud Sabæos enim turiferam siluam esse ferunt, quæ in longitudinem C. milliaria, in latitudinem L. pateat): cæteræ regiones, quæ turiferæ dicuntur à Strabone, Statio, & alijs, exiguum aliquod gignunt, quod vel non exportetur in exteras regiones, vel ne ipsis quidem abundè sufficiat. Exemplo rem persuadeo: *Viuit in Italia piperis arbor*, vt Plinius ait; & in Italia, Romæque Zibethum habemus: vtrumque tamen solam Asiam mittere, nemo est, qui negare audeat. Imò verò *Vixit in Lydia turis* ipsa arbor, eodem Plinio auctore: quia tamen exigua, & ferè nulla ibi copia, & in exteras regiones minimè exportanda, ideo iurè vel ab ipso Plinio dictum, *Tura præter Arabiam nullis* à natura dono data fuisse. Sed de turis natale solo hæc παρέργως dicta sint.

Quæstionis dissolutio.

Plinius.

Piper in Italia item Zibethum.

Tus in Lydia.

Iam de Myrrha dicendum aliquid: verè aliquid: nam plurima quid opus? Nullus enim ex antiquis, ex recentioribus nullus myrrham suauitate odorum æquauit balsamo, ne dum præposuit. Qui verò aiunt esse præponendam, nulla siue ratione, siue auctoritate fulcti, audiant illud

De myrrha.

Myrrha balsamo non præfert.

Lib. 11. de Or. Lib. 1. de Nat. Deor. lud Ciceronis, *Diogenes ait, Antipater negat. Non enim Tam auctoris in disputando, quàm rationis momenta quarenda sunt.*

Ars vnguentaria vnde dicatur. Μυρεψικὴ Vnguentaria, e Μύρρα deriuata, a viris doctis mihi non semel obiecta est: nam si myrrha nomen posuit arti, odoramenta condienti, eam esse omnium odoratissimam, aut certè odoratiorem balsamo, necesse putant. Sed μυρεψικὴ μῶρον potius, quàm μύρρα nomen videtur imposuisse. Μῶρον autem ita dictum, tradit Chrysippus apud Athenæum, *Quia* μετὰ πολλῆς μόχθου καὶ πόνου μάταιον γίνεται, *multo labore, & inani studio paratur.* Quòd si Chrysippum, vt bonum Stoicum, ita malum Grammaticum cum Casaubono esse velis, ac μῶρον, etiam à μύρρα deriuari contendas, peruicaciùs non recuso: nego tamen, myrrham propterea iucundiùs olere quouis balsamo. Neque enim Μυρεψικὴ; ideo à myrrha deducitur, quòd præ cæteris, hæc suauiter oleat, sed *Quia multa vnguenta conficiuntur ex myrrha*, vt est apud Athenæum lib. xv. Quod sanè magis copiam, aptamque materiam, quàm odoris præstantiam attestatur. Sic Βάλανος μυρεψικὴ *Glans vnguentaria* dicta est, non quia odoris suauitate præstet (nihil enim olet ignauius) sed quia materia est nata, apta, facta ad pleraque vnguenta condienda. Quarè myrrha sicuti non propter odoris præstantiam nomen posuit vnguentariæ; ita non propter nomen positum balsamo suauiùs olere censenda est. Reuerà autem Balsamum odoris suauitate myrrham antecellere, ex eo palam est, quod ipsam Stacten, quæ puriſſimus, ac pinguiſſimus est myrrhæ flos, longè præstet, vt mox probabo.

Chrysippus reprehenditur.

μυρεψικὴ ἐστὶ σμύρνης

Glans vnguentaria.

Balsamū myrrha suauius.

De Stacte.

De Stacte igitur differendum: differendum autem paulò accuratiùs, tum quia pauci, ijque exiliter de ea scripserunt; tum quia apud eos, à quibus scriptum est, summis difficillimisque nodis impedita videtur. Hæc igitur de Stacte examinare consilium est primum, *An ex myrrha lacryma fiat,*

fiat, an potius ex arbore sponte fluat: alterum, *Num etiam ex cinnamomo stillare possit*: tertium, *An benè oleat*: postremum *An melius balsamo*. Ordine, breuique singula percurramus.

Plinius lib. XII. cap. XV. stacten ex arbore spontè nasci, apertè scripsit reliquit: *Sudant autem sponte* (arbores) *priùs, quàm incidantur, stacten*. Plinium sequutus est Mercurialis, Bruoaldus, & Renodæus lib. 1. de Materia Medica: cuius hæc sunt verba: *Sed ante corticem ferro solutum* (arbor) *sponte, & sine plaga veluti cutis hiantibus poris, quasi saliuam quandam exudat, & stillaticium rorem, quem stacten nominant*. E contra verò Dioscoridi *Stacte vocatur pinguedo recentis myrrhæ, cum exigua aqua tusa, organo expressa*, vt est lib. 1. cap. LXII. quod ipsum Theophrastus antea lib. de Odor. postea Serapion, & plerique alij scripserunt. Qua quidem in re, eorum aliqui (præsertim verò Brodæus in Miscellaneis, & Salmasius in Plinianis Exercitationibus) Theophrasto, & Dioscoridi assentientes, Plinium erroris insimulant. Vt verò huius erroris culpam aliqua ex parte eluere possim, illud afferere non dubito, Stacten arte quidem fieri, ac simul naturâ nasci: siue naturâ natam arte perfici: fieri, inquam, ex ea myrrha, quæ sponte, non plaga, ex arbore manauit: tusa tamen aqua, aut (quod Theophrastus addit) oleo perfusa, instrumentoque expressa. Neque ineptè id mihi videor commentari: nam cum stacte purissimus sit, ac pinguissimus myrrhæ flos, suauitate præditus eximia, ex ea myrrha fiat, necesse est, quæ pinguior, odoratior, præstantiorque sit, quæque proinde sponte manet benè cocta subactaque; non verò plaga, & vi præpropere euocetur, vt Dioscorides haud obscurè docet lib. 1. cap. LXVII. Etenim ea, quæ ex vulnerata arbore fluunt, aquea magis sunt, minùs cocta, & odorata minùs: ea verò, quæ sponte sudat arbor, superuacaneo alimento, probè tamen cocto, turgescens,

Stacte vnde fiat Plinio.

Var. lect. libro V. cap. XXIV.

Ad Prop. tertium lib. 1. Sect. IX. cap. IV.

Stacte quid & vnde Dioscoridi. Lib. V. cap. VII.

Plinius accusatus.

Plinius defenditur.

Stacte vnde reuera nascatur

Stacte quid

E plaga fluentia minus odorata.

Spōte fluēntia magis odorata.

gescens, longè odoratiora sunt: quippe è mirabili illa naturæ officina non præmaturè, ac intempestiuè vulnere euocata, sed certo, constitutoque à natura tempore prodeuntia. Itaque Stacte verè ex arbore, vt ait Plinius sponte exsudat, extillatque: verè, quod Dioscorides addit, arte elaboratur, hoc est, perficitur. Quòd si quis, Scachum in Myrot: sequutus, duplicem esse stacten asseuerare voluerit, alteram Dioscoridis, e myrrha expressam; Plinij alteram, sponte fluentem; per me licet, non morosus recuso: sed vix crediderim, imò ne vix quidem, alterum alteram vel non cognouisse, vel cognitæ non meminisse: præsertim cum multas esse myrrhæ species pluribus tradiderint, & in recensendis aliorum de myrrha Stacteque opinionibus multi prolixique fuerint.

Plinius, & Dioscorides illustrati.

Stacte an duplex.

Altera quæstio.

Sed longè magis implicata est stactis natura atque ortus: nam Taubmannus in Curculione, Lambinus in Mostellaria, Brodæus in Miscellaneis rem magis magisque miscent, ac turbant: illius hæc sunt verba: *Stacte latex oleumve, e cinnamomo, & myrrha incisa fudans.* Sed, (eius pace dixerim) *Manifesta phrenitis*: nam è cinnamomo nasci stacten, non minùs alienum est, quàm *Ex boue agnum*, aut *E locusta ducam bouem*; adeò enim aridum est cinnamomum, vt *Succo careat, atque petra pumex*: aut certè, vt laticem illum pinguem, & succosum exudare non possit. Ex eius, inquies, radice aliqua laticis guttula extillare potest, Plinio auctore, qui scribit in Templo, Diuo Augusto à Coniuge in Palatio facto, cinnamomi radicem asseruatam fuisse, quæ quotannis aliquid humoris exudaret. Sanè, præterquam quòd id vtpote rarum à Plinio scriptum est, de radice non de caudice dictum videtur: nam illa humo diu obruta humescit longè facilius, quàm truncus naturà multo siccior, & maximè exsuccus, atque solis ardoribus in regione calidissima perpetuò obnoxius. Sed esto succosus, ac pinguis sit; stilletque ex eo latex oleumve;

Stacte vbifnae Taubmanno.

A, 1. s. 11. Horatius. Nauius ex Turnebo. Plautus.

Lib. XII. cap. XIX.

nego

negō tamen ſtacten, de qua loquimur, id eſſe: quam è ſola myrrha naſci, ſcribunt auctores veteres. Lambinus in Moſtellaria teſtem in hanc rem citat Theophraſtum ὧδε ἐσμῶν; Ἐκ κινναμώμου, καὶ ἐκ σμύρνης κεκοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ, καὶ τὸ δὲ καλεῖται, διότι κατὰ μικρὸν ἕζειν. *ideſt, ex cinnamomo, & ex ſmyrna contuſa, ſeu dum contunditur, oleum manat: ſtacte autem appellatur, quia paulatim, & guttatim fluit*: hæc Lambinus: qui exiſtimaſſe videtur, ex hoc Theophraſti loco intelligi poſſe, ſtacten è cinnamomo etiam ſtillare. Sed (non mentior) *ſunt apinæ tricæq;* nam quiduis aliud Theophraſtus ibi tradit: cuius mens, vt palam ſit, paulò altiùs eius verba ſunt repetenda, ex emendato ab Heinſio, ac Turnebo exemplari: Τὸ δ' Αἰγύπτιον ἐκ πλειόνων, ἐκ τε τῦ κιναμώμου, καὶ ἐκ [τῆς] σμύρνης καὶ ἐξ ἄλλων. Ἔ τι δ' ἐκ πλειόνων τοῦτο τὸ μεγαλεῖον; καὶ γὰρ ἐκ κιναμώμου καὶ ἐκ τῆς σμύρνης: κεκοπτομένης γὰρ ἔλαιον ῥεῖ: καὶτη γὰρ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν καζειν: quæ ita vertuntur à Turnebo, & Heinſio: *& ex multis Aegyptium, cinnamomo, myrrha, aliis: & porro pluribus megalion. Nam, & è cinnamomo. E lacryma, ſtacte: nam è myrrha tuſa fluit oleum, quod, quia minutatim ſtillat, ſtacte vocatur.* Profectò nihil obſcurius Latino hoc Theophraſto: vix, ac ne vix quidem ſententiam vllam hinc poſſum elicere, ſic igitur vertendum cenſeo: *Aegyptium autem ex pluribus (ſit) ex cinnamomo, & ex myrrha, & ex aliis. Adhuc ex pluribus quàm hoc megalium; namque ex cinnamomo, & ex myrrha: etenim ea tuſa oleum fluit: ſtacte enim vocatur, quòd parum ſtillat.* Quæ verſio, vt ipſis græcis verbis examuſſim reſpondet, ita eſque magis accomodata, ac planè perſpicua eſt; ita Lambinum, Taubmannum, alioſque de Stacte hallucinatos eſſe, apertè declarat. neque enim è cinnamomo ſtacten fluere, ait Theophraſtus, ſed è myrrha: e cinnamomo autem Ægyptium vnguentum, megaliumque componi. Sed hæc viderit, qui omnia videt,

Lambini ſententia refellitur. Martialis. Theophraſtus expenſus. Lambinus & Taubmannus reprehenſi.

Heinsius laudatus. Theoph. locum mendosum esse vnde coniiciatur.

politissimus Heinsius, cæterique criticæ familiæ: locus quidem mendosus esse omnino videtur: id quod tum ex alijs suspicari licet, tum ex eo apertè intelligere, quòd habeat, megalium ex pluribus, quàm ægyptium componi, pauciora tamen adiungat, vnam myrrham, & cinnamomum; *Alijs* relicto, quod ægyptio adscribitur, quodque inferiùs ipso etiam megalio.

Theophr. locus expenditur.

Nos verò, vlteriùs prouecti, perpendamus obscurum alium Theophrasti locum lib. IX. cap. IV. in quo vel Lynceum iure diceres incurrere, & offendere posse: τῆς γὰρ μύρρης δὲ ἡ μὲν στακτὴ, ἡ δὲ πλαστὴ. Salmasius ad Solinum hæc habet verba: *Illustris planè locus, sed cuius mentem doctissimos interpretes non vidisse palam est. Vertunt enim, Myrrha alia stillaticia, alia ficticia est: nugæ sunt; dicit omne tus ἄργον aduehi, natiuum scilicet, & quale ex arbore fluxit: e contra myrrham, ficticiam, nec, vt ex arbore manauit, importari: etiam huius myrrhæ, quæ affertur, aliam esse σακτὴν, aliam πλαστὴν: vtramque nempe curatione, & arte sic factam. Locus Theophrasti sic verti debuit; Tus omne iners aduehitur, & aspectu cortici simile est. Myrrhæ verò ficticiæ alia liquida affertur, alia dura. Ex myrrha contusa pars liquidior, quæ exprimebatur arte, vocata est σακτὴ: pars altera, quæ remanserat, vnde σακτὴ expressione liquata fuerat, dicta est πλαστὴ, quod in offas conuolueretur.* Cæterùm, vt liberè dicam, quod sentio, nec Salmasius, *Quem Minerua omnes artes edocuit*, cuiusque πολυμαθίαν admiratus semper fui, rem explicare videtur, sed longè potius implicare. Etenim illud primò quidem gratis, & sine vllo auctore veteri dictum est, Ficticiam solùm myrrham ex Arabia exportari, si enim ἄργος λιβανωτὸς, vt auctore Theophrasto Salmasius fatetur (nam is ait, ἄργος δὲ κομίζεται πᾶς ὁ λιβανωτὸς) cæteraque aromata, artificio minimè elaborata, sed qualia manant ex arbore ad nos aduehuntur; cur non etiam myrrha? Profectò Theophra-

Salmasius Theophrastum expendit.

Locus Theophr. à Salmasio latinè factus.

σακτὴ & πλαστὴ quid Salmasio.

Salmasij opinio examinatur.

Lib. IX. cap. IV.

phraſtus id nuſquam ſcripſit: noſque videmus eam, quæ inde aduehitur, myrrham verè ἄργον, nullaque penè arte elaboratam. Deinde vis quædam videtur Theophraſti verbis inferri, cum vertuntur, *Myrrhæ verò ficticiæ alia liquida affertur, alia dura*, non enim ἡ Ficticia eſt in textu græco, quæ myrrhæ copuletur, neque auctor ſolam ficiciam ait ad nos aduehi: ſed duplicem tantùm eſſe myrrham, duplicemue exportari, ἡ μὲν στακτὴ, ἡ δὲ πλαστὴ Demum nihil erat, quod ad nos aduehereturresidua pars expreſſæ myrrhæ, viribus iam effœta, & vnguentarijs æquè, ac medicis, alijſque inutilis. Non ergo id ſibi voluit Theophraſtus. Rem igitur obſcuram ſic illuſtrari poſſe exiſtimo. Tus ἄργον ad nos aduehi, tradit quidem Theophraſtus: non ita tamen ἄργον, vt omnem id artem reſpuerit: nam etſi *Solaturis arbor omnem penitus culturam aſpernari*, eodem auctore, *apta eſt*, tamen accomodatam, certamque inciſionem admittit, atq; adeò poſtulat, vt vberiùs faciliùſque inde lacryma effluere poſſit. Ex inciſione autem fit, vt manans gummeus humor formam quandam quà oblongam, quà rotundam induat, & in globulos fingatur, formeturque: id quod haud obſcurè traditum eſt, etiam à Theophraſto proximis his verbis: *Siquidem pro inciſura facta figura turis ſequatur, neceſſe eſt*. Imò verò *figurari in arbore poteſt, qua forma voueris*, eodem auctore. Itaque hac arte, aptæ nimirum inciſionis beneficio tus partim in oblongos, partim in verè rotundos globulos aliterque, vt libuit, efformatum atque confictum, verè πλαστὴ, licet ἄργος, aduehitur. At verò myrrha, non ſolùm (ait Theophraſtus) hac eadem arte in globos ficta, vt paſſim videmus; ſed etiam in ſtacten non mediocri artificio liquata, expreſſaque importatur. Duplex igitur eſt Theophraſto myrrhæ ſpecies, vna στακτὴ, quæ ſtillat expreſſione, alioque artificio; altera πλαστὴ, quæ nulla penè arte, ſed vna ferè corticis inciſione in eam for-

Theophr. locus expenditur.

Duplex tantum myrrhæ ſpecies.

Theophr. illuſtratur.

Turis natura.

Turis & myrrhæ forma ex inciſione.

Lib. IX. cap. IV.

Veræ ſpecies myrrhæ duæ.

Theophr. locus illustratus.

mam, vt ius, facta est. Itaque Theophrasti locus sic vertendus, si sententiam attendamus *Myrrha autem alia quidem liquida, alia verò dura*. Dura quidem non, vt Salmasius censet, residua expressæ stactis pars, in pastillos conuoluta: quia hæc pingue suaue, vtileque humore in stacten liquato planè effœta, nullo fuisset vsui, nulloque ad nos exportanda modo: sed ξηρὸς, & qualis ex arbore fluxerat. Iam si verba simul sententiamque spectemus, apti⁹ fortasse sic Theophrasti locum vertemus: *Myrrha autem alia quidem stactæ, alia verò plastæ*: huius nominis significatione ex nostra explicatione sumpta. Audeo verò πλαστὴν ciuitate Rom. donare, ταχτὴν ductus exemplo: nam vt olim huic verbo, aut aptitudine, congruentiaque maiori, aut latinæ vocis caritate ius Latij datum fuit, ita πλαστὴ ijsdem de causis dare possumus: præsertim cum nonnisi verborum circuitu vtriusque significationem latinè reddere possimus.

Alia verò aptior.

Anima-duersio.

Sed longiùs præteruecti videmur, quàm instituta de Odoribus disceptatio postulet. ergo

Horatius.

Nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos.

Quæstio III.

An stacte bene oleat, tertio loco positum in quæstione à nobis est. Nonnulli viri docti eam grauiter olere censent, aut certè suauem nullum spirare odorem: idque ex eo, quòd Serapion, Brasauola, & Mathiolus idem esse stacten, ac styracem liquidum, scriptum reliquerint: quem profectò suauiter non olere, imò olere grauiter, acuteque; ab oluisse testimonium sumunt. Sed satis mirari non possum doctorum hominum ingenium, adeò promptum faciliaque, vt rem, à veritate alienam, tanquam veram explorataque asseuerare non dubitent. Neque possum non laudare Io. Renodæum, qui *stacten styracem liquidum non dici*, imò *Styracem liquidum dari nullum, aut, si detur*,

Stacte & Styrax idem Brasauolæ.

Renodæus laudatur

Digitized by Google

tur, stacten non esse, fusissimè demonstrasse profitetur lib. 1. sect. IX. cap. III. & IV. An, inquies, vnus Renodæus nouitius auctor Brasauolo, & alijs antiquioribus præponendus? Quidni? Nonne *Posteriores curæ sapientiores?* Nonne *Quod postremum Populus Romanus iussit id iustissimumque?* Nempe, si Liuio credimus. Sed illud oppidò de Renodæo affirmare non dubito, eum in gummi, & resinarum natura per se obscura illustranda; in explicanda specie per se implicata, mirificum fuisse: nam quod inchoauerat Siluius, & veluti leuidensam texere cœperat, perfecit Renodæus atque expoliuit. At missum facio Renodæum; rem ipsam attendamus: in qua illud satis inter omnes constat, Stacten purissimam esse myrrhæ partem, & florem pinguissimum, artificio è cœnosis partibus excerptum: ac proinde longè pluris, quàm myrrha, veneat necesse est. At styrax liquidus multò minoris venit, quàm myrrha, vt quiuis apud mercatores exploratum habet. Non igitur fieri potest, vt styrax liquidus idem sit, ac stactea myrrha. Cæterùm stacte (quæcunque tandē ea sit: nihil enim id miror) odorata est, immo *Odoratissima*, Serapione ipso teste: odore quidem grato, ac suaui, non graui & acuto, cum enim fiat ex myrrha, liquore perfusa, macerataque, vt acutissimè oleat, fieri non potest: acutie, si quæ inerat, ablutione, maceratione, expressioneque retusa, & in suauem odorem temperata. Verè itaque stacta benè suauiterque olet. Imò adeò suauiter, vt Plautus in Curcul. per antonomasim eam vsurpauerit,

Nam omnium vnguentorum odor præ tuo nausea est.
Tu mihi stacte

& in Mostell.

Vim vnguenta? Quid opus est?
Cum stacta accumbo.

Liuius lib. VII.

Stacten non esse stiracem liquidā.

Stacte odoratissimā.

Qui verò putant, stactam idem esse, ac styrax liquidus, velim, vt cum hoc in conuiuijs accumberent: præ-

fectò

fectò impranſi, incænatique diſcederent, & a graui eius odore victi faterentur omnes, longè aliam eſſe ſtyracis ſtactæq; naturam.

Item (vt tandem vltimam de Stacte quæſtionem definiam) hanc balſamo ſuauius non redolere, quanquam ex ijs, quæ ſcripta ſunt, liquidò conſtat, tamen illud meo quidem iudicio argumento eſt firmiſſimo grauiſſimoque, ac planè expedito, quòd auctores omnes tum antiqui, tum recentiores, qui balſamum ſtactenque tractarunt primas balſami Odori tribuant; a quorum ſententia hac in re ne tranſuerſum quidem vnguem nobis recedere licet, quòd cum neque balſamum neque ſtacte nobis præſto ſit odoranda, in eorum verba iurare cogimur, qui vtrumque tractarunt.

Eos verò in teſtimonium non cito, non ſolùm quòd omnibus ſunt obuiam, & a me ſuperiùs plerique producti;

P. Mantius lib. de legibus Rom. *Sed etiam quòd exemplis referta narratio dignitatem non habet putidæ potius cuiuſdam diligẽtiæ ineptaque ambitionis ſpeciem quandam præſefert.*

Quæſtio vel potius Paradoxum At verò longè difficilior, vtiliorque, atque iucundior nos manet tractanda quæſtio, *An balſamum ſuauius oleat noſtri temporis odoribus Ambra, Moſco, Zibetho.* Quæ ſanè quæſtio antiquorum vnguenta poſtliminio, vnguentarios ab inferis reuocare videtur, nam difficillimum eſt, de ijs iam præteritis conijcere, quæ ſenſu potius, quàm ratione extimantur. Nos verò etſi paradoxa loquuturi videmur, tamen ingenua quadam, & ni fallor, ingenioſa

Comparatio balſami & ambræ. coniectura ducti, veritatem ipſam fortaſſe loquemur. Dupliciter autem Balſamum, & Ambra in quæſtionem veniunt (quod de ambra dico, de moſcho & zibetho ferè dictum volo) vel pura ſimpliciaque, vel miſta & in vnguentum redacta. Solitarijs inter ſeſe collatis, balſamum iucundiorem quauis ambra odorem ſpirare, nullus dubito, ſenſu ductus, ſi non meo, certè antiquorum, recentio-

tiorumque, qui *non obesæ*, sed *emunctæ naris sunt*, qui ambram simplicem haud suauiter olere, testatur apertissimè. Balsamum vero purum, ac solitarium *Eximij odoris esse*, tum sexcenti alij, tum maximè Alpinus, multorum dux, & auctor probatus, atque adeò non oculatus modò, sed nasutus etiam testis vbique profitetur, nam is opobalsamum nascens vidit; natum adultumque contrectauit, olfecit, penitusque explorauit, atque *suaui fragrantia* præditum, vt dixi, profitetur. Itaque solitarium balsamum ambræ solitariæ suauitate odorum omnino præstat: quod ipsum inferius palam erit, & clarius in luce omnium. *In dialogode balsa.* *Balsamũ suauius ambra.*

Conferamus modò balsamum cum ambra, moscho, & zibetho, in vnguentum compositis. Quod nam, inquies, melius olet, balsamum, an ambracum vnguentum? Sinè vnguento lubens primas defero. Sed longè impar vtriusque ratio est: compositum composito conferendum, simplex simplici, non simplex, composito. In quo sanè peccant plerique, qui simplex solitariumque balsamum cum ambra composita conferentes, tragoedias excitant de suauitate ambræ, & ignauo, vt aiunt, balsami odore. *Balsamũ cum ambra comparatum* *Recentiores reprehensi.* *Altera quæstio de ambra.*

Itaque perueſtigandum est & accuratius subodorandum *An ambra composita composito balsamo oleat suauius*. Profectò vnguentaria, apud priscos diligentissimè culta, ac perfecta, obsoleuit: nec artem callemus balsami, cinnamomi, stactes, aliusue benè olentis miscendi, non callemus δόσιν, quæ caput est in vnguento componendo: neque præsto nobis sunt ea germana, ac sincera. Si verò licet ex simplicibus (quid enim id prohibet) compositum conijcere, incertus non hæreo, cuinam magis tribuam, e balsamo, an ex ambra condito vnguento. Cum enim simplex balsamum, vt probatum est, melius oleat simplici ambra, compositum ex arte olere suauius, verò simile est. Neque enim vnquam crediderim, balsami suauitatem δόσις *quantum conducat* *Vnguentum ex balsamo suauius ambra ceo.*

sem cum suauitate cinnamomi, similiumque mistam obsolescere & interire, cum odor mistione fiat a natura, auctore Theophr. lib. VI. cap. III. & XXI. & ab arte suauius mixtione condiatur, eodem cap. XXV. experimentoq; testibus, ars enim eò spectat, vt odores perficiat; totaque est in suauitate simplicium temperanda, augendaque. Ergo vt ignauus ambræ odor acuitur a zibetho, & suauissimus excitetur; ita balsami perficitur a cinnamomo, & in suauiorem temperatur fragrantiam. Illud tamen monuerim, veteres peritissimos vnguentarios cinnamomum verbi causa non rude, vt rudes fortasse aliqui & qui *Mentem & iecur habent anseris*, existimant, sed varia multiplicique arte elaboratum, in vnguentum condiendum vsurpasse: qua ratione suauissimè redolere, quiuis intelligere potest, qui vel simplici ebullitione in æneo vase, quod Tamborlanum appellant, vulgare cinnamomum, quod multò minùs suaue est, elaborandum committat, latex enim inde (sicuti etiam e quouis alio, citro, anisо, garyophyllo) olei speciem referens, adeò suauis elicitur, vt saccharo conditus, formatusque in globulos quamlibet ambram, & moschum suauitate vel æquet, vel præstet. Bone Deus, Mansus oreque mollitus quàm suauem spirat halitum? quàm iucundum, & cordi amicum? quàm gratum naribus & palato? Itaque verendum non est, quin ex optimo balsamo, cinnamomo vero & exquisito, cæterisque talibus suaui odore præditis conditum ex arte odoramentum, æquè suauiter oleat, atque ex ambra, moscho, zibetho. Imò verò si hæc in vnguentum compolita benè olent, quamuis neutrum simplex benè oleat; non est, cur dubitemus, quin ex cypero etiam, calamo, iunco, citro, ireo ne dum ex balsamo, & cinnamomo, stacte, ac similibus igne aliouc artificio vnguentum non condiatur suauissimum. Sola, credo, nos deficit aut germanorum aromatum copia, aut vetus vnguentaria, quæ odoramenta

Odor mistione fit.

Artis finis in vnguentorū compositione.

Athenæus

Oleū cinnamomi suauissimum.

Pastili ex oleo cinnamomi, & saccharo.

ad

ad summam vsque suauitatem condiebat. Reuerà enim arte opus est accurata varia, & recondita, apposita *δόσει*, certaue singulorũ portione, aut casu, aut longa annorũ serie inuenta, & sexcentis experimentis comprobata. Id apertè intelligimus non solùm ex Theophrasto & Amaraco illo, Regio vnguentario, *Qui casu lapsus, dum ferret vnguenta: maiorem ex confusione creauit odorem*; sed etiam ex nostratibus vnguentarijs, quorum ij censentur præstantiores, qui non plus ambræ in vnguentis adhibeant, sed qui aptiùs eam cum cæteris miscent. Sic sensu indice intelligimus, pelles Hispanas, saturatas illas quidem ambra, odoris tamen suauitate nostratis non præstare, pauciori ambra, præstantiori arte infectis. Quid enim (obsecro) iucundius odorari potest nostris pellibus, iesemino, & vnguento ambraceo oblitis? Quid suauius odoramento, ex ambra zibetho & succo limonis certa quadam ratione condito? Quid æquè fragrans, atque moschus, rosarum aqua mollitus, & vini laticis, qui aqua vitis vulgò appellatur, momento ex arte perfusus? Ex arte, inquam, quia reuerà nihil est, quod ad odoramenta condienda magis conducat, quàm certa simplicium portio. Etenim vt

Humor alit segetem, segeti contrarius humor;

ita latex hic vini, & mirè acuit temperatq; molchum, certa quadam portione mistus; & maximè obest eius suauitati immodicus, atque intemperatus.

Sed heus tu? inquies: caue longiùs ab Lyceo, & Academia in Vnguentariam aberres; vel potius erres. *Totum* inquit Aristoteles, *quippiam est a partibus diuersum*: non ergo ex suauitate balsami, cinnamomi, ac similium coniectare licet compositi ex ijs vnguenti suauitatem. Imò verò licet: sic enim scimus, ex ambra & zibetho, minimè ex se suauiter olentibus, vnguentum compositum iucundissimè olere: quod sanè comprobat, *Totum quippiam esse*

Seruius ad Virgilium 1 Æneid.

Odorata pelles ex ambra & iesemino.

Ad odoramenta quid necessarium. Virgilius in Catalect.

Obiectio.

a partibus diuersum. At verò non dubito, quin ex suauibus partibus suauius vnguentum condiatur, quàm ex partibus multò minùs suauibus. Ergo vero similius est, vnguentum, ex balsamo compositum, ex cinnamomo, aut similibus, igne sedula que arte elaboratis, iucundius esse vnguento ex ambra, & zibetho: cum ea solitaria his simplicibus, ac puris iucundius oleant.

Comparatio vnguenti e balsamo & ex ambra.

Cæterùm instituta de Odoribus quæstio non sola ratiocinatione, non syllogismis, aut solis auctorum placitis tractanda est. Odores sensui patent, æquissimo, acerrimoque eorum censori, ergo sensu iudice, ac duce experimento de ijs differendum iurè censeo, neque enim *Mihi neutiquam eor consentit cum oculis*, cum naribus, cum cæteris sensibus, cum sciam, neque rationem a sensibus abhorere.

Quæstio de odoribus ad sensum refertur. Ennius.

neque sensus posse refelli
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis.

Lucretius.

Et ego quidem ea, qua maxima potui diligentia præstantissimos nostri temporis odores, Ambram, Moschum, Zibethum examinaui, contrectaui, syncera, mistaq: inter se se contuli, atq; tandem peritissimis vnguentarijs in consilium adhibitis, experimento comperi, Zibethum acutissimum quidem esse, narespue ferire, ac percellere; insuauetamen, graueque, ac *fricatione* tantùm benè odoratum, ex ijs enim videtur esse, quæ *Confricata solùm & permota reddunt odorem* suauem, vt scribit Theophrast. lib. VI. de caus. plant. cap. XII. non enim quodlibet odoratum qualibet ratione olet: nam aliqua, vt tus, igne olenti aliqua, vt flores, igne odorem amittunt; aliqua mensa dentibusque contrita, vt rancida caro; alia alio modo, vt Cardanus ait de Rerum Varietate. Illud verò de Zibetho satis inter peritos vnguentarios constat, quò purius ideſt atque sincerius, eò acutiùs, ingratiusq; olere, at verò fricatum

Ambra Moschus Zibethũ examinantur. Zibethi natura.

Odoratorum diuersa natura. zibethũ purissimum ingratum.

tum acutissimum quidem odorem spirare; non tamen aut gratum, aut suauem, nisi multo transacto tempore, aut lota illita manu, nam acutissimi illi spiritus, vehemensque eius qualitas vel tempore, vel loci interuallo, vel aqua demum abstergente opus habet, vt ad gratam mediocritatem retundantur, ac temperentur. Ex quibus vel obiter intelligere possumus, non ex eo Zibethum, longè dissitum, suauius olere, *Quòd odor*, vt ait Arist. & Theophr. *ad locum remotiorem purus, sincerusque deferatur*: sed potius e contrariò, quòd minùs sincerus aerique magis permistus effundatur, diffusus enim longè latèque obtunditur zibethi odor, & abolita vehementia, dissipatisque spiritibus, qui acerrimo impetu sensum feriebant, suauis temperatur. Nec existimandum est, ad locum remotiorem ideo purum sincerumque deferri, quòd loci interuallo fœdas quasdam exuat partes, quibus indutus grauiter oleret, quas enim partes comminisci in Zibetho possumus quibus ingratum expiret odorem? Hebetatur potius, ac restinguitur, aut certè diffunditur dissipaturque eius spiritus interiecto loci spatio, qui coactus antea atq; conglobatus odoratum insuauiter feriebat. Immo si quid iniucundum deponit in aere odor Zibethi, per quod iucundus longè dissitus sentiatur; necesse est, vt putrescentis canis odor, qui prope ignauus, ac ferè nullus est, distans verò grauissimus, ac teterrimus, partes exuat suaues, ac benè olentes, quibus, e putrido cane expirans, mistus, ac temperatus, hebes & ignauus fit. At quas partes suaues, insuaues, fœdasque demulcentes, in teterrimo canis odore fingere audemus? Quarè neq; in Zibetho ingratæ, neque gratæ in cane putrido partes insunt, quæ interuallo aboleantur: sed hæ pingues nimis, & crassæ spatio extenuantur: illæ coactæ, & conglobatæ effunduntur, e dissipantur: omnes redduntur aptiores, vt sua quæque vi sensum afficiant.

Theofrastus, & Aristot. examinantur lib. VI. de caus. Plant. cap. XXV. lib. XII. Probl. 13.

Obiectio.

Canis putridi odor examinatur.

Cur zibethi & canis odore liquinquè sentiatur illa suauis hæc teterrima.

Mihi verò hæc scribenti peropportunè adfuit ipsa Zibethi felis, Bononia Romam ab Eminentiss. Cardinali Sacchetto Eminentiss. Cardinali Antonio dono adsportata. Huic duo insunt inter anum, & vuluam, castaneæ, & figuræ & magnitudinis, tubercula, (testes, an glandulas dixeris, nihil moror) quæ inuicem adhæresc unt, & introrsum recedentia latent, ea verò parte, qua vuluam & anum pertingunt, digitis apprænensa, ac leuiter pressa promptè foris extuberant, & explicantur, pilis nudata. Mox subalbum crassiusculum, ac pinguem exudant humorem, in nigrum iam vergentem: acutissimum illum quidem, & nares (nisi omnino obæsas, & mucosas) grauiter, insuauiterque ferientem. Mihi sanè, qui odoratu sagacissimo (vitio ne dicam, an beneficio, incertus) præditus sum omnino insuauis est, grauis, acutieque molestus fricatus verò atque identidem refricatus processu temporis suauiter olet. Sanè manus, quam nudius tertius illitam, ipsisque testibus humore madidis affricatam, grauiter odoratus fui, suauiter nunc olet. Ergo verè *Sunt quæ in posterum diem melius olent*, vt est apud Theophrastum Cęterùm

Zibethũ accuratò describitur.

Zibethi color varius.

Zibethi odor varius.

Petronius Arbit.

Fallunt, inquies, *nos oculi, vagique sensus.*
Oppressa ratione, mentiuntur.

Fallunt mehercule, & mentiuntur, non inficior:

Nam turris prope, quæ quadrata surgit,
Attritis procul angulis rotatur:

atque odoratus æger maleolentibus non fastidit,

Petronius

Et marcens casiam frequenter odit.

At nullus dubito, quin sanoolfatui zibethum ita prorsus redoleat. Neque verò putes, quod vulgo omnibus persuasum est, hunc humorem animal ira incensum exudare: (licet iratum vberiùs exudet) nam sponte is, in testibus turgescens, plerunque manat, ipse quidem vidi, ab humoris acrimonia vellicatam felem affricare humo testes

Zibethũ vnde, & quo modo fluat.

eximiumque, sibi tamen vellicatu molestum, absterge-re zibethum.

Narrauit etiam mihi tum is, qui eam felem curat, tum alius, qui alteras quinque ex Oriente Romam asportauit, sibique tum eorum vnicuique pecuniam soluenti facta videndi copia; tum emuncto e testibus zibetho victum multos iam menses Romæ quærit: retulit, inquam, vterque animal, nisi certis quibusdam, ac definitis diebus testibus abradatur humor, nates exertosque ipsos testes, titillante sensum humoris acrimonia, septis lingueis, in quibus concluſum est, affricare, eaque copioso inficere zibetho, quod quidem collectum, licet admistis tenuissimis pilis magis vergat ad nigrum, eadem tamen odoris insuauitate, acutieque vix ferenda nares ferit, ac vellicat. *Romæ frequentes zibethi feles.*

De moscho autem illud experimento compertum habeo, simplicem, atq; sincerum, exquisitumque vehementer quidem, sed malè, aut certè non benè, suauiterque olere, si enim in pixide asseruatum moschum olfeceris, ingratam molestamque acutiem senties: si verò eius partem inde sumptam odoraberis, vix quicquam senties, quod nares oblectet, si demum liquore mollitum frices, benè olere percipies; non tamen suauissimè. At verò Ambra ignaua planè est pura, ac solitaria: quam cum optimam odoratus fueris, vix dicere audeas, quid verè spiret: certè affirmare vel iuratus quisque poterit, summam fragrantiam, quam aliqui prædicant, non spirare. *Moschus examinatur.* *Ambra examinatur.*

Hinc factum esse opinor, vt veteres eam, atque adeò zibethum, & moschum neglexerint. Neque enim existimandum est, vt aliqui falsò existimasse videntur, hæc pura, syncera que antiquitùs non fuisse, sed non secus ac opere aliquo, & artificio facta, nostris temporibus in vniuersitatem rerum emanasse. Etenim ambra, siue sit balenæ semen, vt nonnulli arbitrati sunt, siue stercus quarundam auium, odoriferis herbis educatarum, in scopulis ag-

Cur veteres ambrã bonã vsurparint in vnguenta. *Ambra moschus zibethũ antiquitus cognita*

gluti-

Ambra vnde nascatur.

glutinatum; siue fungi cuiusdam marini species, e fundo, vbi nascitur, agitatione maris eruta, siue, quod Renodæo placet, sit bituminis quoddam genus, e maris alueo procellarum vi in littus eiectum nunquam profectò non fuit alienum enim est existimare, hanc speciem nuper in rerum vniuersitate natam esse, & e naturæ gremio productam, & balena quidem naturæ vi ducitur, euomitque naturæ impetu: Aues illæ naturali necessitati obedientes, egerunt non ex consilio, sed naturæ ipsius habitu. Fungus demum ac bitumen, si tale quipiam ambra est orbis primordio vna cum cæteris rerum speciebus genita fuisse, nemo est adeò peregrinus & aduena in philosophia, qui nesciat. Itaque quicquid tandem ambra sit, semper fuerit necesse est. Idem de Moscho, de Zibetho idem censendum est: ea namque animantia nunquam non fuerunt in vniuersitate rerum. Et moscho quidem animali fuit semper à natura insitum, vt, cum ageretur venere, ac libidine turgeret, eius abdomini adnasceretur vomica, quæ pressa, diuque lapidibus affricata, rumperetur, saniemque ex se promeret odoratam, quam moschum appellamus. Catus demum zibethi, orbis primordio natus vnà cum cæteris animantium speciebus, suaueolentem humorem, præsertim iratus, ac percitus, naturà exudauit. Itaque verendum non est, quin hæc omnia odoramenta semper fuerint in vniuersitate rerum: in vsu autem non posita, sola artis ignoratione. *Non enim omnia possumus omnes*: atque, vt ait Comicus, *Vsus, res, ætas semper aliquid apportant noui*. Enim verò quemadmodum Bombardam, Tubum opticum, Horologium, aliaque non pauca nostra patruumque ætas inuenit, ita etiam artem ea, per se minimè suauia, in suaue vnguentum condiendi. Exempli causa, duodecim partes ambræ, quatuor moschi optimi, & vna circiter selectissimi zibethi: vel decem partes ambræ, tres zibethi, & succi limonis exiguum (è peri-

Ambram semper fuisse probatur.

Ambram Moschum zibethum semper fuisse.

Cur moschus, & zibethum antiquitus non adhibita.

Odoramenta recentiorum componendi ratio.

tio-

tioribus id promo vnguentariæ ſecretis) vnguentum ſanè condies, quod pellibus affricatum, incredibilem ſpiret odorum ſuauitatem. *Sunt namque*, ait Theophraſt. *quæ miſturam deſiderant ad acquirendam ſuauitatem*.

Lib. vi. de Cauſ. Plant. cap. xxv.

Quorſum, inquies, tam multa? Vt intelligas, vulgum non benè agere cum balſamo, cæteriſque antiquis odoramentis, quæ ideo floci facit tanquam non ſuauiter olentia, quòd vel ſimplicia, vel non ex arte compoſita, non æquè ſuauiter oleant, atque vnguentum eſt ambra, moſcho, & zibetho conditum. Vt intelligas, nec falſa de balſamo, nec pugnantia [quod omnes opinantur] veteres, & maximè Plinium, loquutos, cum ſcripſerunt, illud eſſe *Suauiſſimum*, *infricando odoratum*, *Acutiſſimum*, *Auſterum*. Idem namque zibethum *Acutiſſimum* eſt, *Auſterum* quodammodò; ac propterea ferè etiam graue, ingratumque. *Suaue* tamen, ſi optimè *Fricetur*. Etenim vis illa, qua præditum eſt, vehemens, & acutiſſima vnita quidem compactaque, *Auſtera* eſt, & ingrata, grauiſque: *Fricatione* verò diffuſis diſſipatiſque ſpiritibus, in *Suauem* temperatur odorem. Vt demum intelligas, balſamum dignum eſſe, quod non ſolùm conferatur, ſed longè præferatur ambræ. Intelliges profectò, ſi animum ad ea, quæ hactenus à me dicta ſunt, poſteaque dicenda, experimento duce, diligenter aduertas.

Recentiores reprehenſi.

Plinius defenſus, & explicatus.

Balſami natura enucleatur.

Balſamū præferendum Ambræ.

Sed, obſecro te Lector, ſecedamus paulò interiùs in antiquorum Vnguentariam (nam in recentiorum aliàs ſecedemus, eaque præcipuè afferemus in medium, quæ ab Illuſtriſſimo omni rerum naturalium ſcientia, omnique eruditione, Caſſiano Equite à Puteo mihi ſuppeditata fuerunt), ac ne graue ſit, non graues eius odores animo ſaltem ſubodorare. Spero fore, vt te non peniteat, tantiſper ijs operam locaſſe. *Rhodinum Phaſeli*, *quam gloriam abſtulerat Prænefte*, *Neapolis*, *Capua*, ſtatim offendemus, vnguentum ſuaue, Plinio teſte: deinde *Cyprium* in Cypro,

Antiquorum vnguenta afferuntur.

Eques a Puteo commendatur.

Petulantia populorum.

Præneſtini olim nobiliſſimi vnguentarij.

pro, & mox in Ægypto non vulgare artificio compositum: *Crocinum* Ciliciæ, *Telinum* Syriæ, *Liliaceum* Æginæ, *Amaracinum*, & *Melinum* in Coo, *Oenantium* Adramyttei, *Panathenaicum* Athenæ, *Pardalium* in Tarso: præterea *Anthinum*, *Barbarium*, *Cedrinum*, *Foliatum* Galeni; *Telinum* Isidori, *Pisticum* Anastasij Bibliot. *Crocinum* Dioscoridis, *Acanapum* Luciani, *Brenthium* Clementis Alexand. *Metalleum* Hesychij, *Bacchanim* Sophoclis, *Regium* Cratis, *Psagden* Aristophanis, *Pangonium* Palomenis, aut certè Plangonis, *Nardinum* Menandri, *Sagdam* Epilici, *Aegyptium* Achæi, cæteraque sexcenta adeò suauia, *Vt transeunte fœmina, odor inuitet etiam aliud agentes*. Adeò suauia acutaque, vt *L. Plotium*, *L. Planci bis Consulis Censorisue fratrem proscriptum à Triumuiris in Salernitana latebra vnguenti odore proditum constet*. Adeò demum suauia, vt

Terras odor simul atque cœlum peruaderet;

vtque ea

Cum olfacies, Deos rogabis,
Totum vt te faciant, Fabule, nasum.

Sed video te hærentem, Lector; aut certè hæsurum præuideo, an hæc vnguenta tam grata fuerint, vt cum nostris ambraceis comparari possint: nam eorum compositio suspicionem facit non mediocrem: aliqua enim adhibentur vel inodora, vel etiam grauiter olentia. Cæterùm vt rem, quæ multorum torsit ingenia, quæque plurimis persuasit, vilia fuisse, & grauia antiquorum vnguenta, exploratam habemus, multa sunt animaduertenda. Primò non omnia vnguentorum genera ad delicias tantùm, & luxus composita fuisse, sed pleraque etiam ad sanitatem: quod vel ex Pomponio Iureconsulto, non minùs antiquitate, quàm doctrina clarissimo, liquidò constat: is enim lib. xxxiv. titulo 11. Pandect. hæc habet: *Vnguentis legatis, non tantùm ea legata videntur, quibus vngimur voluptatis causa, sed*

Vnguenta peculiaria auctorum.

Plin. lib. XIII. cap. III.

Valerius li. VI. cap. VIII.

Solinus c. IIL.

Catullus.

Multa digna quæ animaduertantur.

Primò a-nimadu.

Nō omnia vnguenta ad deli-

sed etiam valetudinis: qualia sunt Comagena, Glaucina, Crina, Rosa, Mura, Colum, Nardum purum: vbi libet adnotare, malè Guid. Pancirolum in Thesauro Var. Lect. pro *Mura*, *Myrrha* restituere: nam aliud est mura, aut murra, seu, vt verius dicam murrha; aliud myrrha. Ex ambobus quidem odoramentum componitur, sed tamen diuersum ex ambobus: ex myrrha liquidum, ex murrha siccum longè faciliùs: nam hæc lapis est, odoris præstantia nobilis, apud Parthos ex humore natus, calore Solis sub terra concreto: ex quo contrito odoramentum componitur διάπασμα nuncupatum. Neque verò quispiam suspicetur, idem esse murrham, ac myrrham mutua persuasus vocalium V, & Y, apud Latinos commutatione, vt est apud Ciceronem in Oratore: vbi *Purrhus*, & *Pyrrhus* legitur: seu, vt emendat Victorius XIV. Variarum III. Burrhus, & Byrrhus; non solùm V, pro Y, sed B, pro P, vsurpato (quam emendationem firmatam obseruo ab antiquo lapide, apud Castilionæum lib. *Gallorum Insubrum Antiquæ sedes*, vbi incisum est P. PLINIVS BVRRVS) non, inquam, sibi quisquam persuadeat, ex earum vocalium vicissitudine, idem esse murrham, & myrrham; quia etsi non rarò diuersa scribendi ratio diuersam rem non designat; tamen in myrrha, & murrha rem planè aliam, imò verò contrariam significat; cum illa lapis sit, hæc gummeus humor. Itaque apud Pomponium murrham lapidem, non myrrham gummeum succum, puto intelligendam; tum quia, vt criticos monet Lipsius, Malaspina, & Schottus, in emendandis libris quò minùs recedimus à vulgata lectione, eò præstantior est emendatio; tum quia Florentini codices, omnium nobilissimi, murrham potius, quàm myrrham innuere videntur, cum apertè *Mura* habeant. Iam (eò redeo, vnde discessi) quæ valetudinis, non odoris, ac deliciarum causa condita fuerunt vnguenta, suauem spirasse odorem, necesse non

Pancirolus notatur.

Murrha quid.

Diapasma quid.

Critica animadu.

Victorij emendatio fulcitur.

Pomponius I.C. emendatus.

Secundò animad. fuit. Deinde, & illud animaduersione dignum est, vnguenta omnis generis hominibus vsurpata, nobilibus, ac plebeis, diuitibus, & pauperibus, ergo non omnia eximia, ac præstantissima. Præterea diuersis partibus adhibita, naribus, capillis, manibus, pedibus, cæterisque. Non igitur verisimile est, omnia fuisse vniusmodi, sed alia alijs magis minusue suauia. Quartò perpendendum est, incondiendis odoramentis adhibita fuisse aliqua, vel inodora, vel ingratè, acutèque olentia, vt cætera suauitate præditа quasi torpescentia, ac sepulta excitent, atque acuant: est enim longo experimento, aut casu compertum, vt quædam etiam iucundè olentia odoratis gratiam concilient. Sic aquis florum aranciorum, & rosarum myrthi aqua addi solet ab ijs, qui suaue illud odoramentum, *Acqua d'Angeli* vulgo appellatum, condiunt. Sic moscho, & aquæ rosaceæ vini latex igne extractus. Imò verò interdum adduntur aliqua verè putida, grauiterque olentia, quæ miram conciliant fragrantiam. Quis enim crederet, effœtum iam moschum, ac temporis diuturnitate confectum, aut situ etiam, & mucore inquinatum, grauiterque proinde redolentem, ab fetido excremento acui excitari, & in pristinum suauemque odorem vindicari? Panno vrina leuiter perfuso exceptus moschus, iam effœtus mucidusue, ita natiuum resumit, recuperatque odorem, vt vel emunctæ, vel mucosæ naris quisque fateretur præstantissimum eum esse, nuper ex ipsa animalis vomica promptum. Vnde quinto loco animaduertendum est, nonnulla apud antiquos suauia dicta esse, non quia ex se suauia sint, sed quia alijs mista suauitatem pariant. Qua quidem in re illud animaduertendum est (lumen id quidem omnibus præfert, qui in libris antiquorum de rebus odoratis versantur) εὐοσμιὰ, καὶ εὐοδμὶα, & εὐοσμία, καὶ εὐοδμία, ἡ εὐωδία, hoc est, vt interpretantur, benè olens, fragrans, suaue; & bonus odor, fragrantia, suauitas, non semper diçun-

Tertiò animadu.

Quartò animadu.

Putida etiã conciliant suauem odorem.

Quintò animadu.

Notatu digna.

Animaduersione digna.

dicuntur comparatione cum benè odorato, bonoque odore, vt εὔοσμος sit, quod inter benè odorata optimo odore fragrantiaque excelli; sed multoties distinctione à graue olente, & fœtore. Itaque εὔοσμος, & εὐοσμία non addunt odori præstantiam, nec suauitatis, & fragrantiæ, vt vocant, gradum præseferunt; sed intentionem solùm, & acutiem. Apertè intelligere id possumus ex Dioscoride, qui turi nullam tribuit odoris suauitatem, cortici verò, qui multò minùs suauis est, defert εὐοσμίαν: *Cæteri*, inquit, *cortices suffiti non ardent, sed sine odore fumum exhalant: turis verò cortex accenditur*, & μετ' εὐωδίας ἐκθυμιᾶται: vbi animum aduertere oportet, etsi Ruellius vertit, *Cum odoris fragrantia vaporem eiaculatur*; & Marcellus Virgilius, *Cum suauitate odoris ardet*; tamen caue putes, Dioscoridem scripsisse, turis corticem incensum, suauem, ac sensui periucundum, vereque fragrantem odorem spirare. Non enim εὐωδία idem est apud Græcos, quod apud Latinos fragrantia. Apud hos quidē fragrantia, & suauitas præstantiam odoris excellentiāq; significat, atq; adeò absolutā generis perfectionem. Εὐωδία verò apud illos, etsi non rarò fragrantiam, sæpè tamen, aut solùm bonū odorem, aut odoris intentionem, & vehementiam designat.

εὐοσμία quidque nera.

Lib. 1. c. lxxi.

Tus non suaue. Notatu digna.

Theophrastus id ipsum declarat lib. 1. de Hist. Plant. cap. xix. vbi loquens de succorum, odorumque, differentia, ait Apium, & Anethum εὐωδίαν præstare: quæ non fragrantiam aut suaueolentiam significat, vt malè interprætes arbitrantur, sed solum odorem (bonum) aut acutiem vehementiamque odoris. Quotus enim quisque est, cui in mentem venire possit, veteres eo præditos fuisse odoratu, vt apio & anetho, tanquam fragranti suauique odoramento oblectarentur? An Theophrastum, & Dioscoridem obesæ omnino, & mucosæ naris fuisse, censendum est? Itaque longè aptius, & auctoris sententiæ accomodatiùs ea verba superiùs scripta, Διαφέρει δὲ καὶ πᾶς

Theophrasto lux data.

Theophrasti male interpretes.

Apium latinè fœtet.

τῶν ἐυόδμων οἷον ἀνήθου, καὶ ἄρτου, vertuntur ab eodem interprete, *Odore præterea diffiant* (succi) *vt anethi*, *cedrulæ*, Odore, non fragrantia. Hæc ideo meum lectorem monui, vt nè vulgo hominum assentiatur, qui existimant, apud veteres suauia, & fragrantia, vel ea habita fuisse, quæ nobis acutè solùm vehementiusque oleant. Sapientissimi enim antiquorum Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, emunctissimæque naris homines probè norunt, *Quid differt acra lupinis*: quæque *Oboleant allium*, *hæram*, *suem*, *capram commixtam*. Demum notare oportet, odoramentorum eam esse conditionem, vt a simplicium dosi, atque etiam ab alio interdum minùs odorato vim accipiant, ac suauitatem. Sic odoramentum, Romanum vulgo appellatum, a quadam herbula, ex se minimè olente, in arcanis tamen a peritissimo vnguentario habita, suauitatem mutuatur non mediocrem. Hæc, Lector, si diligenter animaduertas, tibi, vt aliquibus, mirum non videbitur, si aliqua antiquorum vnguenta suauissimum non spirauerint odorem: si alia nonnulla galbanum, terebinthum, melilotum, fœnum græcum, & alia huiusmodi non respuant, quæ aut nihil, aut non benè oleant.

Vulgus hominum reprehenditur.

Sextò animaduertendum.

Odoramentum Romanum.

Iam ea odoramenta, quæ ex suauissimis condita fuerunt, suauissima fuisse, non solùm intelligere possumus ex partibus componentibus, odorum suauitate præditis: sed etiam ex eo, quòd vnguentaria a priscis vsque temporibus ad collapsam Romanam potentiam perenne summoque studio exculta, & aucta, ad summum atque omni genere perfectum peruenerit. Nam licet Plinius Iliacis temporibus eam non fuisse, circa Darij Regis ætatem innotuisse scribat; tamen longè antiquiorem esse, multa sunt, quæ conuincunt. Et primo quidem mitto Hippocratem, qui Dario ætate maior [natus enim Hippocrates fuit Olymp. Lxxx. V.C. an. ccxcii. Darius verò, bello victus ab Alexan-

Antiquorum vnguentorum suauitas ostenditur.

Plinius reprehenditur.

Hippocrates quando natus.

xandro, occubuit Olymp. cxii. V.C. anno circiter cccc l.) libro, Medicus inscripto, odorum meminit. Mitto Anacreontem Hippocrate vetustiorem, in suis Epigramm. vnguenta commemorantem. Mitto Xenophanem & Hippoc. & Anacreonte ætate maiorem, qui sæpe apud Athenæum lib. xi. eorundem meminit. Mitto Ennium, qui de Tarquinio Rege loquens ait, *Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.* Mitto Archilogum, qui Romuli ætate floruit, *Primusque omnium voce Μύρον vsus est*, auctore Athenæo lib. xv. Mitto Solonem, qui Athenienſibus vnguenta lege interdixit. Mitto demum Alcæum, qui Tullij Regis ætate vixit; Ariſtippum, qui Artaxerſis Perſarum Regis; Ariſtophanem, Heſychium, Empedoclem, cæteroſque huius & antiquioris ætatis, Rege Dario longè maiores, qui odoramentorum meminerunt: e ſacris libris intelligimus, *Aſam Regem mortuum, in lecto, vnguentis meretricijs pleno, collocatum eſſe.* Atque adeò *Iudith facie vnguento delibuta, perrexiſſe ad Oloſernem.* Imò verò *Aaron vnguentum capiti affundere ſolitus erat quod in barbam deſcenderet.* Quinimo ipſis Iliacis temporibus vnguenta odorata in vſu fuiſſe poſita, liquet ex Homero Iliad. viii. loquens enim de Iaſone, *Vnxerunt*, inquit, *pingui oleo, diuino, ſuaui, quod ei odorem ſpirabat.* Olei autem nomine μύρου intelligit: quæ vox ab Archilogo, Homero iuniore, inuenta fuit. Vnde Athenæus lib. xv. Ἔλαια, *olea adiecto epitheto vt Roſaceo, inunxit oleo Diuino, parato e floribus &c.* appellata ab Homero fuerunt vnguenta odorata. Immo *Roſaceum Homero fuiſſe cognitum, ex eo conijcimus argumento, quod* ῥόδινον ἔλαιον *Hectoris cadauer obunxerat*, vt ſcribit Pierius Valer. libro LV. Hieroglyph. Atque tandem multò ante Regis Darij ſcrinium ab Alexandro in expugnatis caſtris repertum, *Cambyſis perſarum Rex miſit ad Regem Aethiopiæ alabaſtrum vnguenti.* Cum igitur, vt eò, vnde aberraui, quaſi

Vnguentorum antiquitas.

Solon lege vnguenta prohibuit.

Vnguentorum antiquitas.

Olei nomine quid.

Roſaceum Homero cognitum.

Plinius.

Venus

c lon-

e longo diuerticulo redeam, ab antiquissimis vsque temporibus Vnguentaria coli diligentiùs ceperit, verisimile est ad postremam Imperatorum luxuriosam ætatem perductam, planè excelluisse, vnguentaque proinde ex suauissimis aromatibus suauissima composuisse.

Varius vnguentorũ vsus. Id ipsum coniectare licet ex vario vsu, partibusque varijs, quibus ea affricabantur, etenim capillos obliniri consueuisse, liquet ex Iuuenali, Persio, Ouidio, Propertio, Horatio, Martiali, Tibullo, Petronio, Archestrato, & Seneca in Tryeste.

Omnibus partibus vnguenta adhibita.

Vernæ capiti fluxere rosæ,
Pingui madidus crinis amomo.

atque ex Cicerone de Chrysogono Sillæ liberto: *ipse verò quemadmodum composito, & delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterua togatorum, videtis, Iudices.* Quid? eò perductus est vnguentorum luxus, vt non solùm capilli, facies, nares, manus, cæteræque nobiles partes, quas, patientiæ lectoris consulens, veterum testimonijs non comprobo, vnguentis oblinirentur: sed ipsi etiam pedes, vt auctor est Athenæus lib. XII. Dipnosoph. Quid? non solùm vestes, lecti, domus, parietes, solia militaria signa vnguentis inficiebantur; sed ipsæ ferè matulæ, vt scriptum est à Clemente Alexand. lib. II. Pedag. Non solùm externo luxui vsurpata fuerunt vnguenta, sed cibis etiam potioribusque mista, vt ex Aristotele constat lib. de sensu & sensili, Plauto in Milite, Horatio, Martiali, Athenæo, cæteris. Non solùm tot sæculis a tot populis, Lydis, Pergamenis, Ephesijs, Ionibus, Cilicibus, Rhodijs, Cyprijs, Phœnicibus, Syris, Persis, Aegyptijs, Tarsis, Sidonijs, Capuanis, Prænestinis, alijsque multis, qui vnguentorum arte laudeque floruerunt, fœminæ præsertim contentæ non fuerunt vnguentis ad summam suauitatem conditis; sed etiam *In dies ab eis noua excogitata fuerunt, vt inexplebilem cupiditatem boni odo-*

Pro Sex. Roscio.

Vnguentorũ luxus.

Qui populi vnguẽtariam excoluerint.

Fœminarum luxus.

ris

ris insatiabilitate explerent, vt est apud Clementem Alexandr. loco nuper laudato. Non solùm viuis, sed mortuis etiam affricabantur vnguenta, vt auctor est Alexander ab Alexand. Genial. lib. III. cap. VII. Gutherius De Manium Iure, Kirchmanus De Funeribus Roman., Reuardus, Coluius, cæteri. Non solùm homines, sed Dij etiam videntur quodammodò vnguenta vsurpasse: nam *Sophocles poeta in Cretensibus Venerem Deam vnguento perfusam fingit: Palladem verò, cuius nomine mentem prudentiamque intelligimus, oleo perungi, & exerceri.* Sed quid multis opus est? non modò rebus quibuslibet, non viuis modò, non modò mortuis, neque Dijs tantùm adhibita *Vnguenta*, sed etiam *instar aquæ affundebantur, omniaque irrigabantur*, vt auctor est Plutar. in Problem. Itaque mirum non est, *P. Licinium Crassum, & L. Iulium Cæsarem Censores*, immoderatum vnguentorum vsum coercentes *Edixisse, ne quis venderet vnguenta exotica*. Exotica autem sunt preciosa, vt ex Plauto liquet in Mostell.

Mortuis adhibita vnguenta

Athenæus lib. XV.

Vnguenta Romæ prohibita.

Non omnes possunt olere vnguenta exotica.

ac propterea *nonnisi dissolutis, & amatoribus conuenire*; iurè scribit Io. Sanesberiensis lib. VIII. Ex quibus emendare licet Lucilij locum apud Nonium: *Vnguentum exoticum attuli*: exoticum legendum, vix dubito: hoc est, Peregrinum, ac preciosum. Nec mirum est, Lycurgum (redeo enim eò, vndè eruditionis causa paululum diuerti) atque Lacedæmonios vrbe vnguentarios expulisse; Athenienses, Solonis legem obseruantes, vnguenta vetasse; Socratem demum acriter inuectum in sui temporis lasciuiam, vnguentorumque luxum detestatum, dixisse, *Viros solùm probitatem olere debuisse*.

Lucilius emendatus.

Sparta, & Athenis vnguenta prohibita.

Virorum odor probitas.

Si ergo ars vnguentaria tanto luxui, tot sæculis, a tot tantisque populis vsurpata fuit, planè excultam, perfectamque fuisse, necesse est: adeò vt verendum non sit, quin verè

verè suauia iucundaque condita fuerint vnguenta, abunde ex Arabia, & aliunde suppeditatis Balsamo benè odoratorum principe (nam.

Propertius. *Natura hic posuit, quidquid vbique fuit.*

Casia, Citro, Stacte, Cinnamomo, Styrace, Iesemino, Rosa, Cipero, Iunco, cæteris sexcentis.

His paucis, Lector, prolusisse libuit (nec enim

Rutilius Itiner. lib. 11. *Iure suo poterat longior esse liber*)

& quasi ludicra, e philologico penu deprompta, nunc præmisisse.

Virgilius in Calice. *Posteriùs grauiore sono tibi Musa loquetur*
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, Nominum, & Verborum memorabilium.

A

A Bacos Insula pag. 383.
Aborigines Italiæ primi Incolæ pag. 5. primum in Montanis vicatim habitauerunt pag. 10.
Abrogatio Legum pag. 346.
Acilia Lex, quam mitissimam Cicero vocat pag. 283.
Achrisij Sepulcrum pag. 358.
Adriani Moles pag. 410.
Aediles cur alternis Annis ex plebe fiebant, postea promiscuè pag. 177.
Aelia Lex pag. 187. & seq.
Aemilia Lex pag. 172.
Aemilius Probus Græcorum Ducum Vitam conscripsit pag. 473. & 521.
Aequicolæ pag. 46.
Aerarium in Saturni, Opisq. Templo pag. 336.
Agathius scripsit stylo tenui, & confuso pag. 479. & 546.
Agrariæ Leges, & à quo prolatæ pag. 211. & seq.
Albani Montis Caucasi incolæ defunctorum curam nullam habuisse traditur pag. 399.
Alciatus doctissimus, & elegantissimus Vir pag. 458.
Alica frumenti species pag. 80.
Alista Aboriginum Metropolis obsessa, & diruta pag. 45.

Altaria portatilia, & quadrata Ansæ pag. 18.
Ambrosius, & Ambrosiana Ecclesia pag. 125.
Americus Vespucius, cui primùm America innotuit p. 136.
Ammianus Marcellinus Græcus miles Historiam Romanam scribere aggressus est pag. 477. & 538.
Amiterni origo incerta pag. 14.
Amiternum Vestinorum Regia pag. 5.
Anastasius Bibliothecarius planè barbaro stylo, sed optima fide Historiam conscripsit pag. 481. & 540.
Antia Lex pag. 172.
Antius Restio Legislator pag. 254.
Antonia Lex. pag. 230. & 272.
Antonius Augustinus pag. 302.
M. Antonius Caymus pag. 302.
Antonius Galesius pag. 302.
Andreas Lauretanus Antiquitatis benè peritus pag. 249.
Appianus scriptor mendax pag. 221.
Appianus Alexandrinus Historias Romanas prosecutus est pag. 473. & 519.
Apennius dicitur ab Apio pag. 21.
Apollinis Ludi pag. 164.
Appuleia Lex pag. 271.
Aprutium pro Aprustio pag. 74.
Aqua Craniana vbi pag. 35.
Aquæ Sextiæ, ac vnde Nomen obtinuerunt pag. 73.
Aquillia Lex pag. 315.
Arabia cur dicatur felix, beata, odorifera &c. p. 647. & seq.
Arachnes contendens cum Minerua pag. 86.
Argiuorum ex Græcis funera pag. 394.
Ariminum pag. 75.
Arachæi Xerxis Præfecti Monumentum pag. 409.
Assyrij cera, & melle mortuos condiunt pag. 386.
Aterina, seu Ateria Lex pag. 249.
Atinia Lex pag. 245. & seq.

Aucu-

Auentinum de Remi Sepulchro Remuria dicebatur p. 42.
Augures, & eorum auctoritas pag. 345.
Augusti Cæsaris Monumentum pag. 410.
Auia Sedes pag. 65.
Auianum, seu Apianum Vicus infrà Apia conditus p. 21.
Auium cantus, vel volatus obseruabatur pag. 330.
Aurelia Lex pag. 229. & 231.

B

BActriani, & Hyrcani ætate confectos canibus obijciebant pag. 398.
Balsami odor pag. 637. ejus natura pag. 669.
Balsamum an suauius oleat Ambra, Mosco, Zibeto pag. 660. præferendum Ambræ pag. 669.
Baebia Lex pag. 172.
Beda Annalium Scriptor pag. 480. & 548.
Beneuentum pag. 72.
Bithyniam Populo R. Rex Nicomedes testamento reliquit pag. 202.
Bondelmontius pag. 129.
Brachimanæ apud Indos mirabiliter mortem contemnunt pag. 391.

C

CAEcia Vicus vnde Nomen Cæciliæ Gentis factum est pag. 13.
Cadauer vnde dicatur pag. 368.
Caij Filij coronati floribus pag. 9.
Caius Marius Lege Domitia factus augur pag. 158.
Calpar vinarium Vas vndè dictum pag. 15.
Calpurnia Lex pag. 172. & 308.

Camerſolis longa poſt ſæcula Cluſium nuncupata p. 98.
Camillus dictator controuerſias inter Patres, Plebemq; ſedauit pag. 175.
Carolus Magnus Longobardos debellauit pag. 116.
Carolus Sygonius magnæ doctrinæ Vir, & ingenio præditus eximio pag. 187.
Caſpij ſeptuagenarios fame necant pag. 397.
Caſſia Lex pag. 195. & 198.
Caſſianus à Puteo pag. 669.
Caſſius Viſcellinus primus omnium promulgauit leges agrarias pag. 211. Filium damnauit, verberibuſq; affectum necari iuſſit pag. 212.
Catanei, qui pag. 129.
Cecilia Didia Lex, & à quo lata pag. 243.
Cenotaphium honorarium tumulum pag. 377.
Cecropis Sepulchrum vbi pag. 358. eiuſdem mos inſtitutus terra humandi cadauera pag. 392.
Charon Nauta pag. 383.
Cartago, & Numantia per Scipionem, & L. Mummium deuictæ pag. 201. vnde Scipio cognomen Africani, Mummius Achaici retulerunt pag. 201.
Cincia Lex aduerſus auaritiam pag. 251. De donis, & muneribus pag. 324.
Cinnamomi odor redolens pag. 641. oleum 661.
Ciſtæ ad ſuffragia cuſtodienda pag. 332.
Claudia Gens vnde originem traxerit, ac alia ejuſdem pag. 63 64.
Clodia Lex pag. 316.
P. Clodius Trib. Pleb. cui nihil in tota vita modeſtiæ fuit pag. 261.
Cœlia Lex pag. 195. & 196.
Coloniæ ex Aboriginibus, & Veſtinis. pag. 17.
Columna in Sepulcro, ſupra quam imago defuncti. pag. 35.
Comminia Familia vnde dicta. pag. 53.

Digitized by Google

Commini vnde appellati. pag. 85.
Comitialis morbus vnde dictus. pag. 198.
Coniſſa Vrbs à Conitio. pag. 87.
Conium Vicus. pag. 58. & 59.
Conuiuia in funeribus. pag. 367.
Coragium pro virginali Sepulchro. pag. 370.
Cornelia Lex pag. 166. & 172. quam tulit L. Syla Dictator pag. 206.
Cornelia Lex pag. 216. 254. 316. De Sicarijs, & veneficis pag. 289.
Cornelius Tacitus optimus Hiſtoricus. pag. 471. & 511.
Corſica victa, ac Prouincia facta à C. Papirio Maſſone Conſule. pag. 199.
Coſmus Magnus Dux. pag. 137.
Cottæ Lex. pag. 230.
Cotila Aboriginum Vrbs expugnata. pag. 47.
Coty la Inſula innatans. pag. 18. 19. 20.
Crana cur Venus dicta. pag. 16.
Cranius Mons appellatur à Crania. pag. 21.
Cranus, & Crana, pag. 6. & 7.
Cranuus Mons, qui & Sicanius, demùm Canius appellatus eſt. pag. 13.
Creditoribus apud Ægyptios in pignus dabantur parentum corpora. pag. 384.
Cremandi corpora conſuetudo vſque ad Antoninos Imperatores. pag. 372.
Creſtones Thraciæ Populi vxorem mactatam cum viro ſepelire moris eſt. pag. 400.
Creta à Q. Metello debellata. pag. 202.
Crimina capitalia. pag. 265. & ſeq.
Cryptæ ſubterraneæ. pag. 360.
Curetes iuxta Tiberim Palatium deduxere Coloniam. pag. 30.
Curetes, ac Curetum nomen, ritus &c. pag. 50. 51. & 55.

Idæi,

Idæi, Dattyli, Cobyri, & Corybates appellati. pag. 51.
Curiata Lex admodum vetus. pag. 206. vbi, & quomodo ferebatur. pag. 207.
Curiæ ex Populo in xxx. partes diuiso. pag. 155.
Cyprus vltima stante Republica in Prouinciæ formam redacta. pag. 202.
Cyri Regis Sepulchrum. pag. 409.

D

DAemones Oraculorum causae. pag. 617.
Dantes Casellam virtutis ergo, dilexit. pag. 96.
Dardanus in Samothraciam fugit, & latuit. pag. 43.
Decoctores. pag. 165.
Decoctoribus certus locus Lege Roscia constitutus. p. 165.
Denicales Feriæ. pag. 378.
Derbices eos, qui septuagesimum Annum excessissent jugulabant. pag. 397.
Didia Lex. pag. 172.
Digitus defuncto incidebatur. pag. 373.
Diodorus Siculus Bibliothecam Historicam indidit. pag. 469. & 496.
Dion Cassius rerum Romanarum Scriptor. pag. 474. & 525.
Dionysius Halicarnassæus, cuius extant Libri decem. pag. 469. & 498.
Duumuiri. pag. 167.

E

EBurnia Regio, quæ vulgò Terra laboris, seu Campania felix ab agri vbertate. pag. 80.
Ecclesia Florentina. pag. 121.

Digitized by Google

Ephron qua de causa Ephran appellatus. pag. 365.
Episcopus Prætores creabat per Annum. pag. 116.
Essedones Scythiæ Populi parentum funera cantibus læti prosequi dicuntur. pag. 398.
Etuli Danubij accolæ senes, & morbo malè agentes pugione conficiebant. pag. 398.
Euerriator, qui accepta hæreditate iusta facere defuncto debet. pag. 371.
Exilium, & exilij duo genera. pag. 259.

F

FAbia Lex. pag. 251.
Fabricius de veneficio condemnatus. pag. 258.
Faesulani à Fescenninis. pag. 99.
Faesulanus situs, & Faesularum origo. pag. 101.
Falcidia Lex. pag. 216.
Fannia Lex pag. 165. quando lata pag. 253.
Februa à Romanis Mense Februario Diti Patri celebrabantur. pag. 379.
Feciales, & Feciale Ius. pag. 46.
Ferdinandus Mediceæ culmen gloriæ. pag. 137.
Feriæ Denicales. pag. 378.
Fidius Mons. pag. 68.
Firmum à Firma gente. pag. 69.
Flauia Lex. pag. 314.
Flauiorum Domus. pag. 121.
Flauius Eutropius Historiam Romanam breuiter persequutus est. pag. 477. & 537.
Flauius Vopiscus sub Diocletiano, & Maximiano Scriptor. pag. 476. & 532.
Florentia creuit sub Othone adaucta agro ampliore, & iurisdictione. pag. 117.

Florentinus ad congerendam pecuniam natus. pag. 126.
Fluentini pro Florentini, pag. 109.
Fœneratores pejores habiti, quàm fures. pag. 243.
Furia Lex. pag. 216. 245. & seq.
Fusia Lex pag. 187. & seq. ac pag. 192. & 245.

G

GAbinia Lex. pag. 195.
Gallia Cisalpina quando Provincia facta. pag. 201.
Gallicanus Imperatorum Vitas scripsit pag. 477. & 534.
Gallorum Antiquorum in sepeliendis, cremandisque cadaueribus ritus, pag. 401.
Gaspar Contarenus in omni genere vitæ admirabilis, & eximius. pag. 149. & 150.
Gentius Illyriorum Rex cũ fratre coniuge, & liberis ante currum triumphalem L. Anicij ducti. pag. 201.
Germanorum Funera. pag. 402.
Gracchus Legem tulerat, vt equites Rom. judicarent. pag. 219.
Griphonij benignè ab Aurano suscepti. pag. 7.
Guidus Pancirolus notatur. pag. 671.

H

HEinsius laudatus. pag. 656.
Helenes Memorabile Monumentum. pag. 409.
Henricus Imperator contra Florentinos agrum vastat. pag. 118.
Herodianus Historiam Romanam Principum sui temporis confecit pag. 474. & 527.
Horatia Lex. pag. 172.

Digitized by Google

Horæ, quibus agi cum populo posset. pag. 342.

I

IAcobus Chizola. pag. 302.
Ianigenæ qui fuerint pag. 6. priores in Italia. pag. 7.
Iani aduentus in Italiam pag. 6.
Ianus Italiæ cultor. pag. 5. & 6.
Iapigia vbi. pag. 79.
Idolatria in plùs quàm trecentum sectas diuisa. pag. 620.
Ilicet, quod est quasi licet. pag. 374.
Indorum multiplex, & varia sepeliendi consuetudo. p. 389.
Illyricum, & Dalmatiam L. Anicius Prætor debellauit, & vnam Prouinciam fecit. pag. 201.
Imella Fluuius. pag. 26.
Incestus graue crimen. pag. 269.
Indigetes. pag. 10.
Iornandus Gothus omnium tẽporum Chronicon scripsit. pag. 480. & 546.
Iouis Clusij Templum. pag. 105.
Italia brachium dextrum Europæ pag. 6. Virtutis nusquam oblita pag. 40. ex Græco vocabulo appellata. pag. 250.
Iudæorum consuetudo corpora condendi. pag. 402.
Iulia Lex. pag. 172. 230. 246. & seq. 289.
Iulius Capitolinus omnium Principum Romanorum vitas conscripsit. pag. 475. & 528.
Iulius Cæsar belli Gallici, & Pompei Libros scripsit. pag. 468. & 491.
Iulius Frontinus Stratagemata conscripsit p. 472 & 514.
Iunia Lex. pag. 216.
Iunia Licinia Lex quando, à quo, cur, & quando lata. pag. 243. & 244.

Ius omne, aut à Natura est, aut à consuetudine, aut à Legibus. pag. 151.
Ius Ducum, & Regum denominare, & imponere noua Gentibus nomina. pag. 75.
Ius Sepulchrorum. pag. 363.
Iustinus Trogi Pompei Librorum Epitomen conscripsit. pag. 474. & 524.

K

KAlendarium pro Libro rationum, in quo fœneratores Nomina debitorum describebant. pag. 458.

L

LAcedæmoniorum Regum Funera. pag. 393.
Lacones Legum, & seueritatis amantes. pag. 20.
Lacus Sabatius. pag. 25.
Laelius Taurellus. pag. 302.
Laides vbi sepulta. pag. 365.
Lambinus reprehensus. pag. 655.
Lampridius Romanorum Imperatorum Vitas explicauit. pag. 476. & 530.
Lares pro Sole, & Luna interpretati. pag. 8.
Larthes, & Lucumones Tusciæ Principes. pag. 105.
Lecti, & Lectisternia in Romanorum exequijs. pag. 377.
Lectoria Lex pag. 316.
Leges Lacedæmoniorum à Lycurgo latæ, Athenienſium à Solone. pag. 148.
Leges Romanæ à quibus, & quando latæ. pag. 152. ac 153. & seq.
Leges Romilia, Tribunicia, Domitia, Sextia, Licinia. pag. 157. & seq. Papia pag. 162.

Digitized by Google

Leges nec nisi à magistratibus, nec nisi comitijs ferebantur. pag. 317. incidebantur in æs, seu in columnis. pag. 335.
Leges sacratæ. pag. 170.
Legislatores quomodo leges ferebant. pag. 317.
Leoniſſa. pag. 88. & 89.
Leoniſſani Coniſſæ reliquiæ. pag. 88.
Leſtrigones in Italia regnantes. pag. 41.
Libitina Sepulchrorum Dea. pag. 357.
Libitinarij. pag. 370.
Licinia Lex. pag. 172. à P. Licinio Craſſo lata. pag. 254. 212. 246. & ſeq. ac 316.
Lilium vetus Inſigne Florentiæ. pag. 109.
Litophagi Libyæ Populi ſuorum cadauera in Mare jacere conſueuerunt. pag. 399.
Liuia Lex. pag. 213. 250.
Liuius Druſus Senatum, & ordinem equeſtrem diſſidentes Lege conciliare, & ad concordiam producere conatus eſt. pag. 220.
Liuius vanus, & aliquando futilis Scriptor. pag. 221.
Locus ferendæ Legis. pag. 337.
Lucenſium Priuilegia, fœdera &c. pag. 135.
Lucilius emendatus. pag. 677.
Lucius Florus epitome Hiſtoriarum reliquit. pag. 473. & 522.
Lucius Papa quid impetrarit à Federico Imperatore. pag. 134.
Lucretius Tricipitinus Vrbis Præfectus. pag. 168.
Lucrum, ex fœnere maximè damnatum. pag. 428.
Ludi non fuerunt ſine ſacrificijs. pag. 163.
Ludi Appolini ſacri, ſeu Appolinares. pag. 164. & 165. quando inſtituti. pag. 163.
Ludi Funebres. pag. 367. Eorum Præſides. pag. 376.
Ludi Megalenſes. pag. 165.

Ludi Nouendiales. pag. 378.
Lugere defunctos quomodo, ac per quantum tempus apud antiquos. pag. 375.
Lutatia Lex. pag. 287.
Lycij non nisi veste muliebri mortuos lugebant. pag. 399.

M

M. Pro N. scriptum apud Priscos. pag. 35.
Macedonia deuicta à L. Æmilio Paulo, & Prouincia facta à Q. Metello, qui Macedonici cognomen est adeptus pag. 200.
Manilia Lex pag. 229.
Marcellinus Annalium scriptor. pag. 480 & 547.
Martia Lex à Marcio Philippo lata. pag. 213.
Massagetæ mortuos bestijs vorandos proiiciebant. pag 396.
Mathildis S. Romanæ Ecclesiæ Filia dilecta, Populorum Mater &c. pag. 120.
Mauritania per Calligulam Imperatorem in duas Prouincias diuisa. pag. 201.
Mausoleum vndè vocatum. pag. 370.
Mausoleum ab Artemisia constructum inter septem Orbis miracula. pag. 408.
Medicæorum Gens. pag. 136.
Melittutan Massa quæpiam mele condita, seu offa, quæ cum obolo vita functis dabatur. pag. 384.
Memmia Lex. pag. 235.
Menenia Sextia Lex. pag. 250.
Menia Lex. pag. 179.
Metilia Lex à quo lata. pag. 252.
Militiæ Leges. pag. 209.
Minecia Gens à Mino. pag. 75.

Digitized by Google

Minerua à Minando, ac ejus Munia. pag. 76.
Miniati Nomen vndè. pag. 120.
Mulieribus in funeribus antiquis eiulandi mos, & comas, genasq; lacerandi. pag. 373.
Murrha quid sit pag. 671.
Musica præparat apud Oracula. pag. 607.
Myrrha, & ipsius suauitas. pag. 671. & seq.

N

NAbathæi, atq; Arabes defunctorum corpora in sterquilinijs condebant. pag. 396.
Nasamones in Africa sedentes vita functos sepeliebant. pag. 396.
Niliacum quid significet. pag. 650.
Nini Regis Sepulchrum. pag. 409.
Niobis infelicitas. pag. 376.
Nouendiales Ludi, ac Nouendialia sacra. pag. 378.
Numa Vir Sanctissimus. pag. 273.
Nundinæ vbi, quando, & quomodo agebantur. pag. 322.
Nymphæ Commitiæ sic dictæ à commotione. pag. 20.

O

OBeliſci Sepulchrorum causa erecti. pag. 408.
Obnunciatio quomodo fiebat. pag. 330.
Oo à Rodulpho Cæsare in Etruriam præmittitur. pag. 133.
Oſoramenta componendi ratio. pag. 668.
Oſores in Sacris. pag. 646.
Oenotrij Italiam tenuere. pag. 11.
Oetria ab Oetro dicta prima Etruriæ pars. pag. 28.

Ogulnia Lex de Sacerdotijs. pag. 325.
Opis Oppidum. pag. 22.
Oppianicus de veneficio damnatus. pag. 262.
Oratio funebris post epulas pag. 367.
Orchia Lex. pag. 172. & 253.
Ordo Equester seorsim à Plebe XIV. gradibus sedebat. pag. 165.
Orosius indignus Historici nomine. pag. 478. & 542.
Osyrius Ægyptius primùm ostendit in occiso Lycurgo Gigantes mortales esse. pag. 39. accersitus ab Italis. ibid.

P

P. pro B. proferebant Vestini, & Sagi. pag. 12.
Paeonæ vita functos in stagna proicere peribetur. pag. 399.
Panebi Populi Libiæ quomodo Regem sepeliebant. pag. 396.
Pansa Leges Antonij abrogauit. pag. 159.
Papia Lex. pag. 237. 246. & seq.
Papiria Lex. pag. 195. & 250.
Paricida, & Patricida. pag. 301.
Parthi Defunctorum cadaucra canibus, auibusque laniandà proponere solebant pag. 395.
Patelarij Dij qui. pag. 28.
Paterfamilias, quasi Rex Sacrificulus sacra faciebat, familiaribus epulum dabat. pag. 9.
Patricidæ Supplicium. pag. 371.
Paulus Diaconus diligens in his, quæ litteris mandauit, verùm tenui, & quasi barbara dictione. pag. 480. & 549.
Pax Caudina. pag. 184.
Pedicinium à Sacerdotali pedo, vndè Populi in Apulia Pedicini. pag. 65.

Perduellio omnium de Maiestate criminum atrocissimum quid sit. pag. 272.
Persæ cera circumlitos mortuos condire soliti. pag. 394. nitro salire, & postmodum corio contegere. pag. 395.
Petilia Lex. pag. 172.
Petronia Lex. pag. 246. & seq.
Peucetij à Peucetio. pag. 11.
Phryges mortuos igne cremare consueuere. pag. 399.
Pici aduolantes super ligna insident; super volantes quasi præcedebant Duces, & alia notatu digna pag. 65.
Pini Nuces pro sceptro, ac preferebant sacrificia. pag. 60. & 61.
Piperis arbor in Italia. pag. 651.
Pittacus è septem Græciæ Sapientibus. pag. 368.
Plautia Lex pag. 246. & seq.
Plinius circa Balsamum, ac alios odores defensus, & explicatus. pag. 669. reprehensus. pag. 674.
Plinius Cæcilius Iunior Romanorum Ducum gesta exarauit. pag. 472. & 515.
Plinius Secundus Historiæ Naturalis Libros composuit. pag. 471. & 506.
Plutarchus Traiani Præceptor Vitas insignium virorum conscripsit. pag. 471. & 508.
Pluto tum Dites, tum Soranus, tum Sumanus appellatus. pag. 357.
Polyandrion, quod nos Cœmeterium vocamus. pag. 369.
Polybius vetustissimus omnium, qui scripserunt Romanas Historias. pag. 367. & 487.
Polinctores. pag. 371.
Pompeia Lex. pag. 230. & 288.
Pompeius Magnus Annum agens xxxv. Consulatum gessit. pag. 180. Mithridate victo triumphauit. pag. 202. Sylla Dictatore concedente contra Legem eques Rom. adhuc triumphauit. pag. 211.

Digitized by Google

Pomponius Iurisconsultus clarissimus. pag. 670. emendatus. pag. 671.
Populetum Vicus. pag. 14.
Populus Florentinus ex Centurijs per agri distributionem numeratus. pag. 113.
Populus Opicus, cuius de nomine Coloniæ plures deductæ pag. 21.
Porsenę Regis Labyrinthus. pag. 408.
Portia Lex. pag. 238. & 298.
Potestas Legis vtrum maxima, vtrum perpetua. pag. 344.
Prætoriani ad conseruandam aureæ ætatis securitatem. pag. 12.
Prætura patricijs tantùm hominibus deferebatur. pag. 177.
Procopius Cæsarienſis Historias optima fide conscriptas reliquit. pag. 479. & 544.
Prouinciæ Consulares quot, & quæ fuerint, ac à quibus administratæ pag. 204.
Ptholomeus in Tusciam missus. pag. 122.
Publilia Lex à nonnullis Voleronia imperitè vocata. p. 186.
Publius Cornelius Rufus Strenuus Dux pag. 252.
Putida etiam conciliant suauem odorem. pag. 672.
Pyramidum variæ formæ. pag. 407.

Q

Quæstores creati regnante Romulo. pag. 167.
Quæstorum numerus duplicandus. pag. 174.
Quinctia Lex à C. Quinctio Flaminio Tribunopl. lata. pag. 213.

R

RAntij, Aruncij, & Carancij Populi. pag. 15.
Regum Lacedemoniorum funera. pag. 393.
Regum Romanorum ſepultura, & ſepeliendi ritus, ac ceremoniæ.
Regum Scytharum curioſus, & ab alijs diuerſus ſepeliendi modus. pag. 386.
Renodæus laudatur. pag. 658.
Rhombus optimus in Adriatico Mare. pag. 453.
Romaneſtus Subregulus Montanorum, & Aboriginum. pag. 42.
Romulus temperati fuit ingenij tum ad rem bellicam, tum ad religionem accomodati. pag. 155.
Roſa in Rhodijs Numiſmatibus. pag. 52.
Roſcia Lex. pag. 165.
Rubia lex quando lata pag. 213.
Rutilius vir ſummæ innocentiæ, qui Legatus à Publicanorum iniurijs Aſiam defenderat. pag. 220.

S

SAbatius Saga dictus, & ab eo Sabini pag. 5.
Sabatius Curetis filius in Italiam aduenit. pag. 23. 24.
Sabinorum dictionem adauxit, Ripas Tiberis Ponte coniunxit, & alia eiuſdem egregia. pag. 27. agriculturam docuit. pag. 28. Regionem iuxta Ianiculum Saturniam coluit. pag. 30.
Sabus Sabatij filius de Patrio nomine Sabinos appellatos voluit pag. 37. Colonias poſuit Sabatias vltra Tiberim, vbj & Sabatium lacum proprio denominauit nomine pag. 56.

Sacerdotes Flamines, Diales, Martiales, Quirinales. pag. 156.
Sacratæ Leges. pag. 170.
Saluſtius Cæſaris dictatoris, Pompei Magni, & Marci Ciceronis tempore vixit, ac Hiſtorias exarauit. pag. 468. 494.
Sandapilarij, ac vnde nuncupati. pag. 371.
Sardanapali Sepulchrum celebratum. pag. 409.
Sardinia de qua T. Manlius Torquatus triumphauit prima Prouincia Populi Rom. facta eſt. pag. 199.
Sarſina Plauti Patria. pag. 75.
Sarus Sabinorum lingua ſanguinem importat. pag. 81.
Scaligeri vniuerſalis virtus. pag. 644.
Scari Piſcis natura. pag. 454.
Scatinia Lex, quam C. Scatinius Aricinus Trib. Pl. tulit pag. 313.
Scaurus mira conſtantia, & animi magnitudine. pag. 221.
Scipio vnde dictus Africanus. pag. 201.
Scythæ immaniores. pag. 362.
Sempronia Lex. pag. 251.
Sepeliri antiquiùs fuit, quam cremari. pag. 241.
Sepulchra ex qua materia conficerentur. pag. 361.
Sepulchretum locus vbi multa Sepulchra. pag. 369.
Sepulchrorum tria genera. pag. 382.
Sepulchrorum Iura pag. 241. 363.
Sepulchrum vndè dictum pag. 369.
Sertorius Ceruam candidam, manſuefactamq; habebat. pag. 627.
Seruilia Lex pag. 246.
Seruorum Manumiſſio pag. 217. & ſeq.
Sextus Aurelius Victor Imperatorum vitas memoriæ mandauit. pag. 478. & 540.
Sextus Rufus, ſeu Rufus Feſtus Victorias Prouinciarum Pop. Rom. breuiter perſequitur. pag. 478. & 541.

Digitized by Google

Sicilia Tripodis figura pag. 6. primùm victa, ac Prouincia facta à Q. Catulo. pag. 199.
Signa sepulturæ. pag. 242.
Siluester Aldobrandinus. pag. 302.
Simandri Regis Monumentum, seu sepulchrum magnificentissimum. pag. 406.
Sol in Rodijs Numismatibus. pag. 52.
Solem Osiridem, & Lunam Isidem nuncupauere Ægiptij pag. 621.
Solon Lege prohibuit vnguenta. pag. 675.
Solonis Leges sapientissimæ. pag. 156.
Somniorum incerta diuinatio. pag. 609.
Spartianus plurimas Augustorum enarrauit vitas. pag. 477. & 533.
Stacles vnde fiat, quid sit, ac ejus odor, & qualitates. pag. 653. & seq.
Styrax an idem, ac stacles. pag. 658. & seq.
Suetonius Tranquillus duodecim Cæsarum Vitas reliquit. pag. 472. & 517.
Syenes locus apud quem Styx. pag. 383.
Sylla abrogauit legem Domitiam. pag. 158. & 161.
Sylla dictator Lege lata multos agros in Etruria militibus suis diuisit. pag. 214. Leges tulit, vt Senatorius ordo iudicaret. pag. 219.
Syria Pompei Magni singulari virtute victa. pag. 202.

T

TAtij, & Titij pag. 47.
Tarpeja Lex pag. 250.
Tauri Scythiæ gentes cum Regibus extinctis gratissimos eorum Amicos sepeliebant. pag. 288.
Tempus Legum ferendarum. pag. 342.

Digitized by Google

Terminus Deus Pacis, & Iustitiæ Custos pag. 456.
Testrina Amiternorum Vicus pag. 47. ipsius situs pag. 48. & 49.
Thebæ à Laconibus conditæ. pag. 49.
Theophrasti locus expenditur à Salmasio. pag. 656. illustratur pag. 658.
Thracum varia funerandi instituta. pag. 399.
Tibareni Scythiæ Populi Senes patibulis affigunt. pag. 398.
Titia Lex pag. 166. à Sex. Titio lata pag. 213. & 316.
Titus Liuius Historiarum Libros conscripsit. pag. 470. & 501.
Trebellius Pollio Scriptor sub Diocletiano, & Maximiano. pag. 476. & 531.
Tribunos pl. integrum diem ab Vrbe abesse Lex vetuit. pag. 184.
Tribunus nonnisi jam Senator. pag. 171.
Triumphans Vrbem ingressus laurea corona in Spectaculis vtebatur. pag. 211.
Triumphus, & de Triumpho Leges. pag. 209.
Troglodytarum sepulchra penè ridicula. pag. 396.
Tullia Lex pag. 172. & 185.
Tumulum vnde dicatur. pag. 369.
Turcarum funera pag. 403. & seq.
Turis etimologia. pag. 644.
Turis, & Myrrhæ forma ex incisione pag. 657.
Turris pro Metropoli in campestri construebatur media. pag. 9.
Tus odorum suauitate balsamo præstat pag. 641. cur dicatur vile pag. 644. vbi nascatur. pag. 650.
Tuscorum conditor Sabatius. pag. 97.

Vale

V

VAle, Vale, Vale alta voce ad mortuos pronunciabatur? pag. 374.
Valeria Lex. pag. 172.
Valerius Maximus exemplorum nouem Libros scripsit. pag. 470. & 503.
Valuassores qui, & quales pag. 129.
Varronis Elogia. pag. 645.
Vaticanus Mons vnde dictus cœpit. pag. 15.
Vatinia Lex. pag. 230.
Vettia Gens patritia. pag. 76.
Vela, quæ sacra circundant altaria de curetibus accepta. pag. 51.
Velleia Lex. pag. 216.
Velleius Auctor falsus testis. pag. 2[illegible].
Velleius Paterculus Epitomen Histor. Rom. scripsit pag. 471. & 505.
Venus nata fingitur è spuma Maris pag. 618.
Vespillones. pag. 371.
Vesta Castrorum mater Pomerio Regiam ampliauit, & quasi Arcem turritam communiuit Vrbem pag. 14.
Vesta Vestales Virgines instituit, quæ annis senis diuino mancipatæ seruitio forent. pag. 24.
Vestales in Italia cognitæ ante Babiloniam conditam pag. 25.
Vestalium munus. pag. 24.
Vestini à Vesta. pag. 25.
Vestini Colonias deduxere, ac Atriam condidere. pag. 64. & 65.
Vestinus Ager. pag. 14.
Vicus in Vestæ venerationem conditus infrà Apia, qui, &

& Auianum, pro Apianum dici cœpit. pag. 21.
Vincentius Portulaca pag. 302.
Virgilius Carpensis. pag. 645.
Vitro circumdata cadauera domi aliquando seruabantur. pag. 385.
Vmbri, vbi primum consederint ab Aboriginibus exacti pag. 18.
Vnguenta peculiaria variorum Auctorum. pag. 670.
Vnguenta exotica Romæ olim prohibita, item Spartæ, ac Athenis pag. 677.
Vnguentum ex Balsamo. pag. 661.
Voconia Lex. pag. 216. & 325.
Voconium Prætorem fuisse conijcitur pag. 303.
Volsci ab Oscis pag. 104.

Z

ZAmolxis Thracibus Ionicum viuendi genus, mores & leges dedit pag. 400.
Zarinæ sepulchrum, quæ Sacarum Regina fuit pag. 409.
Zibethum pag. 651. & seq.
Zosimus Historiam Romanam à Constantino ad sua tempora conscripsit. pag. 478. & 543.
Zonara Historiam vniuersam græcè à mundi primordio conscripsit. pag. 481. & 540.

FINIS.

Digitized by Google

FINIS

Digitized by Google